BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XX
C
33

NAPOLI

JOHANNIS VOET
P. F. G. N.

J. U. D. & Anteceſſoris Lugduno Bat.

COMPENDIUM JURIS
JUXTA SERIEM

PANDECTARUM,
ADJECTIS DIFFERENTIIS

JURIS CIVILIS
ET

CANONICI
UT ET

Definitionibus ac Diviſionibus præcipuis ſecundùm Inſtitutionum titulos:

Editio in Germania Prima, ab eruditis dudum deſiderata aliis emendatior, additis majoris commentarii numeris, paragrapho cuique hujus Compendii reſpondentibus.

COLONIÆ,
Sumptibus CHRISTIANI SIMONIS
Sub Pingui Gallina 1734.

PRÆFATIO, PRIMÆ EDITIONI PRÆMISSA.

H*Abes, benigne Lector*, Juris Compendium, *ante plures quidem annos in privatum auditorum uſum conſcriptum, ſæpiuſque deſcriptum, nunc verò, mutatâ formâ, ac factâ juris certi & controverſi mixtione, pluribus ſubinde additis, luci publicæ expoſitum. In quo quid præſtiterim, tuo libens committo judicio: alia etenim ante edita contemnere, ac pro libidine deprimere, propria verò extollere, atque in eorum commendationem multa præfari, nec genio meo conveniens eſt, nec ab arrogantiæ labe remotum arbitror. Præterquam quod utilia ſummopere judico, nec à Compendio meo ſeparanda, quæ à Viris doctis antea ad Pandectas variâ me-*

thodo elaborata fuerunt commentaria: quæ proinde & ipſe veneror, & ut venerentur quotquot juri ſemet applicabunt, atque, prout res tulerit, meis adjungant, autor fuerim. De cætero ne ignores velim, me levi ac ſimplici dicendi genere juridica tantùm propoſuiſſe, nullis ornata floſculis oratoriis, nullis inſparſis variegata hiſtoriis, non antiquitatum monumentis referta, non autorum ſcatentia teſtimoniis, nec aliarum artium ac diſciplinarum ornatu ſplendentia. Quippe quæ omnia nec exiguo noveram poſſe claudi volumine, nec compendii formæ quadrare perſuaſus eram. Leges nudas, eásque non magno numero, ſed præcipuas, allegaſſe in ſententiæ confirmationem, duxi ſufficiens. Ubi verò de moribus *eſt quæſtio, quæcunque à Jure Romano divortium feciſſe obſervavi, ita paucisſimis contracta verbis collegi, nullâ autoritate ſubjunctâ; ut tamen nihil me de jure hodierno inſeruiſſe meminerim, niſi*

quod

quod hujus ſeculi harumque regionum Doctoris non inglorii unius aut plurium ſuffragio comprobare in continenti me poſſe confido: forſitan & latius, Deo vires ac vitam ſuppeditante, tum rationibus evidentibus undiquaque deſumptis, tum autoritatibus volumine majori expoſiturus. In quibus etiam, ſi quid vel ſtylo Curiarum vel aliter mutatum non ſatis annotaverim, modeſti cenſoris ſuggeſtione me curis ſecundis ſubjuncturum ac in melius reformaturum ſpondeo; non ignarus, in iis quæ praxin ſpectant, ipſos quoque prudentisſimos & in foro nobilisſimos falli nonnunquam atque imprudenter errare. Illud autem ante omnia ſtudiosè cavendum putavi, ne Juris Civilis Deciſionibus immiſcerem contraria Canonum decreta; utpote quibus turbari nondum ſatis firmata diſcentium ingenia, proprio quondam atque etiam aliorum exemplo non ſemel expertus ſum. Nemo itaque, ut

ſpero,

ſpero, mirabitur, quod abſolutâ demum ſerie Pandectarum, obiter ſubjecerim præcipuas Juris Civilis & Canonici differentias. Cumque ad ſingulos Digeſtorum titulos operam dederim, ut ſtrictisſimè Juriſprudentiæ Romanæ traderem fundamenta, ſupervacuum me laborem inſumturum credidi in ſubnectendo rerum maximè notabilium indice: cujus proinde loco componere malui, in uſum Tyronum, definitiones ac diviſiones pleraſque juxta ſeriem Inſtitutionum; tantò magis, quod animadverterem, eas ante ſeptennium à me conſcriptas, frequenti deſcriptione tot vitiis ac fœdis erroribus fuiſſe dehoneſtatas, ut rurſus exhibitas ultra pro meis nec ipſe agnoverim. Cui incommodo ut obviam irem, publici juris eas faciendo, ex meâ non minus quàm Auditorum re futurum exiſtimavi. Unum interim ſupereſt, cujus te moneri, amice Lector, meâ intereſt; ne videlicet te turbet calumniatoris

toris cujuſdam temerarii, qui ſe Theologum profitetur, præfatio, quam contumaci falſitatum ſerie plenam, ſuæ præmiſit vi veritati illatæ repulſæ, *ut ait. Latuera dudum tenebrio ſub* Cephæ Piſtophili *larvâ, ut tanto tutius poſſet è latebris ſua vibrare ſpicula; ac ſemel iterumque repulſus tandem apertius, profeſſo nomine, criminari non deſtitit, tantâ ſuperbiâ, arrogantiâ tam ſtolidâ, ut inſaniam obtrectatoris turbulenti, ſeu* nebuloſi, *epiſtolâ meâ ad amicum poſtremâ typis expreſsâ riſerim, hominique in principio ac fine juxta ſtultitiam reſponderim, inſertis interim fraudis ac falſitatis ab eo in auxilium vocatæ indiciis quamplurimis, diſcuſsis etiam nugis bullatis, ac deletis fucatis coloribus, quibus non errorem tantùm ſuum, ſed & criminationes peſsimas ſtolidè tueri tam impensè allaboraverat. His verò cùm in præfatione poſtrema nihil ſolidi, nihil novi reponat, quod alicujus momenti ſit, ſed*

ſua

ſua repetendo ad nauſeam uſque jam dudum refutata mendacia ac detortos ſenſus, abundè commonſtret, ſe non in ratione & veritate, ſed impudentiâ quærere turpe præſidium; id unum te, quiſque harum litium judex eſſe volueris, ſummopere rogo pariter obteſtorque, poſtremam meam ut epiſtolam (& ſi libet, priores quoque) cum ultimo viri ad Lectorem alloquio conferas, atque ita pro tuo æſtimes candore, cui noſtrûm defectus judicii, cui fraudis ac falſitatis probrum aliáque ſimilia imputanda ſint: ſic enim tuo judicio in hiſce, (utcunque in principali quæſtione non idem fortè mecum ſtatueris) vel ſtare vel cadere paratus, de cætero petulantem adverſarii faſtum & jactantiam deteſtandam contemtu vindicabo. Vale.

* * *
* *
*

LIBER

LIBER PRIMUS.

Tit. I.

De Juſtitia & Jure.

1. PAndectarum opus, Juſtiniano jubente, à pluribus eſt compoſitum Juriſconſultis, recenſitis in *l. 2. §. 9. C. de veteri Jure enucl.* ac continet potiſſimum reſponſa Prudentum, quibus tamen ſparſim aliæ quoque inſertæ Juris partes, puta edicti perpetui portiones ſat multæ, Senatusconſulta, Principúmque Conſtitutiones in confirmationem opinionis non ſemel adductæ.

2. Diſtributi verò quinquaginta Digeſtorum libri in partes ſeptem, quarum prima quatuor, altera ſeptem, tertia octo, quarta itidem octo, quinta novem, ſexta rurſus octo, ſeptima denique ſex libris eſt abſoluta. At ſine juſto fundamento, ſine ratione eſt illa poſteriorum Interpretum in Digeſtum vetus, infortiatum, & novum facta diviſio.

3. His continetur Juriſprudentia; *Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti ac injuſti ſcientia l. 10. §. ult. ff. h. t.* aliàs etiam *ars boni & æqui* definita in *l. 1. ff. h. t.* cùm nihil bonum ſit, quin eâdem conſideratione ſimul æquum ſit; ut ut aliquando quid in ſe & generaliter ſpectatum bonum eſſe poſſit, quod tamen nonnullis circumſtantiis accedentibus iniquum eſſe incipit; ſed propter eaſdem nec ultra bonum erit, utì id arguunt exempla in *l. 31. ff. depoſiti, l. 8. C. de pact. convent.* propoſita. Eo modo, quo non repugnat, ut quid in ſe

 juſtum

juſtum ſit, atque interim ob varias circumſtantias in certis caſibus iniquum. *pr. Inſt. de except.* (IV, V.)

4. Quamvis autem æquitas (*quæ eſt ſtricti ſeu ſummi juris cum ratione conciliatio*) legibus comprehenſa verè ſit, vel ſaltem præſumatur; in ſpecie tamen ſic dicta æquitas tanquam à jure ſcripto vel conſtituto diverſa proponitur. *l. 2. §. 5. in fin. ff. de aqua & aqu. pluv arc.* (VI.)

5. Finis Juriſprudentiæ eſt Juſtitia, *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. d. l. 10. ff. h. t.* Quâ deſcriptione humana, quæ finis JCti, non divina continetur juſtitia: univerſalis *Nov. 69.* quamvis per conſequens & particularis: quippe quæ ſub univerſali, velut omnium virtutum compage, comprehenditur. Dividitur à Grotio in expletricem & attributricem; ſed vulgò, quod vel *commutativa* ſit, *quæ circa commercia verſatur*, vel *diſtributiva*, quæ *verſatur circa præmia & pœnas pro meritis cujuſque diſtribuendas.* In illa nulla perſonarum, ſed tantùm rerum habetur ratio, ſervatúrque proportio, quam vocant *arithmeticam*; exceptis caſibus in *l. 8. ff. de pact. l. 16. ff. de reb. aut. jud. poſſid. l. 35. ff. de minorib. l. ult. C. de emphyt. l. 1. C. communi divid.* In hâc verò ſæpius perſonarum obſervatur reſpectus, & proportio, quam vocant *Geometricam*: quatenus ob unum idémque crimen à duobus commiſſum gravior alteri, alteri levior pœna irrogatur; vel propter eadem bene merita majus alteri, alteri minus tribuitur præmium: ſed quæ pœnæ quæque præmia in ſe ſpectata diſparia ſunt; ea tamen, quia ſunt applicata perſonis, ætate, natalibus, dignitate vel ſexu diverſis, paria erunt, in quantum pœna per ſe levior non minùs gravat honeſtiorem, quàm humiliorem ea, quæ in ſe ſpectata gravior apparet.

6. Quandoque tamen & arithmeticam in delictis contingit ſervari proportionem, dum certa iis pœna pecuniaria proponitur, vel damno in rebus dato proportionata; non inſpecto, quis hujuſmodi delicti reus ſit: ut id in furto, rapina, damno legis Aquiliæ, in jus vocatione parentis aut patroni ſine venia, aliiſque multis evenit. (VII, VIII, IX, X.)

7. Proximior juriſprudentiæ finis eſt *juris* applicatio facienda per JCtos, dum judicis aut advocati funguntur officio. *l. 1. §. 1 ff. h. t.* Eſt autem *jus* hoc loco nihil aliud, quàm *regula ac norma agendorum.* (licèt & aliæ plures ſint juris ſignificationes *in l. pen. & ult. ff. h. t.*) Et vel *publicum* eſt, quod videlicet *ad ſtatum Reipublicæ ſpectat primariò*, vel *privatum*, quod

Ad

l *ſingulorum utilitatem primariò pertinet.* *l.* 1. *§.* 2. *ff. h. t.* quam-
is & ipſum jus privatum aliquando juris publici veniat ap-
ellatione, in quantum publicâ auctoritate conſtitutum eſt.
38 *ff de pactis*, *l.* 20 *ff. de relig* *l.* 15. *§.* 1. *ff. ad leg. falcid.* U-
umque collectum eſt ex *natura*, *gentium*, *& civilibus* præ-
ptis, generaliter ad hæc tria tendentibus, ut quis *honeſtè*
vat, *alterum non lædat*, *ſuum cuique tribuat*, quæ vulgo tria
ris præcepta dicuntur. (XI)

8. *Jus naturale* quatenus phyſicè & materialiter in bruta
idit, eſt, *quod natura omnia animalia docuit.* *l.* 1. *§.* 3. *ff. h. t.* At,
quantum ſoli homines (non bruta *pr. Inſt de paup.*) pro-
riè juris capaces ſunt, eſt *quod recta ratio illis, qui verè intelli-*
unt, dictat ſine mentis diſcurſu. Quò etiam pertinent, quæ per
eceſſarias conſequentias inde educuntur; uti inter alia ſui
efenſio. *l.* 3. *ff h. t.* etiam cum nece adverſarii, modò quis
el corpus defendat. *§.* 2. *Inſtit. de leg. Aquil.* vel pudicitiam,
1. *§.* 4 *ff ad leg. Corn. de Sicar.* *l.* 8. *§. fin ff. quod met. cauſ.* non
em bona: quamvis enim licita ſit eorum defenſio. *l.* 1. *C.*
de vi. *l.* 3. *§.* 9. *ff. de vi & vi armat.* non tamen cum rapien-
s cæde. *arg. l.* 52. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* niſi quis ex defenſore
oriorum fiat corporis defenſor, inſtante raptore; vel in-
rtum ſit, utrum diripiendi, an occidendi causâ venerit
dverſarius; quod in fure nocturno accidit. *l.* 4. *ff ad leg.*
quil. *l.* 9. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* (XII, XIII, XIV, XV.)

9. Cæterùm immutabile eſt jus naturale. *§. pen. Inſt. de jur.*
it. gent. & civ. puta 1. in totum: cum pro parte mutari
oſſit à jure civili. *l* 6. *ff. h. t.* 2. in theſi: nam in hypotheſi
uandoque mutatur, & regula juris naturalis quaſi excep-
ones quaſdam propter concurrentes circumſtantias admit-
t. Et 3. illud demum jus immutabile eſt, quo quid præcipi-
ır; non item quo quid ſolummodo ſuadetur. (XVI, XVII.)

10. Jus gentium eſt, *quod apud omnes gentes vel ſaltem mora-*
ores obtinet & peræquè cuſtoditur & vel *primævum* eſt, nempe
naturale hominum à gentibus receptum. *arg. §.* 1. *in med. Inſtit.*
jur. nat. gent. & civil. vel *ſecundarium*, quod *uſu & humanis*
ceſſitatibus exigentibus inter gentes eſt introductum. *§.* 2. *in med.*
d. tit. cui adſcribenda, quæ enumerantur in *l.* 4. *&* 5. *ff h. t.*
d. §. 2. Ad utriuſque verò juris ſubſtantiam requiritur, ut
oncurrat *ratio* cum *uſu*, ſine quibus nihil juris gentium eſt.
XVIII, XIX)

11. Jus civile eſt, *quod quæque civitas ſibi proprium conſtituit.*
lque nec in totum à jure naturali recedit, nec per omnia ei

ſervit. *l. 6. ff. h. t.* Dividitur autem non modò in jus *ſcriptum* & *non ſcriptum*; ſed &, quod ſit vel *jus civile origine*, vel *comprobatione*. Jus civile *origine* eſt, quod *ſine certo ac ſpeciali juris naturalis fundamento in civitate conſtituitur, licèt non careat generali aliquâ æquitatis & juſtitiæ ratione.* Quò pertinent teſtamentorum & aliorum actuum plurimæ ſolennitates; forſitan & Senatusconſultum Macedonianum, Velleianum, Lex Falcidia, &c. & variæ leges antiquæ, Fuſia Caninia, Ælia Sentia, aliæque plures poſtea abrogatæ. *Comprobatione* verò jus civile eſt, quod *à naturâ vel gentibus conſtitutum, in civitate receptum eſt.* Eóque contractus plerique, tutelæ, teſtamenta, pœnæ multæ delinquentium, & alia quamplurima referri poſſunt. [xx.]

12. *Moribus.* Magna juris Romani apud nos, & maximè in Friſiâ, auctoritas eſt, illúdque oportet in judicando ſequi: niſi vel ſpeciali conſuetudine ſit abrogatum, vel ſpeciali lege municipali aut Ordinum edicto ſublatum, vel ratio legis Romanæ peculiaris fuerit Romanæ genti. Vide *Groenevv ad Procem. Inſt. n. 3. & ſeqq.* Quod ſi mores regionis obſcuri vel incerti ſint, ad vicinarum regionum mores recurri, haud abſurdum.

Tit. II.

De Origine Juris & omnium Magiſtratuum & ſucceſſione Prudentum.

1. Tria potiſſimùm h. t. tractantur; videlicet initia juris & incrementa, origo Magiſtratuum, & JCtorum ſucceſſio. Principio Regum arbitria pro legibus erant: ſed poſtea nonnullæ à Regibus Romanis leges conditæ; quæ à Papirio collectæ, *leges regiæ* ab auctoribus, à collectore *ius Papirianum* appellatæ *l. 2 §. 2. in fin. ff h. t.* Ejectis verò Regibus, incerto jure populus aliquamdiu uſus eſt; donec per Decemviros à Græciæ civitatibus variæ leges peterentur in decem tabulas redactæ. Quibus cùm deinde duæ aliæ legum tabulæ fuiſſent ſuperadditæ, ex accidenti *duodecim tabularum leges* dictæ ſunt *l. 2. §. 3. & 4. ff. h. t.* His poſtmodum acceſſerunt legis actiones, certæ ſcilicet ac ſolennes formulæ, compoſitæ per JCtos & accommodatæ iis, quæ breviter erant duodecim tabulis comprehenſæ. *l 2. § 5. 6. 7. ff. h. t.* quæ tamen jure novo abolitæ. Ingens præterea incrementum jus

accepit

:epit per novas à populo latas leges, plebeſcita, Senatus-
nſulta, nec non Magiſtratuum edicta. *l. 2. §. 8. 9. 10 ff. h. t.*
:nique, redactâ in ſtatum Monarchicum Republicâ. con-
tutiones Principum magnam fecerunt juris partem; col-
ctæ partim auctoritate privatâ à JCtis Gregorio & Hermo-
ne; partim publicâ juſſu Theodoſii & Juſtiniani. Unde
odicis Gregoriani, Hermogeniani, Theodoſiani & Juſti-
anei deſcendit denominatio.

2. Ipſe verò Juſtinianus ſuas inſuper novellas addidit,
authenticas collationes novem poſt ipſius obitum diſtri-
itas. Sed mox, vaſtatâ per barbaras gentes Italiâ, ut lingua
itina, ſic & Romanæ leges neglectæ; licèt quodam modo
ſtmodum revocatæ compoſitis & editis libris βασιλικῶν
b Imperatoribus Baſilio Macedone, Leone, & Conſtan-
io Porphyrogennetâ. Donec tandem ſeculo duodecimo
Italia rurſus in lucem protractum ac in uſum revocatum
it Jus ipſum Juſtinianeum, tempore Lotharii, auctore
iodam *Irnerio* vel Wernerio; qui & ipſe primus Bononiæ
s illud publicè interpretatus eſt.

3. Eodem ferè tempore componi cœptum Jus Canonicum.
: primo quidem tempore Eugenii tertii Papæ Gratianus
onachus eam collegit Juris Canonici partem, quæ *Decretum*
pellatur. Poſtea juſſu Gregorii noni epiſtolas Pontificum
cretales compilavit & in quinque libros digeſſit Raymun-
is. Bonifacius octavus *ſextum* librum addidit, ſed in quin-
ie libros ſubdiviſum. Dein *Clementinæ* a Clemente quinto
ejus ſucceſſore Johanne XXII. adjectæ: quibus tandem ac-
ſſerunt *Extravagantes*. Septimus quidem Decretalium liber
centioribus corporis Canonici editionibus ſubjunctus eſt
Petro Matthæo Lugdunenſi JCto collectus, ut & Pauli Lan-
lotti Inſtitutiones, ſed hactenus non confirmati hi libri.

4. Compoſitum & Jus Feudale ab Oberto de Orto & Ge-
rdo Nigro Capagiſto Conſulibus Mediolanenſibus, & aliis
que addita plura capitula extraordinaria ex Alvarotto &
dizone.

5. Cæterum quod attinet Novellas Leonis & Heraclii, Ni-
phori, Comneni, Frederici, Henrici Septimi aliorúmque
ipp. conſtitutiones corpori Juris Juſtinianei ſubjunctas,
n adeò magna earum atque quidem Juris Romani eſt
ctoritas.

6. Altera tit. pars eſt de Magiſtratibus, quales primis tem-
ribus Reges: deinceps Conſules, Cenſores, Dictatores,

Tribuni plebis, Tribuni militum cum conſulari poteſtate, Prætores, Ædiles, Quæſtores Ærarii, Quæſtores parricidii, Trium-viri capitales, Trium-viri monetales, Proconſules aliique plures, de quibus *l.* 2. §. 13. *uſque ad* §. 35. *ff. h. t.*

7. Tertiâ parte de JCtis agitur, qui olim non tam publicè docebant, quàm potiùs reſpondebant de Jure conſulentibus. Primus Tiberius Coruncanus Jura cœpit publicè profiteri: quem plures poſtea ſecuti; ex quibus plurimi Præturâ, Conſulatu, aliiſque majoribus Dignitatibus fuerunt conſpicui: diſtabant autem olim à cauſarum Oratoribus JCti. Sed Servius, cùm jam Orator, eſſet, objurgatione Mucii, *turpe eſſe patritio & nobili & cauſas oranti, jus, in quo verſatur, ignorare*, Juris peritiam eloquentiæ adjunxit. *l.* 2. §. 43. *ff. h. t.*

8. Tandem ſectæ JCtorum natæ ſunt à primis auctoribus Capitone & Labeone. Capitoni quidem Sabinus, Sabino Caſſius ſucceſſit, indeque *Caſſiani* ſeu *Sabiniani* nomen ſunt ſortiti, Labeoni verò ſucceſſit Nerva Pater, Nervæ Proculus; unde *Proculiani* appellati ſunt. Utrique huic ſectæ plures poſtea ſeſe addiderunt opinionibus inter ſe diſſidentes: cujus diſſenſus etiam plurima in Pandectis occurrunt veſtigia, quamvis eum magnâ ex parte ſuis Juſtinianus ſuſtulerit deciſionibus. Vide *l.* 2. § 47. *ff. h. t.*

† Adde *ex Cod. lib.* 1. *tit.* 17. *de veteri jure enucleando.*

Tit. III.

De Legibus, Senatuſconſultis & longâ Conſuetudine.

1. Lex in genere eſt *commune præceptum, virorum prudentum conſultum, delictorum quæ ſponte vel ignorantiâ contrahuntur coercitio, communis Reipublicæ ſponſio. l.* 1. *ff. h. t.* quamvis ſumpto ſtrictiùs legis vocabulo, ſit *Jus, quod Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante conſtituebat.* § 4. *Inſt. de jur. nat. gent. & civil.* (II, III, IV.)

2. Sunt autem varia legis requiſita, puta, ut *juſta* ſit, tam quantum ad materiam, dum honeſta præcipit, turpia vetat, quàm quantum ad formam, dum æqualitatem ſervat & æqualiter obligat. Sit & *perpetua*, niſi mutationem ſuadeant mutati hominum mores, aut ceſſantes legis rationes; quo modo per contrariam legem aut uſum eas quandoque contingit abrogari. §. *pen. Inſt. de jur. nat. & civil.* Sit inſuper lata ab

ab eo, qui condendæ legis poteſtatem habet, videlicet, à Principe, vel Optimatibus, vel Populo, pro diverſo Reipublicæ ſtatu, quâ ratione concilianda. *l. ult. C. h. t.* cum *l* 9. *l.* 32. *ff. h. t. l.* 9. *ff. de Juſtit. & Jur.* Denique ſit *intellecta*; adeóque non modò clara ac perſpicua, nec captionibus obnoxia aut difficilis; ſed & promulgata; uſque adeò ut ne obliget quidem niſi poſt duos à promulgatione menſes, *Nov.* 66. *c.* 1. ne eos quidem, quibus medio tempore innotuit legis diſpoſitio; cum id confuſiones eſſet pariturum. De cætero ſcriptura non eſt de legis eſſentia, ſed expreſſa ſanctio, quæ & aliunde ſine ſcriptura poteſt intelligi. (V, VI, VII, VIII, IX, X.)

3. Concurrentibus his requiſitis, vis legis eſt obligare ſubditos ad ſui obſervantiam, ſive imperet, ſive vetet, ſive puniat, ſive permittat, *l.* 7. *ff. h. t.* ſive præmia diſtribuat, *l.* 1. §. 1. *ff. de Juſtit. & Jure.* ſive delicti gratiam faciat, *arg. l.* 22. *ff. h. t.* ſive ſuadeat. §. 3. *Inſt. de pupill. ſubſt. l.* 1. §. 3. *ff. de peric. & comm. rei vend.* Obligat & advenas ac peregrinos, quamdiu in legislatoris ſunt territorio; ſed extra illud impunè non paretur. *l. fin. ff. de Juriſd.* Ipſe autem Princeps legibus civilibus per ſe vel Anteceſſores conditis ſolutus eſt *l.* 31. *ff. h. t.* quibus tamen ſeſe ſpontaneâ ſubjectione nonnunquam ſubmittit, quo populum reddat earum obſervantiorem *l.* 4. *C. h. t.* §. *ult. Inſt quib. mod. teſt. infirm.* Nec lucrum captat regulariter ex eo fundamento, quod legibus ſolutus ſit: atque ita admittit contra ſe Falcidiam, *l.* 4. *C. ad leg. Falcid.* querelam inofficioſi, *l.* 8. §. 2. *ff. de inoff. teſt.* nec ex teſtamento ſolennibus deſtituto capit. §. *ult. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Inſinuationem tamen donationis in ſe noluit vigere. *l.* 34 *in fin. pr. & auth. ſeq. C. de donat.* nec caducitatem legati. *l.* 56. *ff. de legat.* 2. ac varia ſibi ſancivit privilegia. *l.* 6. *in fin. ff de Jure Fiſci.* quâ de cauſâ etiam ad Principem non pertinet regula, *quod quiſque Juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem Jure utatur*, ſed ad ſolos Magiſtratus. (XI, XII, XIII, XIV, XV.)

4. Quod ſi contra leges quid actum ſit, id ipſo jure nullum eſt. *l.* 5. *C h. t.* niſi lex pœnâ aliquâ, in contravenientes conſtitutâ, contenta ſit; vel reſciſſionem expreſsè deſideret, velut, in teſtamento inofficioſo, alienatione in fraudem creditorum, metu, aliiſque. Unde & multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. Vide *l.* 8. §. 2. *ff. de procurat. junct. l.* 7. *C. eod.* (XVI.)

5. Cæterum lex tantum futura regulariter concernit: ut firma maneant, quæ ante novam legem juxta priſtini juris

obſervantiam geſta ſunt. *l.* 9. *C. h. t. l.* 29. *in fin. C. de teſtamen.* niſi aliud nominatim legiſlator ſtatuerit. *l.* 7. *C. h. t.* quod ſolet fieri, quoties vel negotiis præteritis manifeſta continetur eáque permanens turpitudo vel iniquitas, ut *in l. ult. C. de pact. pign. l. ult. C. de pactis libr.* 2. *feud. tit.* 55. vel Princeps reſcribit aut decernit de caſu ſingulari ac negotio jam geſto, vel denique lex poſterior priorem dubiam ſolummodo declarat & interpretatur. *arg. l.* 21. § 1. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* (XII.)

6. Fertur & lex regulariter de caſibus tantùm frequentioribus, non raris, aut inſolitis *l.* 3. 4. 5. 6. *ff. h. t.* niſi exiſtat de facto caſus rariùs contingens, quem & legibus tunc definiri neceſſe eſt. Ut colligere licet ex *l.* 12. *C. de legit. hered. l.* 12. *l.* 14. *ff. de ſtatu hom. l.* 3. *ff. ſi pars hered. pet. l.* 9. §. 1. *l.* 22. 23. *ff. de reb. dub.*

7. Neceſſaria autem aliquando legis interpretatio, quæ, quatenus vim legis habet, à ſolo fit Principe *l. ult. C. h. t.* eóque connivente, etiam à conſuetudine. *l.* 37. 38. *ff. h. t.* At ſi fiat à Judicibus vel JCtis, legis virtute caret, ſive illi verba legum obſcura explanent, dubiúmque eruant legis ſenſum; ſive ad alios caſus ſimiles extendant perſpicuam legis diſpoſitionem, conſideratâ ejus ratione *l.* 12. 13. *l.* 38. *h. t.* [XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV.]

8. Legi ſimilis in multis eſt conſuetudo, *Jus non ſcriptum moribus utentium paulatim introductum legis habens vigorem.* §. 9. *Inſtit. de Jure nat. gent. & civ. l.* 32. *ff. h. t.* cujus varia requiſita; puta, tacitus populi conſenſus; *d. l.* 32. juſtitia & rationabilitas. *arg. l.* 39. *ff. h. t.* longum tempus, & actuum liberorum judicialium vel extrajudicialium frequentia; arbitrio Judicis relicto actuum numero & temporis ſpatio. *arg. l.* 1. *C. quæ ſit longa conſuet. l.* 32. 35. 38. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 13. *C. de ſent. & interloc. l.* 12. *ff. de offic. præſ.* Reſp. non exemplis judicandum; niſi ſeries exemplorum Jus fecerit. *l.* 38. *ff. h. t.* Quod ſi conſuetudo deinde in ſcripturam redacta fuerit, manebit nihilominus conſuetudo. (XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI.)

9. Cæterùm an conſuetudo ſit, id facti eſt, adeóque probanda per allegantem. *l.* 1. *C. quæ ſit long. conſuet. l.* 4. *ff. de cuſt. & exhib. reor. arg. l.* 5. *ff. de probat.* idque vel per turbam teſtium, vel aliis legitimis probandi modis. Unius planè Doctoris, quantumvis eximii teſtimonium non ſufficit. *arg. l. ff. de iuris & fact. ignor.* [XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV.]

10. Vis conſuetudinis eadem, quæ legis eſt; ſic ut & conſuetudo

ıetudo poſterior legem priorem abroget. *l.* 32. *in fin. ff. h. t.* odo rationabilis ſit, & in ſtatu Democratico: aliàs non. ɛ. *C. quæ ſit longa conſuet.* (XXXVI, XXXVII.)

12. *Moribus.* Si nullum novis legibus per hodiernos Legiſtores tempus adjectum ſit, ex quo illæ obligent, protinus promulgatione etiam ante duorum menſium lapſum bjectos obſtringunt. Si tamen in aliquo loco prætermiſſa ıerit promulgatio, apparitoris, nuncii, vel alterius neligentiâ; cùm ea paſſim in aliis eſſet facta locis; loci illius rætermiſſi ſubditos non videri lege novâ non publicatâ gatos, judicatum eſt.

* Adde *ex Cod. lib.* 1. *tit.* 14. *de legibus. tit.* 16. *de Senatuſconſ. br.* 8. *tit.* 53. *quæ ſit longa conſuet.*

TIT. IV.
De Conſtitutionibus Principum.

PRincipis conſtitutio eſt, *quod Principi placet, ut Legis habeat vigorem.* Cujus eadem ferè quæ legis requiſita ınt. Hujus plures enumerantur ſpecies, puta, *Edictum, Reſcriptum, Decretum, Oratio, Interlocutio, Mandatum, Subſcriptio vel Adnotatio, & Pragmatica Sanctio.* Eſt autem conſtitutio vel *generalis* vel *ſpecialis. Generalis* eſt, *quæ omnes ſubjectos æqualiter concernit & obligat l.* 1. *ff. h. t.* §. 6. *Inſtit. de Jur. nat. gent. & civil.* modò ex circumſtantiis colligi poſſit, Principem reſcribendo, decernendo, interloquendo, &c. velle Jus generale condere. *l.* 1. §. 1. 2, *ff. h. t. junct. l.* 3. *C. de legib.* [I, II.]

2. *Specialis* eſt *Jus ſingulare perſonæ vel cauſæ contemplatione præter Jus commune conſtitutum.* Vulgo *privilegium*: quòd vel *perſonæ* vel *rei ſeu cauſæ eſt.* Perſonale privilegium eſt, *quod perſonæ conceſſum cum eâ extinguitur, nec ad hæredes tranſit*, licèt non extinguatur morte concedentis. Reale eſt, *quod rei cohæret, & ad hæredes devolvitur l.* 196. *ff. de R. J.* quò etiam privilegia integris Civitatibus earúmque incolis generaliter conceſſa pertinent. Vide *l.* 1. §. *ult. ff. ad municip. l.* 17. §. 1. *ff. de excuſ. tut.* Eſt & vel *temporale*, vel *perpetuum* (XII, XIII, XIV, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV.)

3. Facienda autem talis privilegiorum interpretatio, ut aliquid operentur præter Jus commune. *l.* 1. §. *ult. ff. ad municip.* ſtrictè tamen, ne trahantur ad conſequentias. *l.* 14. *ff. de legib.* licèt plenè, reſpectu rei vel perſonæ, cui conceſſa ſunt. *l.* 3. *ff. h. t. arg. l.* 2. *ff. de juriſd.* [XVI, XVII, XVIII, XIX.]

4. Fre-

4. Frequentiſſima omnium Reſcripta ſunt: quæ tamen variis ex cauſis ſunt inutilia; veluti ſi impetrata per ſub-vel obreptionem. *l.* 3. 4. 5. *C. ſi contra jus vel util. publ. l.* 29. *ff. ad leg. Corn. de Falſ.* ſi ſine die & conſule; aut Principis ſubſcriptione careant. *l.* 3. *&* 4. *C. de diverſ. reſcript. & prag. ſanct* ſi juri contraria. *l.* 3. *l.* 7. *C. de precib. imp. offer.* ſi adimant jus alteri quæſitum: id enim nec Princeps poteſt. *l.* 7. *C. de precib. imp. off. l.* 3. *C. de reſcind. vend.* §. *ult. Inſt. de his qui ſui vel alieni jur.* niſi juſta cauſa ſubſit, aut neceſſitas vel utilitas publica id exigat, & æquivalens eo caſu præſtetur. *l.* 13. §. 1. *ff. commun. præd. tam urb. l.* 2. *C. pro quib. cauſ. ſerv. pro præm. d.* §. *fin. Inſt. de his qui ſui vel alien. jur. l.* 9. *C. de oper. publ.* Obſt. *l.* 14. *C. de oper. publ. l.* 2. §. 16. *ff. ne quid in loc. publ.* Reſp. ſunt caſus, quibus jus non erat alicui quæſitum: nam nec ædificanti in *d. l.* 14. conceſſum erat, ut ædificaret eo modo, nec vicino in *d. l.* 2. §. 16. id erat datum, ne quiſquam ei ædificando noceret. *d. l.* 2. §. 16. (III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI.)

5. *Moribus.* Secundùm DD. reſcripta vel *gratiæ* ſunt, *quæ beneficii loco conceduntur*, ùt moratoria, delicti gratiam, aut honorem alicui concedentia: vel *juſtitiæ*, quæ ſecundùm jus commune ordinata ad cauſæ cognitionem & definitionem ſpectant, habéntque ſemper tacitam in ſe conditionem, *ſi preces veritate nitantur*; & Judicis comprobatione indigent; nec ultra anni ſpatium ſuam firmitatem obtinent; exceptis prehenſionis reſcriptis, quæ datâ apprehendendi occaſione etiam poſt annum executioni mandari poſſunt. Cæterùm permittente Principe etiam civitates, municipia, corpora & collegia licita ſibi poſſunt jura condere, quæ ſtatuta, vel jure municipalia, vel leges loci appellantur. Et hæc juſta eſſe oportet ac rationabilia, juri per Principem conſtituto non directo contrariantia, *arg. l.* 3. §. 5 *de ſepulchr. viol.* Sed cùm de ſtatutis plurimíſque circa eorum concurſum difficultatibus ex profeſſo tractare non permittat libelli & inſtituti ratio, præſtabit hìc nihil quàm pauca dicere

• Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 14. *de leg. & conſtitut. Principum tit.* 15. *de Mandat. Principum. tit.* 19. *de precibus Imp offerend. tit.* 21. 22. 23. *d. libr. I.*

TIT.

Tit. V.
De Statu Hominum.

STatus eſt ipſa perſonæ conditio: ac varius eſt, atque inde variæ hominum diviſiones. Primò enim vel maſculi ſunt vel fœminæ, & fœminarum in multis melior quàm virorum eſt conditio. Velleiani enim gaudent beneficio variiſque in caſibus mitiùs quàm viri puniuntur, ùt id ſuo loco pleniùs. Quamvis & deterioris quandoque conditionis ſint, quatenus nec Magiſtratus, nec Tutrices, nec Procuratrices eſſe poſſunt, nec poſtulare, nec civilibus, aut publicis fungi officiis. *l. 2. ff. R. J.* Hermaphroditus ei ſexui annumerandus eſt, qui in eo prævalet. *l. 10. ff. h. t.* (I.)

2. Sunt & vel liberi vel ſervi. Libertatis & ſervitutis definitiones videre eſt in *l. 4 ff. h. t.* Cæterùm vis illicita vel Juris diſpoſitio libertatem non minuit. *arg. l. 13. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Servi vel naſcuntur vel fiunt; idque vel jure gentium, ùt captivitate; vel jure civili, variis modis, de quibus *DD. ad §. pen. Inſt. de jure perſon.* Quomodocumque autem in ſervitutem redacti fuerint, pro nullis habentur. *l. 32. ff. R. J.* Nec quicquam inter liberos & ſervos medium eſt, cùm & ſtatu-liberi ſervi ſint. *l. 9. ff. de ſtatu lib.* licèt quandoque propter imminentem ſpem libertatis velut liberi conſiderentur. *l. 33. ff. de ſolution. l. 13. C. de teſtam. manum. l. 14. ff. de quæſtion. l. 9. §. ult. ff. de pœnis.* & adſcriptitii ſervis potiùs annumerandi; ſecus ſi ſimplices coloni fuerint. *l. 7. l. 18. C. de agric. & cenſit.* licèt Clerici eſſe poſſint, religionis favore. *Nov 123. c. 17.* & in quibuſdam à ſervis aliis glebæ non adſcriptis diſtincti ſint. (II, III, IV, V.)

3. *Moribus* Hodie inter Chriſtianos ferè abolita ſervitus, niſi cum Barbaris bella gerant; adeò ut ſervus, quamprimum regionum noſtrarum fines intraverit, etiam invito domino protinus ad libertatem proclamare poſſit. Superſunt tamen in variis regionibus quædam ſervitutis veſtigia in hominibus *propriis*, quos vocant; ut & illis ruſticis, qui ſuperiori domino ſerviles tenentur operas præſtare manu aut jumentis.

TIT. VI.
De his qui ſui vel alieni juris ſunt.

1. HOmines liberi vel *ingenui* ſunt, *qui ſimul ac nati, liberi ſunt.* Vel *libertini*, qui *ex juſta ſervitute manumiſſi.* Quamvis jure novo omnes ſint ingenui, ſalvo jure patronatûs. *Nov.* 78. Sunt & vel *ſui juris*, qui patresfam. appellantur, vel *alieni juris*, qui *dominica* ſi ſervi; aliàs *patria ſubſunt poteſtati*, ut filiifam. cujuſcumque ætatis ſint. *l.* 4. *ff. h. t.* etiam in utero adhuc exiſtentes, qui tamen pro jam natis habentur, quoties de ipſorum commodo agitur. *l.* 7 26. *ff de ſtat hom* Obſt. *l. ult. ff. de collat.* Reſp. non confertur poſthumo, quia incertum an ei collatio profutura ſit, cùm poſſit abortus fieri aut monſtrum naſci. Non verò pro natis habendi, ſi agatur de commodo tertii; nec tertio proſunt. *d. l.* 7. *l.* 231. *ff. V. S.* niſi ipſi, læſo tertio, veluti matre læsâ, læderentur. *l.* 18. *ff. de ſtat. homin. l.* 3 *ff. de pœnis. l.* 4. 5. *ff. de ventre in poſſ. mitt.* [1. *& tit. præced. num. ult.*]

2. Eſt autem patria poteſtas, *quam cives Romani habent in ſuos liberos*, etſi furioſi ſint, & de facto poteſtatem hanc exercere nequeant. *l.* 8. *ff h. t. l.* 20. *ff. de ſtat. homin. l* 9. *& ſeqq. ff. de ritu nupt. l.* 25. *C. eod.* Ejúſque plurimi effectus ſunt: præterquam enim quod patri matrique debetur reverentia, honor, obſequium, &c. patri inſuper plurima filius acquirit, adhibitâ peculii diſtinctione; nec ſine patris conſenſu nuptias contrahit, (de quibus ſuo loco) ac in eum pater olim jus vitæ & necis habuit. *l.* 11. *in fin. ff. de liber. & poſth.* jure novo modicam coërcitionem. *l. un. C. de emend prop.* (11, 111.)

3. Poteſtas hæc tribus potiſſimùm modis conſtituitur, nuptiis, legitimatione, & adoptione. Nuptiis tamen non aliter, quàm ſi legitimo tempore filius natus fuerit. *l* 6. *ff. h. t.* quod eſt à principio menſis ſeptimi uſque ad initium menſis undecimi. *l.* 12. *ff. de ſtatu hom l* 29. *pr ff. de liber. & poſth. l.* 3. *ult. ff. de ſuis & legit. Nov.* 39. *c* 2. Quod ſi mulier protinus à morte primi mariti ad ſecunda vota tranſeat, & partum edat eo tempore, quo potuit ex ſecundo concepiſſe, in dubio præſumendum eſſe; quod ſecundi mariti proles ſit, cenſet *Treutl. vol.* 1. *diſp.* 2. *th.* 5. *lit F* Si abortus factus aut monſtrum natum ſit, liberorum non continetur appellatione, ſecus ſi partus tantum membrorum humanorum officia ampliaverit.

erit. *l.* 14 *ff de ſtatu hom l.* 129. *ff. V.S.* Licèt monſtra pro liberis fuerint habita ad evitandas orbitatis pœnas. *l.* 135. *ff. V.* (IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII.)

4. Ut autem juſtis nuptiis quæſiti patrem, ſic vulgo quæſiti matrem ſequuntur. *l.* 19. *ff de ſtatu homin.* Niſi privilegium, in ipſis per juſtas nuptias quæſitis, matris conditionem ac patriam præferat. *l.* 1. §. *ult ad municip.* Cæterùm in cauſis publicis patria poteſtas non ſpectatur. *l.* 9 *ff. h. t.*

5. *Moribus.* Hodie peculiares illi, qui apud Romanos obtinuerunt, patriæ poteſtatis effectus vel planè in deſuetudinem abierunt, vel ſaltem admodum ſunt imminuti. Nec nepotes hodie ſunt in avi poteſtate, eo quod filius, ex quo nepotes naſcuntur, ipſe per nuptias exivit ex patria poteſtate. An autem menſe duodecimo partus editus legitimus ſit, ex arbitrio Judicis & Medicorum dependet, ſi mater indubitatæ caſtitatis fuerit ex fama publica, & circumſtantiæ partum procraſtinantes ex Medicorum judicio concurrant.

* Adde *ex Cod. lib.* 8. *tit.* 47. *de patria poteſtate. tit.* 52. *de infant. expoſitis.*

TIT. VII.

De Adoptionibus & Emancipationibus, &c.

ADoptio in genere eſt *actus legitimus, quo is, qui filius naturâ non eſt, fit filius.* Ejuſque duæ ſpecies ſunt, *adrogatio*, & *adoptio in ſpecie. Adrogatio* eſt, quâ paterfam. pubes vel impubes expreſsè conſentiens reſcripto Principis adoptatur §. 8. 32. 33. *ff. h. t.* cujus effectus ſunt, quod tranſeat in poteſtatem patris adrogatoris cum bonis & liberis. §. *pen. Inſt. h. t.* eique quarta pars bonorum adrogatoris ex D. Pii conſtitutione debeatur, ſi impubes ſit. §. 3. *Inſt. h. t.* cujus etiam petitionem ad hæredes tranſmittit. *l.* 22. *ff. h. t.* ſcilicet ex lege condictionem, per quam ad inſtar æris alieni, quarta exigitur. *arg. l.* 1. §. 15 *ff. de inoff. teſt.* (I, II, III.)

2. Eſt verò hæc quarta omnium bonorum, cùm leges ubique ſimpliciter quartæ mentionem faciant: etenim, ſi tam juſta ſubſit adrogandi cauſa, ut Princeps etiam ei, qui liberos jam habet, adrogandi facultatem tribuat, (quod tamen difficulter indulgetur. *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.*) etiam non abſurdum eſt, adrogatum hoc modo plus percipere, quàm alii legitimè nati; cùm pater non prohibeatur etiam planè extraneo propter

pter bene merita maximam bonorum partem relinquere, modò ſalva ſit liberis legitima. (IV.)

3. *Adoptio in ſpecie* eſt, *quâ filiusfam. tacitè conſentiens imperio Magiſtratûs adoptatur. l. 5. ff. h. t.* Cujus effectus olim erat, quod adoptatus ſubjiceretur patris adoptantis poteſtati: ſed jure novo non aliter quàm ſi ab aliquo aſcendentium adoptatus ſit. §. 2. *Inſt. h. t. l. C. eod.* (V.)

4. Utriuſque, tam adoptionis quàm adrogationis requiſita ſunt, ut adoptans ſit maſculus, excepto caſu §. 10. *Inſt. h. t.* ſexagenario major, & liberis careat aliis legitimis. *l. 15. § 2. l. 17. §. 2. 3. ff. h. t.* præcedat adoptatum plenâ pubertate, §. 4. *Inſt h. t.* nec planè & in perpetuum inhabilis ſit ad generandum. §. 9. *Inſt. h. t.* (VI.)

5. Generalis etiam utriuſque effectus eſt, quòd dignitas eâ augeri, at nunquam minui poſſit; & aucta duret, donec ſoluta fuerit adoptio. *l. 13. l. 35. ff. h. t.* Quòd ſi libertus à trono adoptatus fuerit, fiet ingenuus, ſaltem pro tali habendus erit reſpectu patroni. *l. 32. ff. de ritu nupt.* At non reſpectu extraneorum. *l. ult. ff. h. t. d. l. 32.* Non tamen adoptio confert jus ſanguinis, ſed tantùm agnationis. *l. 23. ff. h. t.* quæ *conſanguinitas* dicitur in *l. 44. ff. h. t.* Nec deficere cenſenda conditio *ſi ſine liberis*, adoptione factâ; ne in poteſtate hæredis ſit, quovis momento efficere, ut conditio deficiat. *l. 76. ff. de condit. & demonſtrat.*

6. Solvitur patria poteſtas morte naturali vel civili *pr & §. 1. Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolv.* dignitate omni, quæ liberat à curia, idque reſpectu onerum, non item quantum ad commoda. *Nov. 81. c. 1. §. 1. & c. 2.* Emancipatione (quæ eſt *relaxatio vinculi patriæ poteſtatis*) & vel legitima fuit vel Anaſtaſiana vel Juſtinianea. Quod ſi ſemel facta fuerit, vivo quidem filio pater controverſiam movere poteſt, quaſi non rite facta eſſet. *l 2 C. ſi adverſ. rem judic.* At non poſt ejus obitum. *l. 25. ff. h. t.* Extraneis tamen; quorum intereſt, id non prohibitum. *l. 5. C. ne de ſtatu defunct.* poteſt & pater filium emancipatum ob ingratitudinem in poteſtatem revocare, *l. un. C. de ingrat. liberis.* (IX, X, XI.)

7. Militiâ verò vel nuptiis patria poteſtas non diſſolvitur. *arg. l. 1. §. 5. ff. de libr. exhib. l. 1. in fin. ff. ad SConſ. Maced.* (XIII.)

8. *Moribus.* Patria poteſtas hodie per nuptias filiif. aut filiæf. extinguitur, uti & majorennitate, eo modo quo cura finitur: inſuper ſeparatâ filii habitatione & negotiatione per annum

Digitized by Google

nnum & diem patre non contradicente; niſi filius ſtudio-
im causâ abſit, aut peregrinetur: quod tamen in Friſiâ non
ceptum. Sed ſolennes emancipationes vix hodie obtinent,
nec adoptiones, Friſiâ exceptâ: imò ſi qui hodie de facto
optati fuerint, non liberorum, ſed magìs alumnorum jure
nſentur; unde nec patri adoptivo ab inteſtato ſuccedunt.
adoptionis tamen locum in quibuſdam regionibus ſuc-
ſit unio prolium, actus, quo causâ cognitâ, & accedente
igiſtratûs ac eorum quorum intereſt, conſenſu, parentes
aſculi vel feminæ ad ſecunda vota tranſeuntes id agunt, ut
l liberi utrimque ex primo matrimonio, vel nati ex pri-
o cum natis ex ſecundo matrimonio æqualiter ſuccedant,
rinde ac ſi ex uno omnes conjugio eſſent progeniti.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 48. de adoption. tit. 49. de emancip. li-
or. tit. 50. de ingrat. liberis.*

Tit. VIII.

De Diviſione rerum & Qualitate.

Compendioſa rerum diviſio eſt, quod vel communes
ſint, vel publicæ, vel univerſitatis, vel nullius, vel
gulorum. *pr. & §§. ſeqq. Inſt. h. t.* aut, quod eòdem redit,
vel nullius ſunt vel alicujus. Res nullius vel divini vel
mani juris ſunt. Res nullius & humani juris ſunt res jure
itium communes; *quæ uſu ſunt omnium, proprietate nullius,
int tamen primò occupanti,* non, quod in totum occupentur;
quoad aliquam ſui partem, quod in aëre, mari, littoribus
contingit. Quâ ratione quilibet in littore ædificare po-
, *l. 5. §. 1. ff h. t.* ut tamen conſultiùs ſit ad id impetrare
retum Prætoris. *l. 50. ff. de acquir. rer. dom.* Et ædificando
lominus illius partis, quam occupavit. *l. 6. ff. h. t.* Quippe
: nullius fuit, alioquin inædificata ſolo cedunt, cum ali-
s exiſtit ſoli dominus. *§. 29. 30. Inſt. h. t.* Quamvis verò
ittora imperium exerceri poſſit, quo reſpectu & populi
nani eſſe dicuntur. *l. 3. ff. ne quid in loco public.* Proprietate
ien manent communia. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

. Res nullius ſed divini juris vel ſacræ, vel ſanctæ, vel
gioſæ ſunt. Sacræ dicuntur, *quæ rite per Pontificem Deo con-
ıtæ,* vel, *quæ autoritate publicâ ab uſu profano ad uſum pium
ılatæ ſunt.* Et tantus religionis favor eſt, ut dirutâ æde ſa-
locus adhuc ſacer maneat. *§. 8. Inſt. h. t.* Secus, quam eſt
ttore, cui caſa impoſita fuit iterumque diruta, quod de-
ficiente

ficiente religionis favore priſtinam naturam recuperat. *l. 6. ff. h. t.* Quod ſi bona ab hæreticis ſint conſecrata; non in profanos, ſed alios licitos uſus ſacros convertenda. *arg. l. 16. ff. de uſu & uſufr. leg.* Obſt. *l. 5. C. de paganis.* Reſp. agit de iis, quæ falſis Diis & dæmoni conſecrata, quæ ſi ab hoſtibus capiantur, ſacra eſſe deſinunt. *l. 36. ff. de Religioſ.* Licèt id ipſum de facto magìs quàm de Jure intelligendum ſit, quatenus inter Gentiles non erat illa Sacrorum Communio, ſed alii alia agnoſcebant ſacra, cultum alium, alióſque Deos tutelares; cæteroquin jure poſtliminii res tales recipiunt priſtinam rerum ſacrarum naturam. *d. l. 36.* (V, VI.)

3. Res ſanctæ ſunt, *quæ ab injuriis hominum ſanctione defenſæ ſunt ac munitæ*, ita dictæ vel à ſanctione vel à ſagminibus. *§. 10. Inſt. h. t. l. 8. ff. h. t.* Tales ſunt legati, portæ, muri civitatis, pœnâ capitali in eorum violatores conſtitutâ. *l. ult. ff. h. t. l. ult. ff. de legation.* Quæ & in muris municipiorum propter rationis parilitatem obtinet. *arg. l. 8. §. 2. ff. h. t.* (VII.)

4. Res religioſæ ſunt, *quas quiſque facit autoritate privatâ, dum mortuum infert in locum ſuum, vel alienum Domino permittente.* De quibus alibi *tit. de Relig.*

5. Res alicujus vel plurium ſunt vel ſingulorum. Ille iterum vel publicæ, vel univerſitatis. Publicæ ſunt *quæ Jure Dominii ad populum univerſum pertinent*, ut portus, pleráque flumina *l. 4. §. 1. h. t.* nam & flumina quædam privata ſunt. *l. 1. §. 3. ff. de flumin.* Res univerſitatis dicuntur, *quæ Jure Dominii ad Collegium, Municipium, aliámve Univerſitatem pertinent.* (VIII, IX, X.)

6. Alio inſuper modo res dividuntur, quod vel *corporales* ſint vel *incorporales*. Illæ dicuntur *quæ ſuâ naturâ tangi poſſunt*; hæ, *quæ tangi nequeunt & in Jure conſiſtunt*, ut ſervitutes, hæreditates, nomina, &c. *tit. Inſt. de reb. corp. & incorp.* Corporales iterum vel *mobiles* ſunt, qualis ſupellex; vel *immobiles*, quæ *non poſſunt de loco in locum moveri*, ut ædes & fundi, vel *ſeſe moventes*, quales ſervi & animalia. (XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI.)

7. *Moribus.* Res hodie vulgo in allodiales & feudales dividuntur; & omnes rerum ſpecies ferè ad mobilia & immobilia reduci ſolent juxta ſtatutorum interpretes, licèt naturâ ſuâ incorporales eſſent. Sic ut actiones in perſonam, ut & in rem mobilem mobilibus, in rem verò immobilem immobilibus annumerandæ ſint, ex probabiliori ſententia. *arg. l. 15. ff. R. J.* De his latè parens p. m. Paulus Voet. *tract. de mobil. & immobil.*

nobil. Quin tamen ex hominis diſpoſitione, per teſtantum vel aliter fieri poſſit, ut rerum incorporalium nquam à corporalibus diſtinctarum ratio haberi poſſit, uaquam dubium. Vide *Sande deciſ. Friſ. libr. 4. tit. 4 def. 6.* terùm nulla inter Reformatos ſepulchris adeſt religio, templis ſanctitas, licèt in violatores aut ſcelere profanites graviùs animadvertatur. Sepulchra verò etiam in nmercio eſſe; & actu inter vivos aut ultimâ voluntate nari poſſe vulgatum eſt. Flumina autem non tam pua, quàm regalibus annumerata.

Tit. IX.
De Senatoribus.

SEnator eſt, qui in ordinem Senatorium eſt cooptatus; licèt, latiùs ſumpto vocabulo, ſit qui jus dicendi ſeniam in Senatu habet *l. ult. in fin. ff h. t.* Senatus eſt, ſeleum virorum, non plebeiorum cœtus: erant autem dam Senatorum ordines; eóque ſpectat. *l.* 15. §. 2, 3. *ff. cuſ. tutor.* Licèt & ipſe Senatus ordo fuerit, ex quo Maatus potiſſimum eligebantur: cui varia conceſſa prigia, veluti fori. *l. 2. C. ubi ſenat. vel clariſſ.* Duplicis doii, tum Romæ, tum in municipio, unde oriundi. *l* 11. *t.* Inſuper, quòd filii ex ſenatore nati Senatorii ſint, ignitatis paternæ participes, licèt nati ante dignitatem. *ff. h. t.* Cùm liberis non ſint invidendi honores paterni. *. C. de dignitat.* modò ante nati id à Principe petierint, obſtaculo impetraturi *arg. l.* 23. §. 5. *C. de nupt.* non pees, quia videntur honorem paternum contempſiſſe, non erunt participes. De quo caſu intelligenda forſan *. C. de decurion* [I, II, III, IV.]

Uxor quoque Senatoris mariti ſui dignitatem ſequieamque dum vidua eſt, retinet: ſed iterato nubens noris conditionis marito, ex ejus perſonâ æſtimatur, niſi ipto obtinuerit, ut primi mariti retineret dignitatem. *. ult. ff. h. t.* Idémque juris eſt in Senatorum filiabus inori nubentibus. *d l. 1* (V, VI, VII, VIII, IX.)

Perit autem hæc dignitas Senatoria, ſi Senatu motus it Senator. *l.* 2. 3. 4 *ff. h. t. §.* 5. *Inſt. de cap. dimin.* dignitatis privatio etiam ad liberos ex Senatore jam ne moto conceptos extenſa eſt, de quibus accipienda

l. 11. C. de quæſtion. liberis enim ante vel natis vel conceptis hæc non nocet macula paterna. *l. 7. §. 1. 2. ff. h. t.* [x.]

Tit. X.

De Officio Conſulis.

1. MAgiſtratus Romani vel Urbani fuerunt vel Provinciales. Urbanos inter primi occurrunt Conſules, à conſulendo dicti. Hi initio quidem juri reddendo, ſed deinde bellis gerendis magìs intenti; tandem honoris titulum & umbram magìs, quàm veram poteſtatem habuerunt. Judicabant de liberali cauſa, judices, tutores dabant, ac penes eos manumiſſio, adoptio & ſimilia expedita. Quin & apud ſe Conſul, ut ut annis 20. minor, ſuum potuit ſervum manumittere. *l. 20. in fin. ff. de manum. vind.* Licèt id apud collegam non potuerit, propter parem poteſtatem. *l. 18. §. 1. ff. de manum. vind. l. 14. ff. de manumiſſion.* Obſt. *l. un. in fin. ff. h. t.* Reſp. ſenſus eſt, quòd apud ſe poſſit manumittere, ubi cauſa manumiſſionis apud collegam fuerit probata. (I, II.)

2. Fuerunt autem Conſules vel ordinarii, initio anni electi, vel ſuffecti, qui medio tempore in deficientium locum ſurrogati: à quibus nec anni numeratio, ſed tamen Senatus-conſultorum denominatio videtur facta, Trebelliani forſitan ac Pegaſiani. (III.)

* Adde *ex Cod. libr. 12. tit. 2. de Conſulibus, &c.*

Tit. XI.

De Officio Præfecti Prætorio.

1. FUit & Præfectus Prætorio, qui præerat militibus ad cuſtodiam Principis lectis: ejúſque paulatim accrevit dignitas, ut adeptus fuerit diſciplinæ publicæ emendationem, & tandem ad eum loco Principis factæ fuerint appellationes, nec ab eo ad Principem ultra provocari, ſed tantùm ſupplicatio fieri potuerit. *l. un. ff. h. t. l. un. C. de ſent. præfect. prat.* Tales aliquando eodem tempore plures fuerunt; ſub Juſtiniano quatuor, puta Orientis, Illyrici, Africæ, & Italiæ: quibus & Jus edicta condendi datum fuit, quæ *formæ* appellatæ. *l. 2. C. de off. præf. prat. orient.* (I, II.)

* Adde

* Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 26. *de off. præf. prætorio orient. & Illy-*
i. tit. 27. *de off. præf. prætorio Africæ, &c. lib.* 12. *tit.* 4. *de*
f. prætorio, &c.

TIT. XII.
De Officio Præfecti Urbi.

TEmpore Regum, ut & ſub Conſulibus, donec Prætores creati, præcipuè verò ſub Impp. fuit Præfe-is Urbi; cujus officium erat tueri quietem populi & po-larium, quem in finem ſtationarios habebat milites. *l.* 1. 2. *ff. h. t.* Etiam de criminibus omnibus cognoſcere in liâ intra centeſimum lapidem. *l.* 1. *pr. & §.* 4. *ff. h. t.* quod itium *terminorum urbis* venit appellatione. *l. ult. ff. h. t.* & quid peccatum eſſet, poterat vel ad tempus vel in perpe-ım alicui interdicere negotiatione, profeſſione, advo-ione, foro, ſpectaculis. *l.* 1. *§. pen. ff. h. t.* cùm tamen ſes id tantùm potuerit ad tempus ſuæ adminiſtrationis. *t. ff de pœnis.* Fortè quia hujus imperium tantùm tem-ale erat, at Præfecti urbi perpetuum, donec viveret. ram etiam annonæ habebat, ut juſto pretio divendere-. *l.* 1. *§.* 11 *ff. h. t.* Quamvis Decurionibus, quorum mi-poteſtas erat, non licuerit pretia grani conſtituere. *l. ult. ff. ad leg. Jul. de annon.* [I, II, III, IV.]

. *Moribus.* Magiſtratus cujuſque civitatis pretium an-ıæ, ſi id ex utilitate civium futurum credat, poteſt con-ıere, licèt id in noſtris regionibus, excepto pane, vix ptum ſit.

Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 28. *de off. præf. urb.*

TIT. XIII.
De Officio Quæſtoris.

QUæſtores alii parricidii fuerunt, alii ærarii, qui pe-cuniæ publicæ conquirendæ præerant. Et hi pri-n in urbe bini pecuniæ urbanæ colligendæ præpoſiti. poſtea alii creati, qui militaris pecuniæ curam habe-:, prædas vendebant, ac in ærarium redigebant. Tan-cum ſingulis Proconſulibus aut pro Prætoribus in Pro-ias miſſi Quæſtores fortè lecti. *l.* 1. *§.* 2. *ff. h. t.* Præter & aliud Quæſtorum genus fuit, qui Candidati Princi-ppellati, orationes ejus in Senatu recitabant, ac po-

ſterioribus temporibus omnem juſtitiæ in aulâ adminiſtrandæ curam habebant. *l.* 1. §. *ult. ff h. t. l.* 7. *C. de diverſ. reſcript. l.* 1. 2. 3. *C. h. t. l.* 32. *C. de appel.* Jure novo quæſtores ſacri pallatii appellati. [I.]

2. Fuit & jure noviſſimo quæſtor, qui in vagabundos, mendicos, &c. inquirebat ac labori addicebat, & de crimine falſi nec non concuſſionibus exſecutorum cognoſcebat. *nov.* 10. (II.)

* Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 30. *de offic. quæſtor tit.* 23. *de off. comit. ſacrar. largition. tit.* 33. *de off. Comitis rer privat.*

TIT. XIV.
De Officio Prætorum.

1. PRætores olim dicti omnes Magiſtratus à præeundo. Sed in ſpecie Prætores ſunt, qui juri dicundo præſunt. Creatus primò fuit Prætor *Urbanus*, cui deinde *Peregrinus* additus. *l.* 2. §. 27. 28. *ff. de or. juris.* Conſiſtebat autem Prætoris officium in tribus, quæ tribus expreſſa verbis, *do, dico, addico*, Licèt & poſtmodum uſque ad Hadriani tempora edicta condiderit. De cætero civilem habuit juriſdictionem, non criminalem. *arg. l.* 1. *pr.* & §. 4. *ff. de offic. præfect. urbi.* §. *antep.* & *pen. Inſt. de ſuſpect. tutor.* Ut tamen ſervi & viles perſonæ verberibus coërcerentur ob illatam injuriam, conſtituere potuit. *l.* 17. §. 4. *l.* 35. *ff. de injur.* Quòd ſi quis à Prætore ſe gravatum putaret, ab eo ad præfectum urbi patebat appellatio *l.* 38. *ff. de minor.* 25. *ann.* (I, II, III, IV, V.)

2. Sed occaſione *l.* 3 *ff. h. t.* diſceptatum, an error communis populi jus faciat? Quod negandum *arg. l.* 39. *ff. de legib.* nec obſt. *de l.* 3. *ff h. t.* cùm non aliud velit, quàm quòd geſta à Barbario Philippo, ſervo, ſed per errorem ſuffragiis populi prætore creato, valeant, non propter errorem, ſed magìs ob populi approbationem, diſcuſſo jam errore ac compertâ veritate, ſubſecutam; idque ex æquitate ac juſtis de cauſis, tum ne plurima negotia bonâ fide geſta reſcinderentur cum detrimento Reipublicæ, tum etiam, quia populus vel ſervo libertatem dare, vel legem de ſervis quoque in prætorem eligendis condere potuiſſet; atque ita Barbario præturam decernere. Obſt. *l.* 3. *in fin. ff. de ſuppell. leg.* Reſp. agit tantùm de errore reſpectu ſignificationis vocis, qui error jus facit, cùm verba uſu valeant. [VI, VII.

* Adde *ex Cod. lib.* 1. *tit.* 39. *de offic. prætorum.*

TIT. XV.

De Officio Præfecti Vigilum.

PRæfectus Vigilum eſt Magiſtratus extraordinarius. *l. 2. §. 33. ff. de Orig. jur.* Cujus officium erat, ut :em cohortibus præpoſitus nocturna furta, incendia, actiones, tumultus arceret; de furibus, raptoribus, actionibus cognoſceret, eóſque fuſtibus, flagellis, vir-, coërceret, non item ultimo afficeret ſupplicio *l. 3. §. 1. ff. h. t.* Præterquam ſi ſervi eſſent. *l. pen ff. de condict. cauſ. n.* Niſi in *d. l. pen.* non jus, ſed factum narrari dixe-[1.]

. Sed abrogatus fuit jure novo hic honor, eò quòd ſa-hi præfecti cum ipſis furibus conſpirarent; & eorum o conſtitutus eſt prætor plebeius. *nov. 13.* (11.)

Adde *ex Cod. lib. 1. tit. 43. de off. præf. vigil.*

TIT. XVI.

De Officio Proconſulis & Legati.

PRovinciales Magiſtratus fuerunt varii. Inter quos præcipui Proconſules, miſſi in Provincias populi nani cum pleniſſima poteſtate, mero & mixto impe-*l. 1. 2. 7. §. 2. & 9. ff. h. t.* Quorum officia paſſim oc-runt *h. t.* vide *l 4 §. 3. 4. 5. l. 6. §. ult. l 7. l. 9. §. 1 99 ff. h. t.* & in his ſingulare fuit, quòd tenerentur ex o uxorum, ſi cum illis iter facerent. *l. 4. §. 2. ff. h. t.* 11]

. His adjungebatur legatus, cui Proconſul mandabat ſdictionem, ſi eam ipſe exercere nollet: nec legato præ-:o alteri mandare poterat *l. 3. §. 6. ff. h t.* Legatus ı nihil quidem proprium habebat, antequam à procon-mandata ei eſſet juriſdictio. *l. 12. l. 13. ff. h. t.* eâ verò ıdatâ, propriam exercebat, ſuo, non Prconſulis ıine. *arg. d l. 13. ff. h. t.* Unde & ab eo ad Proconſu-appellatum. *l. 2. ff. quis à quo appelletur*, & tutoris di poteſtatem habuit. *l. 1. §. 1. ff. de tut & curat dat.* tamen mandari nequit. *l. 8. ff. eod.* Habuit & judicis di licentiam, *l. 12. §. 1. ff. de judiciis* quæ non com-ei, qui alieno nomine exercet juriſdictionem. *l. 5. C. eod.*

eod. Nec Proconſul inconſulto Principe potuit Legato juriſdictionem adimere. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Sic ut *mandatum* in legato non deſignet delegationem juriſdictionis, ſed magis juſſum & admonitionem, ut legatus exerceat juriſdictionem, ſuo nomine & jure ſuo ſibi competentem: & mandatum ſit quaſi *conditio ſine quâ non.* (III, IV.)

3. Civilem autem legatus, non criminalem habet juriſdictionem. *l. 6. pr. l. 11 ff. h. t.* Secus quàm eſt in legatis Cæſaris, qui cùm inſtar præſidum ſint, & criminalem habent *l. 14. ff. de SCto Silan.* junct. *l. 12. ff. accuſ. l. pen. ff. de off. praeſ.* cognitio tamen cuſtodiarum legato Proconſulum extra ordinem demandata fuit. *l. 6 ff. h. t.* (V.)

4. Potuit & apud eum manumiſſio, adoptio, aliíque ſimiles actus legitimi, expediri. *l. 17. §. 1. ff. de manum. vind.* Obſt. *l. 2. §. 1. l. 3. ff. h. t.* Reſp. agit de legato provinciam necdum ingreſſo (cohæret enim cum *pr. d. l. 2.*) qui *talem juriſdictionem* non habebat, qualem Proconſul, antequam provinciam ingreſſus eſſet; cùm ea debuerit ipſi à Proconſule mandari. *d. l. 13. ff. h. t.* Mandari verò non potuerit, niſi poſtquam & ipſe Proconſul ſuam ingreſſus eſſet provinciam. *l. 4. § ult. ff. h. t.* Poſtquam ergo is intraverit & mandaverit, apud legatum eſſe poterit legis actio. (VI.)

* Adde *ex Cod. libr. 1. tit. 35. de offic. Proconſ. & Legati.*

Tit. XVII.

De Officio Præfecti Auguſtalis.

1. Præfectus Auguſtalis erat, qui Ægypto, provinciæ Cæſaris validiſſimæ præerat; voluntariam & contentioſam habens juriſdictionem. Ejus curâ exigebantur tributa. *l. 1. C. h. t.* Dabat & in ea provincia tutorem. *l. 1. ff. de tut. & curat. dat. &c.* Apud eum fiebat manumiſſio. *l. 21. ff. de manum. vind.* Interdicebat poſtulationibus. *l. 1. C. de poſtuland.* Cognoſcebat de delictis Judicum ordinariorum & ad Principem referebat, non ipſe puniebat. *l. 2. C. h. t.* (I, II.)

* Adde *ex Cod. Lib. 1. tit. 37. de off. praef. aug.*

Tit.

Tit. XVIII.
De Officio Præſidis.

PRæſidis nomen generale eſt, ut & Proconſules contineat & omnes alios qui Provinciæ præſunt cum mero & mixto imperio *l.* 1. *ff. h. t.* at Præſides in ſpecie dicti ſunt Legati, qui à Principe in Provinciam mittuntur, Proconſulibus diſtincti. *arg. l pen. ff. h. t.* Hi, licèt ultimo potuerint afficere ſupplicio, non tamen deportare. *l.* 2. §. 1. *ff. de pœnis.* Obſt. *l.* 6. §. *ult. ff. de pœnis.* Reſp. ibi præſidis vocabulum generaliùs accipitur, ùt & Proconſules comprehendat. *l.* 1. *ff. h. t.* Varia autem Præſidum officia deſcribuntur in *l.* 3, 13, 14, 16, 18, 19, *& paſſim h. t.* [1, II, III, IV.]

* Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 40. *de off. Rectoris Provinciæ.*

Tit. XIX.
De Officio Procuratoris Cæſaris vel Rationalis.

1. PRocurator Cæſaris eſt, qui præeſt cauſis fiſcalibus & Patrimonio Cæſaris. Civilem habuit, non criminalem juriſdictionem, niſi præſidis vice fungeretur. *l.* 2. *C. de pæn.* Poſt dictam tamen ab alio criminalem ſententiam cognoſcebat, ſi de bonis damnati Fiſco vindicandis quæſtio eſſet. *l.* 1. 2. *C. ubi cauſ. fiſc.* Cæterùm nec civilem inter omnes perſonas & omnibus cauſis juriſdictionem habuit *l.* 2. 5. *C. ubi cauſa ſtat. l.* 2. *C. de pedan. judicib.* niſi ea ipſi à partibus fuiſſet prorogata. *l.* 1. *C. de juriſdict.* Noviſſimè creati fuerunt comites ſacrarum largitionum, & comites rerum privatarum, de quibus *tit. Cod.* (1, II.)

Tit. XX.
De Officio Juridici.

1. JUridicus Alexandriæ adjunctus fuit Præfecto Auguſtali, ut ibidem jus diceret. Hic & tutoris dandi poteſtatem habuit & legis actionem. *l.* 1. 2. *h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit. ult. de off. jurid. Alexandriæ.*

Tit. XXI.

De officio ejus cui Mandata eſt Juriſdictio.

1. DE mandata juriſdictione & mandatarii officio plenius ad tit. 1. libri ſequentis dicendum eſt.

Tit. XXII.

De Officio Aſſeſſorum.

1. MAgiſtratûs majores, quia ſæpè juris imperiti erant, ſuos habebant aſſeſſores, quorum officium in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis conſiſtebat. *l.* 1. *ff. h. t.* Ut ſcilicet circa hæc omnia Magiſtratibus jura ſuggererent; quæ ſi per imperitiam malè ſuggeſſiſſent, litem ſuam faciebant. *l.* 2. *ff quod quiſque iuris, &c.* Imò jure novo cauſarum cognitio etiam potuit aſſeſſoribus per Præſides mandari, reſervatâ ſibi ſententiâ, *auth. ad hac C. de judiciis* (I, II)

2. Nemo autem eodem tempore ſimul Aſſeſſoris & Advocati munere fungi poteſt in eodem vel diverſis auditoriis. *l ult. C. h. t.* Cauſa tamen Aſſeſſoris, licèt in eo auditorio, in quo aſſidet, ventilari nequeat, in alio tamen auditorio agi poteſt, per alios ſcilicet Advocatos: qui ſenſus eſt *l. pen ff. h. t.* nec obſt. quod ejus officium in *poſtulationibus* dicitur conſiſtere. *l.* 1. *ff. h. t.* Id enim non alio reſpectu, quàm quòd Judicem inſtruere teneatur, ne quid apud eum per poſtulantes fiat contra edictum de poſtulando. (III, IV.)

3. Pro operâ præſtitâ aſſeſſoribus aſſignantur ſalaria, & quidem integra totius anni, licèt medio tempore Præſes ſit mortuus, modò alteri operas eo anno non addixerint; ſed, ſi Præſes intra annum Succeſſorem acceperit, non debetur anni integri ſalarium. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 19. §. *ult. ff. locati.* [V.]

* Adde ex *C. l. lr.* 1. *tit.* 51. *de Aſſeſſor. & domeſt. & Cancellariis judicum.*

LI-

LIBER II.

TIT. I.

De Juriſdictione.

UT latiùs patet jus dicentis officium (de quo in *l. 2. h. t. l. 19. ff. de offic. Præſid. l 6. §. ult. ff. de Off. Proconſ.*) quàm juriſdictio; ita & latiùs notio extenditur quàm juriſdictio: quatenus juriſdictio, [qu]æ notionis ſpecies eſt, Magiſtratibus competit; notio [v]erò nuda ſine juriſdictione, propriè ſic dicta, etiam peda[n]eis judicibus. Ex quâ nudâ notione fluit, quòd Judices [p]edanei poſſint deferre jusjurandum. *l. 31. ff. de jurejur. l. 4.* [§.] *1. de in lit. jur.* Rerum facere æſtimationem, *l. 4. §. ult. ff. de* [i]*n lit. jurand.* Excludere à Jure probandi; reum pro confeſſo [h]abere. *l. pen. ff. de Confeſſ.* Jubere rem litigioſam deponi, [d]onec ſatisdetur. *l. 5. ff. fam. erciſc. tot. tit. Inſt. de Offic. judic.* (I, II.)

2. Juriſdictio eſt *poteſtas publica judicandi & exſequendi cauſas ad judicia ſpectantes ſive civiles ſive criminales*, generaliter conſiderato juriſdictionis vocabulo. Alii aliter definiunt, prout vel ſtrictiùs pro civili tantùm, vel ſtrictiſſimè pro ordinariâ tantùm Juriſdictione vocem accipiunt. Dividitur in *voluntariam & contentioſam. Voluntaria* eſt, *quæ inter volentes exercetur. Contentioſa*, quæ *inter invitos, cauſa cognitione interveniente exerceri poteſt. l. 2. ff. de Offic. Proconſ.* Quædam tamen propriè nec ad voluntariam nec ad contentioſam referri poſſunt, ſed velut medium inter utramque obtinent, ut tutoris datio, decreti interpoſitio ſuper alienatione bonorum pupilli, vel tranſactione de alimentis teſtamento relictis, donationum inſinuatio, apertura teſtamenti, oblatio, conſignatio & depoſitio pecuniæ, aliaque ſimilia: quæ etiam die feriato expediri poſſunt. *l. 2. 3. ff. de feriis.* (I, III, IV.)

3. Eſt inſuper Juriſdictio vel *civilis*, quæ *circa cauſas civiles verſatur*; vel *criminalis*, quæ *verſatur circa cauſas criminales. l. 1. ff de offic. ejus cui mand. juriſd.* (V.)

4. Item vel *ordinaria*, quæ *alicui jure Magiſtratûs compe-*

tit; vel *extraordinaria ſeu legalis*, quæ *non Jure Magiſtratûs, ſed ex ſpeciali lege, Senatusconſulto aut Principis conſtitutione conceſſa eſt.* Ut criminalis juriſdictio *l. 1. ff. de off. ejus cui mand juriſd.* Tutoris datio. *l. 6. §. 2. ff. de tutelis.* Decreti interpoſitio ſuper tranſactione de alimentis teſtamento relictis *l. 8. de tranſact.* Judicis dandi poteſtas in Magiſtratu provinciali. *l. 12. §. 1. ff. de judic.* (VI.)

5. Eſt & vel *propria*, *quam quis exercet ſuo nomine*. vel *demandata* ſeu *delegata*, *quam quis exercet nomine ejus, qui mandavit*; ſive tota juriſdictio, ſive una ſpecies mandata ſit. *l. 16. ff. h. t.* Demandari autem ea tantùm poſſunt, quæ quis Jure Magiſtratûs habet & jure proprio. *l. 5. ff. h. t* Non ergo tutoris datio. *l 8. ff. de tut. & curat. dat. ab his, &c.* Nec criminalis juriſdictio, niſi in caſu abſentiæ. *l. 1. ff. de off. ejus cui mand juriſdict.* aut infirmitatis, ſi ea tanta, ut mentis uſum impediat, *arg. l. ult. ff. V. S. l. 2. §. 7. ff. de vacat. & excuſ. mun.* Non etiam juriſdictionem rurſus alteri mandat delegatus. *l. ult. ff. de off. ejus cui mand. juriſd.* Niſi vel ſubdelegandi poteſtas ei data ſit, vel à Principe ſit delegatus *l. 5. C. de judic.* Differt autem hic Delegatus ſeu Mandatarius juriſdictionis à Judice dato, reſpectu appellationis, ùt patet ex *l. 2. ff. quis à quo appell.* ùt & in ſententiæ executione, quàm Mandatarius nomine mandantis facere poteſt; non item Judex datus. *l. 15. ff. de re Judic.* (VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII.)

6. Cæterùm Magiſtratus præter juriſdictionem habent & *imperium*, quod vel *merum* vel *mixtum* eſt. *Merum imperium* eſt *poteſtas animadvertendi in facinoroſos homines. l. 3. ff. h. t.* Cujus varii gradùs ſunt, quatenus vel vita naturalis adimitur; vel civilis, vel denique corporis coërcitio aut mulcta ob crimen imponitur. *l. 28. ff. de pœnis. Mixtum imperium* eſt, *quod Juriſdictioni cohæret*, ſeu, *cui ineſt Juriſdictio*: *l. 3. ff. h. t. l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus cui mand. juriſdict.* cui adſcribitur, mittere in poſſeſſionem, in integrum reſtituere, exſequi ſuas & à ſe datorum Judicum ſententias, dare Judicem, eúmque ad judicandum adigere. *l. 3. l. 4 ff. h. t.* ſi quis tamen judicem dediſſet, ipſe poſt depoſitum officium cogere eum ad judicandum non poterat; veluti, Prætor poſt annum *l. 13. ff. h. t.* ſed Succeſſor datum à Prædeceſſore judicem ad judicandum adſtringit. *l 49. §. 1. ff. de judic.* Olim etiam ad mixtum imperium pertinuit, *dare bonorum poſſeſſionem. d. l. 3. ff. h. t.* ſed jure novo bonorum

poſſeſſio

Digitized by Google

poſſeſſio non tam datur, quàm potiùs apud quemvis Judicem agnoſcitur. *l. ult. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* [XXXIX, XL, XLI, XLII.]

7. Noti tamen ſunt in jure actus nonnulli, quos pro ſubjecta materia aliquando ad merum, aliquando ad mixtum imperium meritò retuleris; qualis eſt incarceratio; quæ ſi in cauſa criminali adhibeatur, ad merum; ſi in cauſa civili, ad mixtum pertinebit imperium. *l. 1. l. 3. ff. de cuſtod. & exhib. reor. l. 2. C. de exactor. tribut. l. 8. C. qui bon. ced. poſſ.*

8. Simplex autem Juriſdictio ſine modica coërcitione, id eſt, coërcendi & cogendi poteſtate, non datur. *l. ult. ff. de offic. ejus cui mand. juriſd.* licèt diſtincta ſit imperii & juriſdictionis natura; atque etiam alia negotia magis, alia minùs adjunctum habeant imperium, & inde vel magis imperii vel magis juriſdictionis eſſe dicantur. *l. 26. ff. ad municipal.* cumque imperium mixtum ac juriſdictio adeò firmo nexu cohæreant, ut ſeparari nequeant. *arg. d. l. ult.* non mirum, ſi quid in una lege juriſdictioni adſcribatur. Quod in alia tribuitur imperio; ùt, judicis dandi poteſtas. *l. 5. ff. h. t.* junct. *l. 12. §. 1. ff. de judiciis.* neque enim juriſdictio excludit imperium, aut vice verſa. Et ea quidem, quæ magis imperii ſunt, ſoli habent magiſtratus majores; reliqua & minoribus competunt. *l. 26. ad municip.* uti id colligere eſt ex iis, quæ minoribus Magiſtratibus tribuuntur in *l. 12. ff. h. t. l. 4. §. 3. ff. de damno inf. l. 3. ff. de tut. & curat. dat. ab his. §. 5. Inſtit. de Attil. tutor. l. ult. ff. de decret. abord. faciend.* Obſt. *l. 32. ff. de injuriis* junct. *l. 2. ff. de in jus voc.* Reſp. ſine imperio eſſe dicuntur, quatenùs carent iis, quæ magis imperii, quàm juriſdictionis ſunt. (XLIII, XLIV.)

9. Acquiritur juriſdictio ex conceſſione Principis vel populi, non privatorum pactis. *l. 3. C. h. t.* licèt prorogari pacto poſſit. *l. 18. ff. h. t. l. 1. 2. ff. de judic.* non tantùm reſpectu perſonarum, quæ ſponte ſe ſubjiciunt, aliàs nullo modo vel non immediatè ſubjectæ: *l. 18. ff. h. t. l. pen. C. de pactis. l. 1. C. h. t. l. 51. de Epiſc. & Cleric.* ſed & rerum ſeu cauſarum intuitu, quarum definitio, non factâ prorogatione; aliis competiiſſet. *l. 28. ff. ad municip. l. 74. §. 1. ff. de judic. arg. d. l. 1. C. h. t.* imò & temporis ratione, quod prolongatur. *l. 2. §. 2. ff. de judic.* modò id caveatur, ne ex prorogatione oriatur juriſdictionum & ordinis judiciarii

judiciarii publicè ſtabiliti confuſio ; quod fieret, ſi extra territorii ſui fines, vi prorogationis, judex judicaret; quod proinde illicitum, præſertim cùm eo caſu pro privato habeatur. *l. 3. ff. de offic. præſid. l. ult. ff. de offic. præſid. urbi.* (XIV, XXXIII, XXXIV, XXXV.)

10 Nec refert, expreſsè fiat prorogatio, an tacitè; ipſo nempe facto, aditione actoris & patientiâ rei exceptionem fori declinatoriam non opponentis. *l. 1. l. 4. C. h. t.* an denique ipſo jure; quatenùs in cauſa reconventionis judicare poteſt judex alioquin incompetens, reo id deſiderante. *l. 11. §. 1. ff. h. t. l. 14. & auth. & conſequenter. C. de ſent. & interloc.* Quemadmodum nec intereſt, ordinario, an delegato Judici ſit facta prorogatio: cùm enim delegatus conſideretur ex perſonâ delegantis, & ejus juriſdictionem exerceat; non eſt, cur non in eo æquè ac in ordinario admittatur prorogatio. *arg. l. 10. ff. h. t.* quò facit, quòd *l. 1. ff. de judic.* generaliter in omnibus qui tribunali præſunt, aut aliam juriſdictionem habent, prorogationi locum dat. Præcipuè autem in cauſis civilibus recepta eſt, cùm in criminalibus vix prorogatione opus ſit. *arg. l. 1. C. ubi de crimin. l. 3. l. 13. ff. de offic. præſid.* Nec pœnitentiæ locus erit, ſi ſtipulatione vel pacto contractui adjecta facta ſit. *l. pen. C. de pactis. l. 51. C. de Epiſc. & Cleric.* ſecus, ſi nudo pacto, & necdum aditus ſit Judex, cui erat prorogatum. *l. 18 h. t.* Vel potiùs ad conciliandam *d. l. pen.* cum *d. l.* 18. dicendum eſt, *legem penult. C. de pactis* agere de reo, qui prorogationem fecit in gratiam actoris, & ab eâ ex pœnitentia recedere nequit, ne actori jus quæſitum agendi apud Judicem, ex prorogatione competentem, adimat; *legem* verò 18. accipiendam eſſe de actore, in cujus utilitatem prorogatio facta, qui, quamdiu non adivit Judicem ex prorogatione competentem, electionem adhuc ſalvam habet, utrùm, apud ordinarium, an apud eum, cui prorogatio facta, litigare velit, adeóque non ſtare pactioni prorogationem continenti, quâ id agebatur, ut alius pro alio prætor adiretur; ſed ſi ſemel adierit competentem ex prorogatione, non ampliùs mutare, & ad ordinarium Judicem transferre litem poteſt, quia ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debet. *l. 30. ff. de judiciis.* (XV, XVI, XVIII, XIX, XXV, XXXI, XXVII.)

11. Acquiritur & juriſdictio ſecundùm DD. per præſcriptio-

ſcriptionem longi vel longiſſimi temporis, emptionem, donationem, ultimam voluntatem, &c. ſed id moribus hodiernis magis quàm Juri Romano convenit, quatenus juriſdictio conſideratur ut quid patrimoniale: circa quam eo reſpectu actio confeſſoria & negatoria, ut & interdicta utì poſſidetis, &c. locum habent; ac tranſit cum territorio cui cohæret, ad hæredes aut ſucceſſores particulares Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, aliorúmque eam quaſi poſſidentium. Juri tamen Romano congruum videtur, quòd is, cui conceſſa juriſdictio à populo vel Principe, poſſit præſcriptione id acquirere, ut juriſdictionem latiùs exerceat. *l. 8. C. de diverſ. offic.* licèt alioquin privatus juriſdictionem dolo malo uſurpans læſæ majeſtatis reus fit. *l. 2. ff. ad leg. Jul. majeſt.*

12. Exercetur juriſdictio in eos, qui ſunt in territorio, non extra. *l. fin. ff. h. t.* (excepto caſu *l. 51. §. 7. ff. de fideic. libert.*) ſive quantùm ad perſonam, ſive quantùm ad bona ſubjecti ſint. Et ſufficit, litis initio quem juriſdictioni ſubjectum eſſe, licèt lite pendente, eſſe deſierit. *l. pen. ff. h. t.* ex fundamento legis 30. *ff. de judiciis.* Si quis tamen ſubjectus non ſit, venire tenetur, ut doceat, ſe juriſdictioni illius, ad quem vocatus eſt, haud ſubeſſe. *l. 5. ff. de judic.* Sed & in cadavera nec non in bruta juriſdictionem exerceri poſſe, conſtat, quatenùs cadavera ignominiosè habita exemplo ſunt aliis, & fœdi criminis memoria perempto bruto extinguitur. Vide *l. 28. §. pen. ff. de pœnis. l. 2. ff. de cadav. punit.* licèt alioquin crimina morte extinguantur, quatenùs mortui non ultra affliguntur aut ſentiunt. *l. 6. ff. de publ. judic.* Sibi autem vel ſuis nemo jus dicere debet, non uxori, non liberis, &c. *l. 10. ff. h. t.* niſi conſentiente adverſario *l. 77. ff. de judic.* junct. *l. 6. ff. de receptis.* vel niſi quæratur, an prætoris ſit juriſdictio. *l. 5. ff. de judic.* ut in caſu *l. 13. §. ult. l. 14. ff. ad SConſ. Trebell.* (XLVI, XLVIII. XLIX, L, LI.)

13. Finitur juriſdictio morte ejus cui conceſſa, quia perſonalis: lapſo tempore ad quod conceſſa: revocatione per Principem factâ: at non abdicatione per ipſum magiſtratum factâ niſi Principe conſentiente. *l. pen. ff. de offic. præſid. l. 2. §. 24 ff. de orig. jur.* (LIV. LV.)

14. Ad tuendam autem juriſdictionem varia edicta à prætore propoſita. Primum eſt de *albo corrupto*, conſtitutâ in eum, qui dolo, non ruſticitate, corrupit, pœnâ quingentorum

gentorum aureorum, quæ populari in factum actione petitur. *l. 7. ff. h. t.* ſi quis non habeat in ære, in pelle luet, *d. l. 7. §. 3. ff. h. t.* Si plures ſimul corruperint, unius præſtationi cæteri non liberantur. *l. 8. ff. h. t.* licèt unius domini familia corruperit; ſecus ſi familia conſilium tantùm dederit, ut alius corrumperet, quo caſu velut ex uno facto una pœnæ præſtatio ſufficit. *l. 9. ff. h. t. l. 34. ff. de injur.* (LVII)

17. *Moribus.* Juriſdictio, quam dixi eſſe ſæpè quid patrimoniale, apud nos dividitur in *altam*, quæ continet ea, quæ mero adſcribuntur imperio; *mediam*, quò referunt tutelæ dationes, mulctandi, ſubhaſtandi jus, &c & *baſſam* ſeu *infimam*, quò cauſarum pecuniariarum cognitio, definitio & ſimilia reducuntur. Habent autem magiſtratus municipales & civitatum Scabini in multis Belgii locis non mediam tantùm & baſſam, ſed & altam juriſdictionem. Ipſi etiam minimi pagorum judices hodie mulctant pecuniariè, pro modo juriſdictionis. Quòd ſi quis edicta Ordinum propoſita, aut proclamata [ùt loquuntur] curiæ aut Eccleſiæ valvis affixa, dolo corruperit, extra ordinem hodie mulctari ſolet pœnâ arbitrariâ.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 13. de juriſd. omn. jud.*

TIT. II.

Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.

1. SI vel Magiſtratus jus novum ſtatuerit, vel adverſarius impetraverit, licèt necdum uſus fuerit, *l. 3. pr. ff. h. t.* ejus pœna eſt, quòd eodem jure uti debeat ipſe & hæredes ejus. *l. 3. §. 5. ff. h. t.* licèt enim actiones pœnales contra hæredes non dentur ſeu inchoentur. *l. 33 ff. de obl. & action.* ſi tamen in defunctum pœnæ ſemel conſtitutæ ſint, uti in hac materia defuncto juris veteris diſpoſitio ipſo jure negata eſt, nihil impedit, quò minùs contra hæredes continuetur. *arg. l. 14. ff. de public. & vectig.* (1.)

2. Utitur autem quiſque jure novo, quod dedit vel obtinuit, non tantùm ad læſi, ſed & alterius cujuſcumque petitionem. *l. 3. §. 2. ff. h. t.* Aſſeſſoris ſuggeſtio ipſi, non præſidi; damnoſa eſt. *l. 2. ff. h. t.* Tutoris, Curatoris, Procuratoris,

ratoris, ſimil. impetratio non nocet pupillo, minori, domino, Patri; niſi Dominus aut Pater id mandaverint *l.* 3. §. 1. *&* 4. *ff. h. t.* ne fidejuſſoris impetratio, reo principali. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* (II.)

3. Si quis contra eum, qui ipſe novum jus impetraverit, eodem jure uſus fuerit, ex hoc edicto non tenetur, *l. ult. ff. h. t.* uti nec, qui jus novum decrevit adversùs jurisdictioni ſuæ non ſubjectum. *l.* 1. *in fin. ff. h. t.* (III.)

Tit. III.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

1. Non obtemperare dicitur jus dicenti, *qui id quod extremum eſt in juriſdictione, non fecit*, dum rem abduci vel auferri mandato judicis paſſus non eſt. *l. un.* §. 1. *ff. h. t.* ſive actor, ſive reus ſit. *l. un.* §. 3. *ff. h. t.* contra quem inde perſonalis in factum datur actio, non tantùm ad id, quod intereſt, ſed quanti res eſt in judicium deducta, licèt non jure petita; *l. un. in fin. ff. h. t.* ſicut rei æſtimatio præſtanda ſit. *arg. l.* 5. §. 1. *ff. ne quis eum qui in Jus voc. vi exim.* ùt ùt aliàs *quanti ea res eſt*, etiam id, quod intereſt, in jure deſignet *l.* 7 §. 1. *ff. quod falſ. tut. aut.* Hæc autem actio non popularis, ſed privata eſt, adverſario competens cui nocitum, cùm non tam vindicet læſam juriſdictionem, quàm potius jus privati: unde & an pœna, an id, quod intereſt, præſtandum ſit, diſceptatur. *d. l. un.* §. *ult. ff. h. t.* eóque facit. *l.* 5. §. 1. *ff. ne quis eum qui in jus, &c. l.* 12. *ff. de in jus voc.* Poſt annum autem contra hæredes non datur. *l. un.* §. *ult. ff. h. t.* nec contra pupillum, minorem, Dominum, ex Tutoris, Curatoris, aut Procuratoris facto. *l. un.* §. 2. *ff. h. t.*

Tit. IV.

De in Jus vocando.

1. In Jus vocare eſt *juris experiundi causâ vocare ad eum qui juriſdictioni præeſt. l.* 1. *ff. h. t.* Olim, ſi quis ad verbalem denunciationem ſequi nollet, manûs injectione obtorto collo in jus rapiebatur, etiam privatâ autoritate. Sed id poſtea mutatum, ac mulctatus, qui vocatus non veniſſet.

veniſſet *l.* 2. §. 1. *ff. ſi quis in jus voc. non iver.* Imò Jure novo libellus actionis vocato offerendus, cui tunc viginti dierum ſpatium datum eſt, ut deliberet, num venire & contendere, an verò cedere velit. *auth. offeratur. C. de litis conteſt.* (I.)

2. Cæterùm vel *verbalis* vel *realis* eſt in jus vocatio. Illa, *quæ voce vel ſcripto fit.* atque iterum vel *ordinaria* eſt, *quæ fit ſimpliciter per apparitorem*, qui libellum conventionis ab actore acceptum ad reum defert. *arg.* §. 24. *Inſt. de action. l.* 3. *in med. C. de praſcr.* 30. *vel* 40. *ann. nov.* 53. *c.* 3. vel *extraordinaria*, quæ & *edictalis* dicitur, ac *fit per edictum. l.* 68. *& ſeq. ff. de judic.* *Realis* eſt, quæ *per detentionem perſonæ vel bonorum fit.* à quâ, cùm executionis videatur eſſe ſpecies, haud facilè inchoandum, niſi reus de fugâ ſuſpectus ſit, *arg. l.* 10. §. 16. *ff. quæ in fraud. cred.* vel contumax poſt trinam citationem. *l.* 1. *C. quom. & quand. Judex.* [XIII, XVI.]

3. Cavendum autem in vocatione, ut loci, temporis, perſonarum habeatur ratio; neque enim de domo ſua quiſquam extrahendus, qui ſenſus *l.* 18. *ff. h. t.* nec ab Eccleſia ob civile debitum. *l.* 2. *C. de his qui ad Eccleſ.* (ſecus in crimine. *nov.* 17. *c.* 7.) Nec vocandi infantes, furioſi, ſacra facientes, funus aut uxorem ducentes, quique equo publico vehuntur; nec qui cauſam agunt apud prætorem. *l.* 2. *ff h. t.* Obſt. *l.* 54. *ff. de re jud.* Reſp. agit tantùm de lite coram prætore pendente. Non etiam Magiſtratus majores. *l.* 2. *ff. h. t.* niſi ob delicta durante Magiſtratu & ejus occaſione commiſſa. *l.* 4. *C. ad leg. Jul. repetund.* de aliis, Magiſtratûs tempore & occaſione non commiſſis, differenda lis, donec honorem depoſuerint *l.* 32. *ff. de injur.* aliter, quàm in minoribus Magiſtratibus receptum eſt. *d. l.* 32. (II, III, IV, V.)

4. Prætereà, non niſi impetratâ veniâ vocandi parentes, patroni, patronæ, eorúmque liberi & hæredes, etiam extranei. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 2. *C. eod.* Si quis contra fecerit, intra annum tenetur actione in factum ad pœnam 50. aureorum patri vel patrono læſo applicandam. *arg. l.* 12. *l. pen. ff. h. t.* & ſi libertus (non filius) inopiâ laboret, in pelle luit. *l. ult. ff. h. t.* nec ruſticitati parcitur. *l.* 2. *C. h. t.* Neque evanuit edicti pœna, poſtquam violenta ceſſavit in jus vocatio: cùm non ſola violentia, ſed & reverentia, ſuaſerit veniæ impetrationem. *arg. l.* 10. §. 12. *l.* 11. *ff. h. t.*

Ceſſat

Ceſſat tamen pœna, ſi vocantem pœnituerit, aut vocatus non venerit, vel venerit non invitus *l. 11. 12 ff h. t.* ut & ſi patronus ſervum adegerit jurare de uxore non ducendâ; huncenim impunè ſine veniâ libertus vocat, non item ejus filium, quippe cui tanquam innocenti reverentia debita. *l. 8. §. ult. ff. h. t.* Obſt. *l. 15. ff. de Jure patron.* Reſp. pro patrono non habetur quantùm ad bona, nec liberto ſuccedit, reverentia tamen ſalva eſt. Cæterùm vix eſt, ut hæc pœna ad eos, qui vitricum, novercam, præceptorem, maritum, feudi Dominum directum, aliòſque ſimiles ſine veniâ vocaverint, extendatur: proindè reſtringenda generalitas legis 13. *h. t.* ad eos quibus ſimilis, ac patri & patrono, reverentia eſt debita. (VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII.)

5. Principium autem omnium actionum inſtituendarum eſt in jus vocatio *§. ult. Inſt. de pœna tem. litig.* ſine qua nullum eſt quicquid geſtum. *l. 7. C. quom. & quand jud. prof. ſent.* ſicut ne in favorem quidem non citati ſententia ſuſtineatur. Nec obſt. *arg. ex l. 14. C. de procurat.* juncta. *l. 4. C. ſi adverſ rem judic.* cum ibi non defuerit ſubſtantiale judicii requiſitum: minores enim, conditionem ſuam meliorem facientes, habent legitimam perſonam ſtandi in Judicio ſine curatore. *d. l.* 14. Ex hac verò vocationis neceſſitate ſequitur, eum, qui ad unam cauſam vocatus eſt, ad alteram reſpondere non compellendum. *l. 2. §. 3. ff de judic.* cùm non tantùm præſens, ſed & ad reſpondendum paratus eſſe debeat. (LXVI, LXVII.)

6. Non tamen cùm in Jus vocatione confundenda citatio, quæ generalior eſt, locum habens in cauſis etiam non litigioſis, in actore, in teſtibus, & ſemel vel ſæpius in uno poteſt fieri Judicio: quæ aliter in Jus vocatione ſervantur; licèt hæc etiam citationis ſpecies ſit, vel ſaltem citatione fiat.

7. Effectus in Jus vocationis eſt, quòd in actionibus in rem, faciat rem litigioſam, *aut litigioſa C. de litigioſ* perpetuet juriſdictionem, ne ad alium Judicem lis transferatur, licèt alterius fori mox reus eſſe cœperit. *l. ult. C. h. t. arg. l. pen ff. de Juriſd. l. 30. ff. de judic.* præventioni locum faciat, ſi in diverſis foris & apud Judices diverſos agi cauſa poſſit; denique omnem interrumpat triennii, decennii vicennii & longiſſimi temporis præſcriptionem. *l. 3. l. 7 C. de praſcript. 30. vel 40. annor. l. 10. C. de acquir. ve*

amitt. poſſ. l. 1. 2. C. de long. temp præſcr. l. 2. C. de annal. except. [XIV.]

8. *Moribus.* Veniæ impetratio hodie non fit ſeparatim; ſed formula tantùm libello inſeritur, velut, *impetratâ agendi veniâ*, aut ſimili: quod verum, ſi libello ſupplici ſoleat à Judice peti ipſa adverſarii citandi licentia: ſin ſine prævio libello ſimpliciter citatio partis adverſæ fieri ſoleat, etiamnum hodie libello ſupplici petenda eſſet agendi venia. Magiſtratus autem hodierni ab in Jus vocatione tuti non ſunt, non magìs quàm privati. Cæterùm hodie nullus creditor debitorem de fugâ ſuſpectum poteſt apprehendere privatâ autoritate: fugientem tamen in ipſo actu fugæ poteſt detinere, ſi modò ex ipſo fugæ actu mox ad Judicem ducat.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 2. de in jus voc.*

Tit. V.

Si quis in Jus vocatus non iverit.

1. Qui in Jus vocatus non ivit, mulctâ extraordinariâ pro arbitrio Judicis punitur. *l 2 §. 1. ff h. t.* ob contemptam Magiſtratûs autoritatem: ſive competens Judex fuerit, ad quem quis vocatus eſt, ſive non; modò id ſit dubium. *l. 2. ff. h. t.* Applicanda autem mulcta actori vocanti, cui ad eam exigendam videtur accommodanda in factum actio. *arg. l. 5. §. 1. ne quis eum qui in jus voc. vi exim.* Ceſſat tamen mulctæ exactio, ſi vocatus quis ſit ad Judicem pedaneum, vel ex edicto vocari non debuerit, non venerit per ruſticitatem, vel non interſit actoris reum non veniſſe. *l. 2. in fin. ff. h. t.*

2. *Moribus.* Hodie actor reum ter citari curat, per intervallo plerúmque quatuordecim dierum; quâ in re Curiæ cujuſque ſervanda conſuetudo, qui ſi ſe non ſiſtat, omnibus privatur exceptionibus, citaturque quartâ vice ad audiendam ſimpliciter actoris petitionem. Quòd ſi quis primâ, ſecundâ, vel tertiâ vice citatus non venerit, & ob id contra eum Judex actori conceſſerit jus, quod ex primo, ſecundo aut tertio defectu (vulgo *defaut*) acquiri ſolet; mox autem accurrens citatus, Judice adhuc pro Tribunali ſedente, reſpondere paratus ſit, purgatus cenſetur ille defectus. Secus, ſi poſt diſceſſum Judicis demum acceſſerit; quo caſu, causâ tantùm cognitâ, purgatio admittitur.

TIT. VI.

In Jus vocati ut eant, aut ſatis vel cautum dent.

1. NOn etiam mulctatur, qui ſe certo die ſtiturum cavet, datis fidejuſſoribus idoneis tam facultatibus quàm conveniendi facilitate. *l.* 1. *ff. ſi quis in jus voc. non ive-rit.* Quòd ſi quis idoneum fidejuſſorem oblatum rejecerit, ipſi, & reo principali tenetur injuriarum. *l.* 5. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* Utì è contrario perſonæ conjunctæ inter ſe litigantes, ſi qualemcunque fidejuſſorem non admiſerint, quinquaginta aureis mulctantur. *l.* 1. 2. *ff. h. t.* ut enim cum conjunctis perſonis non acerbè ſed mitiùs agendum in jus vocatione, ſic & in exigendâ cautione: licèt hìc ſub conjunctis perſonis nonnullæ contineantur, ad quas edictum de non vocando ſine veniâ non pertinet. *l.* 2. *h. t.*

TIT. VII.

Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.

1. QUi in jus vocatum vi exemerit, licèt dolo ſpeciali careat. *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* (generalis enim dolus quidem, at non ſpecialis vi ineſt. *l.* 2 §. 8 *ff. de vi bon. rapt.* § *pen. Inſt. eod.*) tenetur actione in factum prætoriâ pœnali; ei qui vocavit; non item hæredibus, niſi quatenus eorum intereſt, nec ultra annum. *l.* 5. § *ult. ff. h. t.* ad id ut præſtet quanti ea res eſt in judicium deducta; licèt per calumniam petita. *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* æſtimanda per actorem ex veritate, non affectione, quippe quæ in re calumniam petitâ locum habere nequit. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.*

2. Nec refert utrùm exemerit, an certo loco, ne veniret, retinuerit. *l.* 4. *ff. h. t.* Nec utrùm per ſe exemerit, an per alium. *l.* 5. *ff. h. t.* Si plures ſint eximentes, unius præſtatione cæteri non liberantur. *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* utì nec exemptus liberatur ab actione principali, ſi ab eximente pœna jam ſit præſtita. *l.* 5. §. 3. *l. ult. ff. h. t.*

3. Ceſſat eximentis pœna, ſi exemerit vocatum ad judicem pedaneum aut certò certiùs non competentem, vel qui vocari ex edicto non debebat, vel ſervum, vel ſi exemptus nihilominùs venerit. *l.* 1. §. 2. *l.* 2. 3. 5. §. 2. *ff. h. t.* nec ultra annum datur hæc actio. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.*

TIT. VIII.

Qui ſatisdare cogantur, &c.

1. CAutio eſt *ſecuritatis præſtatio.* Et vel fit datis fidejuſſoribus, quæ *ſatisdatio* appellatur, diverſa à ſatisfactione. *l.* 1. *ff. h. t.* vel pignoribus, quæ *pignoratitia cautio*, vel jurejurando, quæ *juratoria*; vel ſimplici ſtipulatione, quæ *repromiſſio* dicitur. Quamvìs ſatisdationis vocabulum latè ſumptum contineat & cautionem pignoratitiam. *l.* 21. §. *ult. ff. de conſtit. pecun.* & repromiſſionem. *l.* 61. *V. S.*

2. Cautio de ſiſtendo eſt, quâ quis promittit ſe in jure ſtiturum, & ad terminum litis permanſurum §. 2. *Inſt. de ſatisdat.* quæ regulariter præſtanda datis fidejuſſoribus, qui ſint idonei facultatibus & conveniendi facilitate pro qualitate rei. *l.* 2. *ff. h. t.* quales non ſunt mulieres, milites, ſervi, filiiſ. in quibus cauſis de peculio actio non eſt; & ſi tales dati ſint, de novo cavendum. *l.* 3. *in fin. ff. de fidejuſſ. l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* Quòd ſi tantùm facultatibus idoneus ſit fidejuſſor, non de novo alius dandus eſt. *d. l.* 3. §. *ult. ff. ut in poſſeſſ. legat.* niſi ex poſt facto demum idoneus eſſe deſiiſſet. *l.* 4. *ff. de prætor. ſtip. l.* 4. *ff. ut in poſſ. legat. l.* 10. *in fin. ff. h. t.* (II, III.)

3. Quidam tamen juratò tantùm cavent, ut viri illuſtres. *l.* 17. *C. de dignit.* immobilium poſſeſſores, quibus ſola remiſſa ſatisdatio. *l.* 15. *ff. h. t. l.* 8. *C. de princip. agent. in rebus.* quorum appellatione veniunt, qui tempore cautionis (non ante vel poſt) in civitate vel agro ſeu provincia directum vel utile, naturale vel civile dominium aut vindicationem rei immobilis habent, licèt fortè ipſis poſſidentibus lis mota ſit, quæ adhuc pendet. At non pro poſſeſſoribus habendi creditores hypothecarii, actionem perſonalem habentes aut uſumfructum. In pupillis planè vel ipſos vel eorum tutores immobilium poſſeſſores eſſe ſufficit. *l.* 15. paſſim *h. t.* poſſunt tamen hi omnes, ſi velint, ſatisdare. Ita accipienda *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* Juratò quoque cavent,

vent, qui fidejuſſores invenire nequeunt, modo id ipſum jurent, & probatæ vitæ ſint. *auth. generaliter. C. de Epiſc. & Cleric.* Repromittit Fiſcus & Reſpublica. *l.* 1. §. 18. *l.* 6. §. 1. *ff. ut legat. vel fideic. ſerv. cauſ. cav.* etiam Clerici, cum hypothecâ tamen bonorum. *l.* 25. *l.* 33. §. 3. *C. de Epiſc. & Cleric. Nov.* 123. *c.* 21. §. 2. Quòd ſi lis ſuper re mobili ſit, nec caveatur, ea deponenda donec lis finiatur. *l.* 7. *in fin. h. t.* ſin ſuper re immobili, in eam fit miſſio. *Nov.* 53. *c.* 4. (IV, V.)

4. Viciſſim autem actor quoque in rei conventi ſecuritatem cavet, ſe intra duos menſes à tempore editi libelli litem conteſtaturum ſub pœnâ dupli damni dati; & ſi ſuccubuerit, decimam quantitatis libello comprehenſæ partem expenſarum nomine ſoluturum, ac ad finem litis permanſurum. *auth. generaliter. C. de Epiſc. & Cleric. Nov.* 99. *c.* 1. (I.)

5. *Moribus.* Cautio de ſiſtendo hodie non obtinet, niſi in criminalibus; ſed ſi extraneus ſit litigator, ſimpliciter domicilium eligit, ad quod citationes fiant. Quòd ſi realis contigerit in jus vocatio per arreſtationem, non ante regulariter relaxatur arreſti vinculum, quàm ſi idonei dati fuerint fidejuſſores, immediatè ſubjecti Judici, coram quo lis agitatur. Si quis tamen tales invenire nequeat, pignora etiam ſufficientia Judicis arbitrio admitti ſolent.

* Adde *ex Cod. libr.* 2. *tit.* 57. *de ſatisdando.*

TIT. IX.

Si ex Noxali causâ agatur, quemadmodum caveatur.

1. SI ex noxali cauſa agitur, prætor caveri jubet, ſervum in eadem cauſa exhibitum iri, in qua nunc eſt; ne actoris jus reddatur deterius. *l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* per ſolam enim in jus vocationem ſervus non fit litigioſus, & ideo adhuc vendi poſſet, niſi cautum eſſet. Si plures ſint domini, & unus noxali judicio conveniatur, non pro ſua parte, ſed in ſolidum cavere debet, uti in ſolidum tenetur defendere. *l.* 4. *ff. h. t.*

2. Qui autem poſt hanc cautionem à ſe præſtitam ſervum manumittit & liberum ſiſtit, non peccat, cùm meliorem

liorem faciat actoris perſecutionem, *l. pen. ff h. t.* ſecùs, ſi de corporali pœnâ ipſi ſervo irrogandâ ageretur, cùm aliter liberi, aliter ſervi puniantur. *d l pen. ff. h. t.* Obſt. *l. 1. ff. de pœnis.* Reſp. licèt pœna ſervilis etiam poſt libertatem irroganda ſit, tamen in hoc deterior eſt actoris conditio, quòd probare, teneatur, manumiſſum tempore delicti perpetrati in ſervili fuiſſe conditione, ut pœna ſervilis inferri poſſit.

TIT. X.

De eo per quem factum erit, quo minus quis in judicio ſe ſiſtat.

1. SI per alterius dolum (non culpam) factum fuerit, quo minus quis in judicio ſe ſiſtat, qui ſe ſtiturum caverat, datur vocanti & vocato intra annum actio in factum, ſive vocans non venerit, ſive vocatus. *l. 1. §. 2. 3 ff. h. t.* contra eum qui per ſe vel per alium hoc dolo fecit. *l. 1. §. 1 ff. h. t.* ejúsque hæredes, quatenùs ad eos pervenit. *d. l. 1. §. ult* Ad id quod intereſt *l. 3. pr. ff. h. t.* Unde ſi plures id dolo fecerint, unius præſtatione cæteri liberantur: actor enim intereſſe petens magis damni reparationem, quàm pœnam exigit. *l. 1. § 4. ff. h. t* licèt illud intereſſe poſſit aliquando continere ipſam rei petitæ quantitatem. *l. ult. §. ult ff. h. t* veluti, ſi interim actor lapſu temporis actionem amiſerit. *l. 3. ff. h. t.* Quòd ſi & actor dolo rei, & reus dolo actoris ſe non ſtiterit, dolus cum dolo compenſatur. *l. ult. §. 1 h. t.*

2. Cæterùm differt hic *Tit. à Tit. 7.* hìc enim dolus coërcetur, ibi vis. Hìc actor & reus agere poſſunt, ibi ſolus actor. Hìc agitur, ſive reus non venerit, ſive actor. Ibi tantùm ſi reus ſe non ſtiterit. Hìc intereſſe petitur, ubi mera pœna: hìc uno ſolvente reliqui liberantur, ibi non item. Denique hìc ipſe impeditus poteſt agere, modò ab extraneo, non ab actore impeditus ſit. *l. 1. §. 3. ff. h. t.*

TIT.

Tit. XI.

Si quis cautionibus in Judicio ſiſtendi cauſâ factis non obtemperaverit.

1. SI reus, qui caverat, poſt litem conteſtatam non veniat, *eremodicium contrahere*; ante litem verò conteſtatam *vadimonium deſerere* dicitur; etiamſi temporali actione jam liberatus ſit; modò id quodammodo dubium. *l.* 10. *ff. h. t.* non item, ſi certum ſit, actorem agere non poſſe. *l.* 2. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* Ubi ergo vadimonium deſertum fuerit, actor in poſſeſſionem bonorum rei mittitur, *l.* 2. *ff. quibus ex cauſ. in poſſeſſ. eatur*, & tam ipſe reus, quàm fidejuſſor ejus tenetur certi condictione, ſi certa pœna ſit promiſſa, aliàs condictione incerti ad id quod intereſt; æſtimatione factâ ejus temporis, quo reus ſiſtendus erat, non quo agitur. *l.* 12. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 3. §. 2. *ff. commodati.* Reſp. illa regula & diſtinctio locum habet, cùm certum tempus adjectum non eſt. Quòd ſi duos quis ſiſti promiſerit, unum ſiſtendo non liberatur. *l. ult. ff. in jus vocat. ut eant.* Oppoſitâ tamen doli mali exceptione, pœnæ tantùm partem præſtat. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 18. *ff. rem. rat. hab.* Reſp. ibi de cautione de rato agitur, in qua alia ratio. [1, 11.]

2. De die autem, quo quiſque ſiſtere ſe debeat, agunt inter ſe actor & reus. Si non conveniant, actor diem ſtatuit, qui ſi minùs commodus reo ſit, prætor moderamen adhibet. *l.* 8. *ff. qui ſatiſd. cog.* (obſervatâ in caſu abſentiæ diſpoſitione legis 1. *ff. h. t.*) Obſt. ſtipulatio ſine die facta imperfecta eſt. *l.* 115. *ff. V. O.* Reſp. id verum ſi jam facta ſit, ſed in *d. l.* 8. agitur de ſtipulatione adhuc faciendâ.

3. Ceſſat tamen pœnæ vel ejus quod intereſt exactio, ſi lis interim tranſactione ſopita. *l.* 2. *ff. h. t.* ſi reus ante diem ſiſtendi ſit mortuus *l.* 4. *ff. qui ſatiſd. cog.* ſi funere domeſtico, carcere, tempeſtate, valetudine, abſentiâ, reipublicæ causâ, aut alio ſimili modo impeditus, non venerit *l.* 2. §. 2. *& ſeqq. ff. h. t.* niſi quibuſdam caſibus, ſpecialiter [non generaliter tantùm] renunciaverit. *l.* 4. §. 4. *ff. h. t.* Ceſſat &, ſi poſt tempus quidem venerit, ſed cùm necdum ex mora jus actoris factum eſſet deterius. *l.* 8. *ff. h. t.*

Obſt. *l.* 28. § 7 *ff V.* O. Reſp lex illa intelligenda de ſtipulationibus pœnæ conventionalibus ex libera voluntate conceptis, non de iis, quæ juſſu Magiſtratûs fiunt, quas prætor ex æquo moderatur. Liberantur & fidejuſſores, ſi reus ante diem ſiſtendi capitis damnatus ſit, idque propter facti impoſſibilitatem. *l.* 4. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 1. *C. de fidejuſſ.* Reſp. fidejuſſor præſtare poteſt, quod promiſerat, pecuniam nempe. Quòd ſi non reus, ſed ipſe actor non venerit, ac ter citatus fuerit intermiſſo triginta dierum ſpatio, reus poſt annum ſententiam obtinere poteſt. *nov.* 112. *c.* 3. (III, IV, V.)

TIT. XII.

De Feriis & Dilationibus & diverſis temporibus.

1. FEriæ ſunt *dies ab actibus judicialibus vacui*. Et vel *divinæ ſunt, vel humanæ*. Divinæ, *quæ ob cultum divinum conſtitutæ ſunt*, quibus expediri poſſunt actus voluntariæ Juriſdictionis, fortè & tranſactiones: at non actus juriſdictionis contentioſæ, qui ipſo jure nulli forent. *l. ult. C. de feriis.* niſi res ſit omnis moræ impatiens, aut criminalis. *l.* 1. *l. pen. C. eod.* Humanæ ſunt, *quæ propter hominum utilitatem indictæ*, à Principe, non Magiſtratu, *l.* 4. *C. eod.* licèt Magiſtratus poſſit feriarum tempora dirigere. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 7. *ff. de offic. proc. & legat.* (I, II, III, IV, V, VIII.)

2 Inſuper vel *ſolennes* ſunt, *quæ ſtatis redeunt temporibus*, ut meſſium & vindemiarum, de quarum duratione vide *l.* 2. *&* 7. *C. h. t. de fer.* vel *repentinæ*, quæ ex variis cauſis pro arbitrio indicentis conſtituuntur *l.* 26. §. 7. *ff. ex quib. cauſ. majores.* Feriis autem humanis nemo invitus litigare cogitur, cum ſit *juſtitium*, poteſt tamen, ſi voluerit *l.* 1. §. 1. *l.* 6. *ff. h. t.* poteſt & die feriato humano citatio fieri, ſed ad diem non feriatum: cauſa quoque publica vel fiſcalis agi, *l.* 5. *C. h. t.* ſecùs feriis divinis. *l.* 8. *C. h. t.* (VI, VII.)

3. Obſervandæ verò feriæ, quæ in loco judicii receptæ ſunt. *arg. l.* 34. *ff. R. J.* ut tamen, quantùm fieri poteſt, conſtituenda ſint talia ſiſtendi & litigandi tempora, quæ nec actori, nec reo feriata ſunt, *arg. l.* 2. *C. de Judæis.* [IX]

4. *Dila-*

4. *Dilatio* eſt *rei in judicio agendæ ad alium diem ſeu terminum rejectio:* ante cujus lapſum nihil novi agi poteſt: eo vero elapſo, non ultra is, qui neglexit, audiendus, niſi juſta cauſa ſubſit *arg. l. 21. § 9. ff. de recept. arbitr. l. 1. C. h. t.* Eſtque vel *legalis*, quæ *litigantibus datur ipsâ legis diſpoſitione*, ut decem dierum ad appellandum, &c. vel *arbitraria*, quam *Judex variis ex cauſis pro arbitrio concedit*, veluti condemnatis ad reſtituendam aut exhibendam rem abſentem. §. 2. 3. *Inſt. de offic judic.* quam tamen ſi breviorem aut longiorem, quàm fas eſt conceſſerit, appellari poteſt, vel denique *conventionalis, quæ parti ab adverſa parte conceditur.* (X, XI, XII, XIII.)

5. Tempus harum dilationum continuum eſt, connumeratis etiam diebus feriatis *l. 3. C. de dilat. l. 2. §. pen. C. de tem. appella.* Et in civilibus quidem cauſis una tantùm datur dilatio; plures, tamen, causâ cognitâ. *l. 7 l ult. ff. h. t.* in criminalibus verò actori duæ, reo tres, causâ tamen etiam cognitâ. *d l ult. ff. h t.* alioquin & hic una poteſt ſufficere. *arg. l. 41. ff ad leg. Jul. de adult.* [XIV.]

6. Litium finiendarum tempus à Jure præfinitum in civilibus eſt triennium, in criminalibus biennium à lite conteſtata. *l. 13. §. 1. C de judiciis l. 3. C. ut intra cert. temp. qu. crimin. termin.* quod & ad arbitros extendendum. *arg. l. 1. ff. de receptis.* Cauſæ tamen fiſcales intra ſex menſes terminandæ. *l ult. C. de jure fiſc.* cauſæ munerum civilium intra menſes tres. *l. 54. C. de decurion.* Quòd ſi per actorem, vel reum, vel Judicem, vel Advocatum ſteterit, quo minùs lis tempore legitimo diremta fuerit, diverſimodè coërcentur. Vide *l. 13 paſſim. C. de judic.* nec poteſt conſenſu partium hoc tempus prorogari; cùm id utilitatis publicæ causâ ſic conſtitutum ſit, *l. 13. §. 1. in fin. C. de Judic.* Obſt. *l. 2. §. 2 ff. de Judic.* Reſp. non agit de termino litis à Jure dato, ſed de delegato Judice per Principem dato, quem intra certum tempus delegans Princeps judicare juſſit. (XV.)

7. *Moribus*, Diebus feriatis, etiam divinis hodie fieri ſolent publicationes bonorum ſub haſtâ diſtrahendorum: ut & arreſtationes eorum, qui de fugâ ſuſpecti ſunt. Quin imo ſi ſententia die feriato per Judicem aut arbitrum lata fuerit eam propter eâ nec nullam eſſe, nec reſcindendam vult. *Groenevv. ad l. 6. ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 11. de dilationibus. tit. 12. de feriis.*

Tit. XIII.

De Edendo.

1. EDere eſt *copiam deſcribendi facere.* Editur autem vel actio vel inſtrumentum. *Editio actionis* eſt *futura litis demonſtratio, ut adverſarius deliberet, utrùm cedere an contendere velit, & ſi contendendum putet, veniat inſtructus cognitâ actione, quâ convenitur. l. 1. ff. h. t.* Fit autem hæc in ſummariis judiciis etiam ſine ſcripto, *auth. hoc niſi. C. de ſent. ex peric. recit.* in ordinariis libello; niſi reus conſentiat, ut ſine libello fiat, *arg. l. pen. C. de pact.* [I.]

2. Libellus eſt *ſcriptura futura litis ſpeciem demonſtrans & conſtans narratione ac concluſione.* Eúmque oportet eſſe clarum: ac, quantùm fieri poteſt, certum, ut in civilibus contineat, *quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo,* quamvis incertitudo quandoque ac generalitas vel alternatio in libello permiſſa ſit ex neceſſitate, ut in caſu §. 33. *Inſt. de action. l. 2. C. de reſcind. vend. l. 1. §. 1. ff. de æſtimat. act. §. ult. Inſt. de V. O.* [II, III, IV, V, VI.]

3. Quòd ſi libellum actor ab initio non rectè conceperit, opponi poteſt exceptio obſcuri & inepti libelli, quam tamen ſi non opponat adverſarius: ſubſiſtit judicium. *l. ult. C. de annal. except.* Interim actori liberum eſt emendare & mutare libellum ante & poſt litem conteſtatam: uſque ad ſententiam manente eodem judicio; ſi modò reo reſtituat impenſas, & quantum ad mutata concedat deliberationem. §. 34, 35 *Inſt. de action. l. 4. §. ult. ff. de noxal. act.* Jure præſertim poſteriori, quo ſine formulâ dati Judices. Obſt. *l. 23. ff. de judic.* Reſp. agit de iis, quæ demum poſt litem conteſtatam principaliter incipiunt deberi; ad quæ novo judicio opus eſt. Obſt. litis conteſtatione quaſi contrahitur. Reſp. eatenus, ut non liceat ad aliud forum tranſire; non per omnia. (IX)

4. Cæterùm ad evitandam libelli obſcuritatem neceſſe eſt, ut exprimatur nomen actionis, licèt jure novo formulæ actionum ſublatæ ſint. *arg. l. 1. in fin. l. 2. 3. ff. de præſcript. verb. l. 1. ff. h. t. l. 2. ff. de æſtimat. act.* Etiam ut inſeratur libello petendi cauſa, eáque ſpecialis, ſi actio in perſonam ſit. Planè in actione in rem ſufficit generalis cauſæ, id eſt, dominii expreſſio, licèt & hic ſpecialis domi-

nii

nii acquiſiti cauſa addi poſſit. *l.* 11, 12, 13, 14. *pr. & §.* 2 *ff. de except. rei jud* [VII, VIII]

5. Quamvis autem reus, cujus partes favorabiliores *l.* 125. *ff. R. J.* plures exceptiones ſimul eâdem ſcripturâ poſſit opponere, *l.* 5. *l.* 1 *ff. de exception.* §. 16. *Inſt. de excuſ. tut.* plures tamen actiones uno libello cumulari nequeunt. *l.* 6. *ff. de except. rei jud.* niſi incertum, quâ actione ſit agendum, quo caſu duæ quidem cumulantur, ſed ex una tantùm actor intentionem conſequitur. *l.* 1. §. 4. *ff. quod legator.* Uti nec actor pendente petitorio prohibetur experiri poſſeſſorio judicio apud eumdem Judicem, alio oblato circa poſſeſſionem libello. *l.* 12. §. 1. *ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ. l.* 18. §. 1. *ff. de vi & vi arm. l.* 10. *C. de judic.* [XIV.]

6. In criminalibus oportet libello comprehendi nomen accuſatoris & accuſati, delictum, ejúſque commiſſi annum, menſem, non præcisè diem. *l.* 3 *ff de accuſat.* niſi reus id petat, ut inde ſuum *alibi* & accuſationis falſitatem doceat, ita accipienda. *l.* 16. *C. de accuſat* (XV.)

7. Quòd attinet inſtrumentorum editionem, ea per actorem facienda reo, ſi iis actor ad probandam intentionem ſuam uſurus ſit, aliàs non *l* 1. § 3. *ff. h. t.* At non vice versâ reus ea actori edit. *l* 4. *C. h. t.* niſi Fiſcus agat. *l.* 3. *ff. h. t.* vel inſtrumenta actori & reo communia ſint, vel lis jam conteſtata ſit. & reus illis ad probandam exceptionem uti velit. *l. pen. & ult. C. h. t.* (XVI, XVII, XVIII, XIX.)

8. Argentarii quòque tenentur rationes edere iis, qui præſtito calumniæ jurejurando aſſerunt ſua intereſſe. *l.* 9. §. 2. 3. *h. t.* etiam contra ſe. *l.* 10. *ff. h. t.* ratio eſt in *l.* 4. §. 1. *ff h. t.* Et rationes quidem edendæ cum die & conſule, alia verò inſtrumenta ſine die. *l.* 1. §. 2 *ff. h. t.* Ad has autem editiones faciendas compellitur quis autoritate prætoris, atque etiam ad id quod intereſt damnari poteſt, inſpecto tempore, non præſenti, ſed quo decretum de edendo eſt interpoſitum. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* ſunt & aliæ plures actiones variis in caſibus ad editionem faciendam. *l.* 9. *ff. h. t.* de quibus alibi. (XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI.)

9. *Moribus.* Actionum nomina libello hodie non præcisè exprimenda. Libello autem edito, non viginti, ſed quatuordecim plerúmque dies reo ad deliberandum conceduntur. Si verò quis perperam libellum conceperit, liberum ei eſt renunciare inſtantiæ cum expenſis, & novum deinde libellum porrigere: ut tamen poſt factam duplicationem

non

non ſit licita libelli emendatio vel mutatio, niſi pars adverſa conſenſerit, vel ad id impetrata ſit in integrum reſtitutio cum refuſione impenſarum. Inſtrumenta autem ſi edenda ſint, dies quoque, quo confecta, erit ſimul edendus. Cæterùm in graphiariis, ſecretariis, tabellionibus aliiſque inſtrumenta publica conficientibus illud receptum eſt, ut confecta apud ſe inſtrumenta illis edant, quorum intereſt; non tamen teſtamenta, vivo teſtatore, ſine ejus conſenſu. Quòd ſi poſt tabellionum obitum libri eorum in publico ſint depoſiti, editionem faciunt ſucceſſores in officio, aut quibus cura talium inſtrumentorum demandata eſt.

* Adde *ex Cod. 2. tit. 1. de edendo.*

TIT. XIV.
De Pactis.

1. CONventio eſt *duorum pluriumve in idem placitum conſenſus de re danda, facienda vel præſtanda.* Et vel *pactum*, eſt, vel *contractus.* Pactum eſt *conventio, cui non ſubeſt obligandi cauſa ex jure civili per ſe & ſuâ naturâ.* Et hoc vel *nudum*, vel *non nudum*, ſeu *veſtitum* eſt. (1.)

2. *Pactum nudum* dicitur, *quod in nudis & ſimplicibus conventionis terminis conſiſtit, ſolam naturalem pariens obligationem, non actionem. l. 7. pr. & §. 4. ff. h. t.* Obſt. *l. 10. ff. de obl. & act. l. 16. §. 4. ff. de fidejuſſ.* Reſp. ibi *naturalis obligatio* generaliùs accipitur, ut & naturalem tantùm, & naturalem ac civilem ſimul comprehendat (quo modo & liberi naturales dicuntur, qui tamen ſimul legitimi ſunt *pr. Inſt. de adop.*) illa ergo naturalis obligatio vel ex eo colligitur, quòd exceptio detur, quo caſu naturalis tantùm eſt; vel ex eo quòd actio detur, quo caſu civilis quidem eſt, ſed tamen & tunc evidens eſt eam naturalem eſſe. (11.)

3. Interim nudum pactum vires has habet, ut obligationem naturalem præcedentem ipſo jure, civilem ope exceptionis tollat, ſi liberatorium ſit. *l. 17. §. 2 ff. h. t.* ſin obligatorium ſit, novari, in conſtitutum deduci, compenſari, proque eo fidejuſſores ac pignora dari poſſint: & denique ſi facta ſit ex nudo pacto ſolutio; denegetur condictio indebiti. An autem nudum pactum, an contractus ſit, non tam ex verbis, quàm potiùs mente convenientium colligendum, qui ſi verba ſtipulatoni aptata adhibuerint animo,

mo paciſcendi, pactum erit. *l.* 7. §. 12. *ff. h. t.* (III, IV.)

4. Pacta *non nuda* ſunt, *quibus ultra ſimplices fines conventionis vis aliqua civiliter & efficaciter obligandi extrinſecus accedit.* Idque vel à jure prætorio, ut in conſtituto & hypotheca. *l.* 17. §. 2. *ff. h. t. l.* 1. *ff. de conſt. pecun.* Vel à jure civili, ut in pacto donationis. *l.* 35. *C. de donat.* dotis. *l.* 6. *C. de dot. promiſſ.* uſurarum civitati vel argentario vel ex trajectitiâ pecuniâ ſolvendarum. *l.* 30. *ff. de uſur. l.* 5. §. *ult. ff. de naut. fœn. Nov.* 135. *c.* 5. Vel denique quia accedit & in continenti adjicitur contractui bonæ fidei, quo caſu parit actionem, ſeu eam informat. *l.* 7. §. 5. *ff. h. t. l.* 13. *C. eod.* Non item, ſi in continenti acceſſerit contractui ſtricti juris; *arg. l.* 11. §. 1. *ff. de reb. cred. l.* 3. *C. de uſur. l.* 13. *C. h. t.* Obſt. *l.* 40. *ff. de reb. cr. l.* 4. *in fine ff. h. t.* Reſp. inſunt ſtipulationi pacta ex parte rei, ut proſint ad excipiendum, ut ex caſu *d. l.* 40. patet. Obſt. *l.* 27. §. 6. *ff. h. t.* Reſp. ibi ex ſtipulatu, non ex pacto agitur: pacto enim ſublata erat obligatio ad decem, reſervatâ ſeu manente obligatione ex ſtipulatu ad Stichum. Obſt. *l.* 27. *C. h. t.* Reſp. ibi ſtipulatio acceſſit pacto, & ex ea agitur. (V, VI, VII.)

5. Multò minus actionem pariunt pacta contractibus ſtricti juris ex intervallo adjecta. Sed ſi ex intervallo bonæ fidei contractibus accedant, videndum, an *adjicientia* ſint, an *detrahentia*. *Adjicientia* ſunt, *quæ non de ſubſtantialibus alicujus contractûs, ſed de ejus adminiculis interponuntur*, veluti de arrhis, cautionibus, evictionibus præſtandis. *l.* 72. *ff. de contrah. empt.* Detrahentia ſunt, *quæ ex iis quæ ad ipſam contractûs ſubſtantiam pertinent, quid mutant & faciunt, ut à priori contractu videatur pro parte receſſum, ac novus celebratus. d. l.* 72. *l.* 7. §. 6. *ff. h. t.* Proinde *detrahentia* quidem actionem formant, cùm videantur novum facere contractum, priore ſublato. *d. l.* 7. §. 6. *ff. h. t. d. l.* 72. adjicientia verò nec inſunt ex parte actoris, nec actionem formant, ſed tantùm pariunt exceptionem. *d. l.* 72. (VIII.)

6. Sunt & pacta alia *publica*, alia *privata*: alia *in rem*, alia *in perſonam*. In rem dicuntur, *quæ proſunt hæredibus & fidejuſſoribus. l ult. ff. h. t.* licèt vice verſâ pacta fidejuſſorum non proſint reo principali, niſi id actum ſit. *l.* 23. *l.* 25. §. 2. *l.* 26. *ff. h. t. arg. l.* 28. §. 1. *ff. de jurejur.* Obſt. *l.* 13. §. 7. *ff. de acceptilat.* Reſp. ibi de acceptilatione agitur, quâ æquè, ac ſolutione, tota obligatio tollitur, ut nulla actio ſuper-

ſuperſit. In dubio autem pacta magis realia quàm perſonalia præſumuntur. *arg. l. 9. ff. de probat. l. 7. ff. h. t.* [x, xi, xii.]

7. Pacta *in perſonam* ſunt, *quæ ſoli paciſcenti proſunt. l. 7. §. 8. l. 17. § 3. ff. h. t.* Hinc nec pactum perſonale venditoris emptori, nec donantis donatario prodeſt. *l. 25. §. 1. ff. h. t* Obſt. *l. 17. §. 5. h. t.* Reſp. pactum quidem ibi dicitur in perſonam venditoris & ſimilium conceptum, ſed non ideo protinus perſonale eſt. *l. 7. §. 8 ff. h. t.* Nec pactum rei principalis fidejuſſori prodeſt, ſi id pactum, *ut à reo non petatur, à fidejuſſore petatur l. 22. ff. h. t.* Obſt. fidejuſſori creditor contra debitorem principalem tenetur cedere actionem; quod hic non poſſet fieri. *l. 95. §. pen. ff de ſolut.* Reſp. mandatori quidem cedendæ actiones. *d. l. 95. §. pen.* at non fidejuſſori contra principalem, contra quem habet mandati vel negotiorum geſtorum actionem; ſecùs, ſi petat contra confidejuſſores ſibi eas cedi. (xiii, xiv.

8. Quòd ſpectat pactum patris, *ne à ſe neve à filio petatur*; prodeſt illud filio, quà hæredi, *l. 33. ff h. t.* non quà filio, ſi ſit emancipatus, licèt poſtea hæres ſit, *l. 17. §. 4 ff. h. t.* ſin in poteſtate ſit doli exceptione ſe tuebitur. *l. 21. § 2. ff. h. t.*

9. Quædam inſuper *expreſſa* ſunt; quædam *tacita*, quæ ſcil. ex præſumptionibus & indiciis colliguntur; ut illatione ſupellectilis in prædium urbanum, redditione chirographi; non item redditione pignoris *l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. ff. h. t l. 9. C. de remiſſ pignor.* Quòd ſi plura chirographa data ſint, uno reddito non videtur induci pactum de non petendo: nemo enim præſumitur ſuum jactare, ſed magis ſuperfluum voluiſſe reddere. *arg. l. ult. ff de his quæ in teſt. delent* (xv.)

10 Paciſci poſſunt in genere omnes, qui ſufficientem poſſunt conſenſum adhibere. Non furioſi, pupilli, minores, prodigi, ſimileſque ſine tutore vel curatore, niſi rem ſuam faciant meliorem de quibus alibi.

11. In pactum verò deducuntur negotia honeſta & poſſibilia, non juri publico contraria. *l. 7 §. 14. ff. h. t* non impoſſibilia, vel turpia; qualia, ne dolus in futurum præſtetur. *l. 17. §. 3. 4. ff. h. t.* item de futurâ ſucceſſione tertii certi, non incerti *l. 15. l. fin. C. h. t. arg. l. 3 ff pro ſocio.* Sic & improbata pacta, quibus ſucceſſioni ejus, qui adhuc vivit, renuntiatur. *l. 35. C. de inoff. teſt. l. 3. C. de collat. l. ult. ff. de legit. hæred.* ut & de quotâ litis inter clientem & patronum. *l. 53. ff h. t* Obſt de lite dubiâ licet paciſci. Reſp. licèt litigantibus; non verò patronis. Inutilia denique

pacta,

pacta, quibus id agitur; ne liceat uti re ſua. *l. pen ff h. t.* niſi tale pactum alteri accedat negotio. *l. ult. C. de pact inter empt. & vend. l ult. C. de reb. alien. non alienand. l. 7. §. ult. de diſtract. pignor* (XVI, XVII, XVIII, XIX, XX)

11. Pacta autem nuda, ſi quidem ab uno latere impleantur, tranſire poſſunt in contractum innominatum. *arg. l. 6. C. de tranſact. l. 2. l. 22 C. de donat.* Poſſunt & in univerſum tolli: & quidem ipſo Jure per pactum poſterius, ſi priora pacta nuda fuerint ſine prævio contractu. *l. 95. §. 4. ff. de ſolution* Sed ſi præcedente contractu, pactum deinceps fit, *ne petatur*, ac poſt iterum, *ut petatur*, ope exceptionis tantùm tollitur pacto pactum. *l. 27 § 2 ff h. t.* quia utrumque pactum cenſetur præcedentis contractûs acceſſorium.

13. Quòd ſi reus principalis primo pactus fuerit de *non petendo*, ac poſtea rurſus, *ut petatur*, fidejuſſor, qui priore pacto liberatus erat, non incipit rurſus ex ſecundo obligatus eſſe. *l. ult. ff. h. t.* Obſt. *d. l. 27. §. 2. ff. h. t.* Reſp. intelligenda eſt de fidejuſſoribus ipſis, qui primo pacti erant *ne peteretur*, deinde *ut peteretur* propter verba *eâdem ratione*, quæ non eſſet, niſi ipſi pacti eſſent (XXII.)

14. *Moribus.* Quiſque hodie non ſibi tantùm, ſed & alteri paciſci poteſt. Naſcitúrque ex omni pacto ſerio prolato valida actio, æquè ac ex ſtipulatu. Quòd autem ſpectat pacta de futurâ ſucceſſione, ea dotalibus comprehenſa inſtrumentis firma ſunt, nec pœnitentiam in Hollandiâ admittunt; veluti ſi pater filiam deſpondens caveat inſtrumento dotali, ipſam cum fratre ſibi (Patri) morienti ex æquâ parte ſucceſſuram. Quamvis Ultrajecti & in Friſia, eo non obſtante, ambulatoria maneat voluntas.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 3. de pactis.*

TIT. XV.

De Tranſactionibus.

1. TRanſactio eſt *ſuper re dubiâ & lite incerta conventio non gratuita, aliquo dato, retento vel promiſſo. l. 9. §. ult. ff. h. t.* Et quia non uno modo fit conventio, hinc tranſactio pactis quandoque annumeranda eſt; nonnumquam ſtipulationibus; aliquando contractibus innominatis, ſi

ſi datione vel facto confirmatum ſit, quod primò erat ſimplici de re dubiâ conventione cautum. *l.* 4, 15, 17. *C. h. t.* quamvis ob favorem litium ſopitarum à tali contractu innominato non liceat recedere. *l.* 39. *C. h. t.* [I.]

2. Tranſigere poſſunt omnes, qui & paciſci: Tutores, Syndici, Adminiſtratores Civitatum, pro pupillis & civitatibus, modò jus liquidum non remittant. *l.* 22. *C. h. t. l.* 54. *§. ult. ff. de furt.* Obſt. *l.* 34. §. 1. *ff. de jurejur.* Reſp. difficiliùs permiſſa jurisjurandi delatio, quâ omne Jus amitti poteſt; at tranſactione ſemper aliquid tranſigenti ſupereſt. Procurator non aliter, quàm ſi ſpeciale mandatum habeat, vel generale cum liberâ, vel in rem ſuam datus ſit. *l.* 7. *C h. t. arg. l.* 17. *§. ult. ff. de jurejur.* Obſt. *l.* 1. §. 1. *ff. de offic. proc. Caſ. l.* 13. *ff. h. t.* Reſp Procurator Cæſaris non habet mandatum cum libera. Tranſigit & pater de bonis adventiis filiif. eo conſentiente, ſi præſens & major ſit. *l. fin.* §. 3. & 4. *C. de bon. quæ liber.* Minor verò 25. annis non rectè tranſigit, niſi eo modo, quo & aliter ſe poteſt obligare. *arg. l.* 3. *C. de in integr. reſt. min. l.* 101. *ff. de V. O.* (II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX.)

3. Tranſigitur de rebus dubiis, de quibus lis eſt vel metuitur. *l.* 2. *C. h. t.* non de certis, nec poſt rem judicatam. *l.* 7. *l.* 11. *ff. h. t. l.* 32. *C. eod.* licèt pactum gratuitum ſuper re judicatâ admittatur. *l.* 7. §. 13. *ff. de pactis.* atque etiam obligatio ex re judicatâ per Aquilianam ſtipulationem ipſo Jure tolli poſſit. *l.* 32. *C. h. t.* & fidejuſſore condemnato valida tamen inter creditorem ac reum principalem ſit tranſactio, ſic ut fidejuſſori quoque condemnato proſit. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* (X, XI.)

4. De relictis teſtamento non aliter ſubſiſtit tranſactio, quàm inſpectis teſtamenti tabulis. *l.* 6. *ff. h. t.* aut, ſi nuncupativum, auditis teſtibus. Nec huic inſpectioni rectè renunciatur, cum non tam tranſigentis, quàm potius teſtatoris favorem concernat, ne temerè pereat voluntas. Hinc, ſi de fideicommiſſo dubio tranſigatur, & poſtea codicilli reperiantur, ex quibus de fideicommiſſo conſtat, reſcindenda tranſactio. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 78. *§. ult. ff. ad SC. Trebell.* Reſp. ibi non de codicillis, ſed inſtrumentis, ex quibus patrimonii quantitas apparet, repertis agitur. (XII, XIII.)

5. De alimentis quoque futuris teſtamento relictis non rectè tranſigitur, niſi vel prætoris decretum acceſſerit (quod

tamen

men nec in præteritis, nec iis quæ ex contractu deben-
r requiſitum eſt. *l.* 8. *pr.* & § 1. *ff. h. t.*) vel alimenta-
is tranſigendo conditionem faciat meliorem, aut ſaltem
n deteriorem, accepto æquivalente. *l.* 8. §. 6. *pen.* & *ult.*
h. t. Sed nec gratis prohibetur de iis paciſci, ceſſante
ohibitionis ratione, cùm non adeò temerè quis ſuum jus
atìs remittat, quàm quidem oblatâ præſente pecuniâ.
iibus autem caſibus licitè ſuper alimentis fit tranſactio,
ictam nihilominus illa recipit interpretationem, ſicut
dubio ſub alimentis nec veſtitus contineatur nec habita-
. *l.* 8. §. 12 *ff. h. t.* ſecùs quàm eſt in legato alimentorum;
od favorabile. *l.* 6. *l. ult. ff. de alim. legatis.* (XIV.)

6. Non etiam licita de delictis futuris aut futuro dolo
nſactio. *arg. l.* 27. §. 3. 4. *ff de pact.* De præteritis verò pri-
is delictis eatenus permiſſa eſt, ut pecuniariæ pœnæ
latur obligatio *l.* 54. §. *ult. ff. de furt.* non, ut & infamia
tetur, niſi quis autore prætore tranſegerit. *l.* 4. §. *ult.*
l. 6. §. 3. *de his qui not. infam.* planè & hìc gratuitum pa-
m nequaquam inhibitum. *d. l.* 6. §. 3. (XVI.)

. De publicis criminibus non capitalibus tranſigere
i licet, excepto falſi crimine *l.* 18. *C. h. t. l.* 7. *C. ad leg.*
el. de falſis. quo ſenſu vocabulum *citra* etiam accipitur in
t. ff. de Calumniat. Quamvis & verum ſit, eos, qui de
ninibus non capitalibus tranſegerint, in falſi crimen
idere; exemplo eorum, qui ob dicendum vel non di-
dum teſtimonium pecuniam acceperint. *l.* 1. §. 1. *ff. ad*
Corn. de falſ. (XVII.)

. At de capitalibus, pœnam ſanguinis, (non mortem ci-
m) irrogantibus, tranſactio permiſſa eſt. *l.* 18. *C. h. t.*
ct. *l.* 1. *ff. de bon. eor. qui ante ſent.* Excepto adulterii cri-
ie, *d. l.* 18. cùm in lenocinium incidat de eo tranſigens.
. *ff. ad leg. Jul. de adulter.* gratis tamen de eo paciſci, nec
mprobatum puto *arg. l.* 2 §. 3. *l.* 15. §. 5. *l.* 29. §. 4. *ff. ad*
Jul. de adult. Obſt. *l.* 2. *l.* 10. *C. eod. tit.* Reſp. agitur ibi de
, qui quæſtûs gratiâ paciſcuntur, quod illicitum. *d. l.*
n fin. d. l. 29. §. 4. (XVIII.)

Extra cauſam ergo adulterii & actori & reo in capitali-
tranſigere impunè licet, ut nec reus pro convicto ac con-
habeatur, nec accuſator in SC. Turpillianum incidat.
t. accuſator in crimen concuſſionis tranſigendo incidit.
f. de concuſſ. Reſp. concuſſio differt à tranſactione; illa ve-
hæc permiſſa. *l.* 1. §. 3. *ff. de calumniat.* Obſt. ſic crimina

manſura impunita; contra *l. 18. de injur.* Reſp. unius tranſactione reliqui ab accuſatione non excludúntur. *arg. l. 5. §. ult. ff. ad leg Jul. de vi publ. l. 3. C. in quib. cauſ. ſerv. libert. pro præm.* & tranſactio tantùm inter tranſigentes non item inter alios, rei judicatæ vim habet: atque ita non repugnat. *arg. ex l. 7. §. 2. ff. de accuſat.* (XIX.)

10. Tranſactionis effectus eſt, quòd litem dirimat, habeat vim rei judicatæ, ſecundùm jam dicta, & juris-jurandi. *l. 2 ff. de jurejur.* nec reſcindatur ex reſcripto principali *l. 16. C. h. t.* nec propter inſtrumenta noviter reperta, nec ſi poſtea doceatur, nullam ſubfuiſſe tranſigendi cauſam. *l. 19. 20. 23. C. h. t.* multóque minus propter enormem læſionem. *arg. l. 78. §. ult. ff. ad SC. Trebell.* qualis læſio in re dubiâ tempore tranſactionis concipi non poteſt; quo tamen tempore oporteret læſionem fuiſſe ultra dimidium. *l. 8. in fin. C. de reſcind. vend.* Obſt. *l. 5. C. de dolo.* Reſp. ibi læſio dolo patris contigerat, contra quem ob reverentiam loco actionis doli datur in factum actio. Generaliter tamen quoties vel dolus ſubeſt, vel ex falſis inſtrumentis facta eſt transactio, vel evidens calumnia, vel error calculi intervenit, tranſactionem reſcindi æquum eſt; niſi ſuper ipſo calculi errore tranſactum fuerit. *l. 4. l. 19. l. pen. C. h. t. l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb. l. un. C de errore calc.* [XXI, XXII, XXIII, XXIV.]

11. Ex tranſactione autem ſola quandoque naſcitur exceptio, ſi pacto facta ſit, quandoque actio; eáque vel ex ſtipulatu, ſi ſtipulatione confirmata ſit; vel præſcriptis verbis, ſi contractu innominato. *l. 17. 28. C. h. t.* quòd ſi quis tranſactionem ſervare recuſet, variè punitur: etenim ſi jurejurando eam confirmaverit & majorennis ſit, infamiâ notatur, actionem perdit, & omne dominium aut commodum tranſactione quæſitum amittit, ídque omne cedit lucro adverſarii. *l. 41. C. h. t.* Sin ſtipulatione pœnali muniverit, ad pœnam tenetur, & data condicuntur; niſi adverſarius malit adhuc ſtare tranſactioni, quod in ejus eſt arbitrio. *l. 37. 40. C. h. t.*

12. *Moribus.* Super rebus judicatis hodie tranſactionem volunt ſubſiſtere; ſaltem ſuſtineri ut nudum pactum, cujus eadem, quæ ſtipulationis vis eſt. Quòd ſi quis de alimentis quomodocumque debitis modico tantùm accepto tranſegerit, & ita alimenta remiſerit, futurus deinde oneri illis quibus demandata eſt pauperum cura, tranſactio reſcindi poteſt. Tranſactionem ſuper crimine quod attinet, licèt privatis hodiè non ſit permiſſum accuſare, de crimine tamen rectè tranſigunt

ſigunt, reſpectu damni privati, quod inde paſſi ſunt: quæ tamen tranſactio, etiam in caſu quo ſuper homicidio cum occiſi proximis facta eſt, non impedit publicam accuſationem, per Fiſci Advocatos, Baillivos, &c. inſtituendam. Qui & ipſi nomine officii cum reis accuſatis nequeunt de crimine tranſigere, niſi conſulto Principe ſeu Camerâ rationali.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 4. de tranſactionibus.*

LIBER III.

TIT. I.

De Poſtulando.

1. POſtulare eſt *ſuum vel amici deſiderium exponere, vel alterius deſiderio contradicere apud eum, qui juriſdictioni praeſt. l. 1. §. 2. ff. h. t.* etiam aliquando apud Judices pedaneos, ſed impropriè. *l. 1. §. 6. h. t.*

2. Poſtulat quis vel ſuo vel alieno nomine. Qui alieno nomine poſtulat, Advocatus, vel cauſarum Patronus, aut Orator dicitur, ejúsque nobile, laudabile ac vitæ hominum neceſſarium officium eſt. Vide *l. 14. C. de Advoc. diverſ. judicior.* unde & varia Advocatis tributa privilegia. *tit. C. de Advoc. diverſ. judicior. & de Advoc. diverſ. Judicum.* paſſim. [1.]

3. Poſtulare poſſunt omnes non prohibiti. Prohibentur omnino ſervi, minores annis ſeptendecim, furioſi: pro aliis verò mulieres, excepto caſu *§. 3. Inſt. de ſuſp. tut.* cæci, inſigniter infames. *l. 1. ff. h. t.* Hæretici, Judæi, Pagani, *l. ult. C. h. t.* Patroni qui cum cliente pacti ſunt de quotâ litis. *l. 5. ff. h. t.* ut & quibus advocatione vel foro interdictum eſt. *l. 1. §. pen. de off. pref. urbi. l. 8. 9. ff. h. t.* Qui omnes excluduntur, etiamſi pars adverſa conſentiat. *l. 7. ff. h. t.* Repellendi & à poſtulando liberti contra patronos. *l. 2. C. h. t.* aſſeſſores, dum eo munere funguntur. *l. ult. C. de aſſeſſor.* Judices in cauſâ, de quâ judicant. *l. 6. C. h. t.* decuriones contra patriam. *l. 10. §. 1. ff. h. t.* Non verò removendus advocatus fiſci pro pupillo ſuo contra fiſcum, *l. 10. ff. h. t.* Nec infames leviori infamiâ pro conjunctis perſonis. *l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. ff. h. t.* Imò omnes aliàs prohibiti, ſi neceſſario fungantur officio, ad poſtulandum admittendi. *l. 6. ff. h. t.* Quiſquis autem contra edictum

poſtulaverit, pœnâ pecuniariâ extra ordinem coërcetur. *l. 1. §. 6. in fin. ff. h. t.* (II, III, IV, V.)

4. Pro patrocinio præſtito Advocati ſalaria exigunt, licèt non promiſſa, *l. 1. §. 10. l. 4. ff. de extraord. cognit.* ſed non ultra centum aureos in ſingulis cauſis. *d. l. 1. §. 12.* Quòd ſi annuum ſalarium conſtitutum fuerit, integrum debetur & peti poteſt, Advocato in medio anni moriente. *l. 1 §. 13. ff. de extr. cognit. l. 15. C. de adv. div. judicior. l. 18. ff. locati.* (VI, VII, VIII.)

5. Poſſunt autem in omnibus cauſis civilibus, & criminalibus intervenire Advocati. Sed cavendum ipſis, ne calumnientur, aut maledicant, dum cauſas agunt; neve litis iniquæ defenſionem ſuſcipiant aut ſuſceptam perſequantur. *l. 6. §. 1. C. h. t. auth. hodie §. 1. C. de judic.* Si erraverint in aliquo facto, error ille clienti non nocet, niſi præſens ſit, & intra triduum errorem non corrigat, aut cùm abfuiſſet, poſt ſententiam acquieſcat. *l. fin. C. de err. advoc.* (X.)

6. Si quis Advocato careat, ei à Prætore aliquis aſſignatur, etiam invitus, cùm publicum ſit officium. *l. 1. §. 4. ff. h. t.* & ſi fortè tyrones ab unâ, nobiliores & veterani omnes ab alterâ parte ſtent, æqualem is, qui juriſdictioni præeſt, faciet eorum diſtributionem, ne magìs imperitiâ juniorum, quàm cauſæ injuſtitiâ cliens ſuccumbat. *l. 7. C. h. t.* (XI.)

7. *Moribus,* Volunt Advocatum Fiſci ne pro ſuo quidem pupillo contra Fiſcum hodie poſſe poſtulare. Nec eum, cui annuum ſalarium conſtitutum eſt, ſi in medio anni moriatur, ultra poſſe ſalarium petere, quàm quatenus vixit. Quòd ſi Advocatus errorem commiſerit, ille ante litem conteſtatam omnino corrigi poteſt, poſt litem planè conteſtatam reſtitutione opus eſt. Sed ſi manifeſtâ Advocati negligentiâ & dolo cliens ſuccubuerit, ad id, quod intereſt, Advocatus tenebitur. Licèt autem Advocati ſalaria rectè exigant; ſub prætextu tamen ſalarii retinere nequeunt inſtrumenta litis. Quin imò pauperibus id petentibus etiam gratìs patrocinia per Advocatos præſtanda.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 6. de poſtulando. tit. 7. de Advoc. diverſ. judiciorum. tit. 8. de Advoc diverſ. judicum. tit. 10. de errore Advocatorum; &c.*

TIT.

TIT. II.
De his qui notantur infamiâ.

1. INfamiâ eſt *exiſtimationis privatio.* Et vel *juris* vel *facti* eſt. *Infamia juris* dicitur, *quæ ex turpi facto per jus notato irrogatur, vel ipſo jure vel Judicis ſententiâ.* Ipſo jure, ſive civili, ſive prætorio infames ſunt damnati aut paciſcentes datâ pecuniâ de delictis non capitalibus, in ſcenam prodeuntes quæſtûs gratiâ. *l.* 1. *l.* 4. *§. ult. l.* 5. 6. *ff. h. t.* niſi minores ſint, qui in ſcenam prodierunt, *l. pen. C h. t.* Item, qui bina ſponſalia binaſve nuptias contractas habent; viduam intra annum luctûs ducunt, aut nuptum elocant. Adhæc judicio publico damnati in eóve prævaricantes aut calumniantes. *l.* 1. *ff. h. t.* Improbi fœneratores. *l.* 20. *C. h. t.* Judices per dolum malè judicantes. *l.* 2. *C. de pœn. jud. in mal jud.* Advocati in calumniandi licentiam & maledicta, dum cauſam agunt, prorumpentes. *l.* 6. §. 1. *C. de poſtulando.* Tutores ſibi aut filiis pupillas matrimonio jungentes. *l.* 7. *C. de interdict matrim.* Majorennes in tranſactione juratâ recedentes. *l.* 41. *C. de tranſact.* Exauctorati detractis inſigniis militaribus. *l.* 2. *§.* 2. *ff. h. t.* Secus in exauctoratione nudis verbis factâ. *l.* 4. *§.* 2. *de re milit.* Relegati & fuſtigati ex cauſâ per ſe famoſâ. *l.* 1. *§.* 2. *de extraord. cognit.* at non, ſi ex aliâ cauſâ. *l.* 22. *ff. h. t.* Servi poſt manumiſſionem ob atrocius crimen in ſervitute commiſſum. *l.* 4. *ff.* 3. *ff. h. t.* non item ob levius. *l. pen. ff. h. t.* Deque ſtellionatûs damnati, ſi crimen illud concurrat cum negotio infamante, aliàs non, quâ diſtinctione concilianda. *l.* 13. *§. ult. h. t.* cum *l.* 2 *ſtellionatus.* (I.)

2. Sententiâ Judicis infames ſunt, qui actione mandati, depoſiti, tutelæ directâ, ac pro ſocio damnati ſunt ob dolum aut latam culpam. *l.* 1. *ff. h. t.* *l.* 4. *§.* 1. 2. *ff. de ſuſp. tut.* junct. *l.* 226. *ff. C. S.* Obſt. *l.* 7. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* junct. *l.* 9. *de manum. vind.* Reſp. vita & fama in aliquo tertio comparantur in *d. l.* 9. at non in omnibus. (II.)

3. Infamia facti eſt, *quæ oritur ex facto, quod per jus non eſt notatum, ſed exiſtimationem alicujus onerat penes viros graves & honeſtos. l.* 2. *ff de obſeq. parent. & patron. præſt. l.* 13. *C. h. t.* quali laborant infamiâ, qui bonis ceſſerunt. *Nov.* 135. *c.* 1. non verò ſpurii. *arg. l.* 6. *ff. de decurion.* licèt in concurſu alii præferantur legitimè nati. *l.* 3. *§.* 2. *ff. eod.* (III.)

4 Effectus ejus eſt, quod teſtimonio fidem detrahat. *l. 5. ff. de teſtib.* Repellat à dignitatibus. *l. 2. C. de dignitat.* Querelæ inofficioſi locum faciat, turpi perſonâ fratribus prælatâ. *l. 27. C de ineff teſt.* eámque faciat ceſſare, ſi ipſe frater turpitudine laboret. *arg. l. 11. C. eod.* (IV.)

5 Evitatur autem infamia, ſi alia pœna gravior per ſententiam imponatur. *l. 13. §. 7. ff. h. t.* Obſt. *l. 13. ff. de furt.* Reſp. procedit illius legis diſpoſitio, ſi quis ſimpliciter furti damnetur ad ordinariam pœnam, non item, ſi ad eam, quæ toto genere diverſa eſt. Evitatur & ſi in procuratorem feratur ſententia. *l. 4. §. ult. l. 6. §. 2. ff. h. t.* vel offeratur ante ſententiam debitum in illis judiciis, quibus per ſententiam infamia infligitur, de quibus caſibus intelligenda. *l. 73. ff. de procurat.* non verò de iis, quibus ipſo jure quis infamis eſt. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* (V.)

6. Suſpenditur infamia, ſi à ſententia, per quam irrogata eſt, appellatum fuerit. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* (VI.)

7. Tollitur verò, quæ jam irrogata fuerat, ſi quis adverſùs eam ſpecialiter reſtitutus ſit, non item, ſi generalis tantùm abolitio ſit impetrata. *l. ult. C. de general. abolit. l. 1. §. 9. ff de poſtuland.* Inſuper lapſo tempore; ſi quis ad tempus per Judicis ſententiam cum infamia relegatus ſit ex causâ, naturâ ſuâ non infamante. *l. 1, 2. C. de his qui in exil. miſſi. l. 3. §. 1. ff. de decurion. l. 15. ad municip.* alioquin, ſi ipſo jure infamia cauſæ relegationis cohæreat, etiam poſt reditum durat infamia. *l. 6. C. h. t. l. 4. §. 4. ff. de re milit. l. 5. ff. de decur.* quamvis hæc diſtinctio ad edictum de poſtulando non pertineat; quatenus illic lapſo tempore quilibet ſine diſtinctione cauſæ, ex quâ fuit infamis factus, poſtulare poteſt. *l. 8. ff. de poſtul.* (VII.)

8. *Moribus.* Hodie ob dolum in tutelâ, mandato, depoſito & ſocietate commiſſum damnati non fiunt infames; ut nec mulieres intra annum luctûs nubentes. Et generaliter uſu receptum eſt, nullum civile judicium infamare; nec tam ex causâ, quàm potiùs ex genere pœnæ infamiam irrogari, veluti ex ictu fuſtium, aut virgarum, aut aliâ corporali pœnâ.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 12. ex quib. cauſis infam. irrogatur.*

TIT. III.

De Procuratoribus & Defenſoribus.

1. PRocurator eſt, *qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat l.* 1. *ff. h. t.* Qualis Dominus cùm non ſit tutor aliíque ſimiles, etiam Procuratorem negotiis pupillaribus peragendis nequeunt ante litem conteſtatam conſtituere. *l.* 11. *C. h. t.* Expedit autem Procurator facta non jura; ejúſque viliùs & abjectiùs, quàm Advocati, eſt officium. (I, II.)

2. Procuratorem conſtituit quilibet: etiam de ſtatu ſuo litigans, ſive in libertatis, ſive in ſervitutis poſſeſſione ſit. *l.* 33. §. 1. *ff. h. t.* non tamen ad ventilandam ipſam ſtatûs ſui controverſiam, ſi in poſſeſſione ſervitutis ſit. *l.* 1. *C. de aſſert. toll.* (II, III.)

3. Conſtitui poteſt quivis non prohibitus. Cúmque vel ad *extrajudicialia negotia* Procurator ſit, de quo alibi, vel *ad lites*; ad has Procurator conſtitui nequit fœmina. *l.* 2. *de R. J.* niſi in ſuam, aut pro parentibus. *l.* 41. *ff. h. t.* non pro liberis. *l.* 18. *C. h. t. l.* 31. §. *pen. ff. de negot. geſt.* eò quòd filiis ſatìs per tutorem proſpici poteſt, at non ita parentibus. Non etiam miles. *l.* 7. *l.* 9. *C. h. t. l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* non reus criminis. *l.* 6. *C. h. t.* nec infamis, quippe qui non metueret pœnam infamiæ, Procuratori propter dolum irrogandum ex *l.* 1. *de his qui not. infam.* quod non correctum per §. *ult. Inſt. de except.* Nec minor annis ſeptendecim; ſed eâ ætate major poteſt, ut ut viginti quinque annis minor fuerit; licèt talis defenſor eſſe nequeat. *l.* 51. *ff. h. t. l.* 12. *C. eod.* §. 5. *Inſt. ex quib. cauſ. manum. non licet.* (IV, VI)

4. Procurator alius *generalis* eſt, alius *ſpecialis*. Specialis dicitur, *qui ad certam cauſam vel actum expediendum datus eſt.* Generalis verò, *cui omnia negotia gerenda ſunt demandata.* Et hic iterum vel *cum liberâ adminiſtratione*, qualis omnia ferè poteſt, quæ Dominus; vel *ſine liberâ*, qui non tam laxam habet in adminiſtrando poteſtatem. *l.* 58. 60. 63. *ff. h. t. l.* 17. §. *ult. ff. de jurejur.* [VII.]

5. Eſt & Procurator *in rem ſuam*; qualis, qui *negotium expedit non ad mandantis; ſed propriam utilitatem*, ſeu, cui actiones ceſſæ ſunt. *l.* 17. §. *ult. ff. de jurejur.* quod etiam invito debitore fieri poteſt. *l.* 3. *C. de hæred. vel act. vend. l.* 1. *C. de novat.* Obſt. quòd non liceat debitori, invito creditore, alium ſuo loco ſubſtituere. *l.* 21. *C. de hæred. vel act. vend.* ergo nec credi-

tori. *arg. l. 14. ff. de reg juris.* Reſp. illa regula fallit in caſibus, quibus alia debitoris quàm creditoris ratio eſt. Quod hìc obtinet, cùm debitor alium ſuo loco ſubſtituendo deteriorem reddere poſſet creditoris conditionem; at debitor ſemper eodem modo liberatur ſolvendo ante & poſt ceſſionem, nec ejus cauſa ceſſione deterior fit. [VIII.]

6. Cæterùm ad conſtituendum Procuratorem mandato opus eſt, eóque vel expreſſo, vel tacito; quale tacitum mandatum etiam ex ſilentio præſentis & ſua negotia geri ſcientis colligitur. *arg. l. 18. ff. mand.* non item ex ſilentio ſolo ejus, cui quid mandatum eſt. *l. 8. §. 1. ff. h. t.* nec ad judicium quiſquam admittitur, ſi conſtet eum mandato carere, ſic ut vel adverſario tacente Judex illud exigat. *l. 24. C. h. t.* Obſt. *l. 39. §. 3. de damn. infect.* Reſp. contumax quidem opponere nequit procuratoriam exceptionem, qui ſenſus *d. l. 39. §. 3.* Judex interim, ſi deſit mandatum, ex officio removere poteſt. Niſi tamen conjunctæ perſonæ ſint, quæ etiam ſine mandato agere volentes admittuntur, velut pater, filius, affinis, &c. *l. 35. h. t.* etiam conſors litis. *l. 2. C. de conſort eiuſd. lit.* ut & maritus pro uxore. *l. 21. C. h. t. de pactis conv.* in receptitiis verò, cautione præſtitâ. *d l. 21. C. h. t.* Modò in pleriſque his caſibus voluntas ejus, pro quo perſona conjuncta agit, non ſit contraria. *l. 10. §. ult. ff. h. t.* [IX, X, XI.]

7. Quòd ſi de mandato Procuratori dato conſtet, ſuperflua eſt de rato cautio. *l. 1. C. h. t. l. 15. ff. h. t.* niſi mandatum non ſatìs ſpeciale ſit; quo modo accipi poteſt caſus in *l. 5. §. 18 ff. de nov. oper. nunciat.* Sed ſi de mandato dubitetur, admittendus ita demum eſt Procurator, ſi de rato caverit. *d. l. 1. C. h. t.* Quòd ſi, cùm mandato careret, déque eo conſtaret, admiſſus nihilominus fuerit, ipſo jure nullum eſt, quicquid à falſo Procuratore geſtum fuerit. *l. 24. C. h. t.* Nec confirmatur ſententia ratihabitione ejus, pro quo lata: utpote, qui jus objiciendi ſententiæ nullitatem adverſario ſemel quæſitum ratihabitione ſuâ auferre nequit. Obſt. ratihabitio mandato ſimilis eſt, *l. 60. ff. R. J. l. ult. C. ad SC. Maced.* Reſp. id verum, ſi per eam non adimatur alteri jus quæſitum. Si tamen contra falſum Procuratorem ſententia lata, dominus ratihabitione ſuâ eam confirmare poteſt, cùm ita ſuo tantùm juri renunciet. Quemadmodum etiam pendente adhuc incerto litis eventu ante ſententiam dominus ratum habere poteſt, quod à falſo Procuratore geſtum. *l. 65. ff. de judic.* (X. in fine XII)

8. Inter-

8. Intervenit Procurator in omnibus cauſis civilibus, niſi circumſtantiæ exigant ipſius Domini præſentiam. *l. 26. ff. h. t.* In cauſis verò criminalibus non, niſi illuſtris agat aut conveniatur. § 10. *Inſt. de injur.* vel alleganda tantùm ſit juſta abſentiæ cauſa. *l.* 13. §. 1. *ff. de publ. judic. l.* 71. *ff. h. t.* vel reus abſens condemnari poſſit. *l.* 33. §. 2. *ff. h. t.* quod fit, cùm aut de crimine agitur, cujus pœna eſt intra relegationem; aut iis cum ipſo reo præſente eſt conteſtata. *l.* 1. *ff. an per al. cauſ. appell.* 10. *ff. de publ. jud. l.* 3. *C. de accuſat.* de quo poſteriore caſu intelligenda. *l.* 4. §. 2. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* Populares quod ſpectat actiones, in iis pro reo quidem, at non pro actore Procurator admittitur. *l.* 5. *ff. de pop. action.* niſi privatum commodum quis perſequatur. *l.* 45. §. 1. *ff. h. t.* (XIV, XVI.)

9. Officium procuratoris eſt, cauſam Domini diligenter expedire, non tantùm in conventione, ſed & in reconventione. *l.* 33. §. 3. 4. *ff. h. t.* etiamſi Procurator ſit in rem ſuam, ſive mutua actio ex eâdem, ſive ex diverſâ causâ deſcendat; modò non ſit *in rem ſuam* factus ex neceſſitate, aut bonâ fide & ex titulo oneroſo; tunc enim defendere non cogitur in reconventione. *l.* 33. §. *ult. l.* 34. *l.* 70. *ff. h. t.* (XVII.)

10. Quòd ſi ſuccubuerit Procurator, appellare tenetur ab iniqua ſententia, proſequi verò appellationem non eſt obligatus, *l.* 17. *C. h. t.* niſi ad omnem cauſam datus. *l.* 2. *ff. an. per al. cauſ. appell.* Quemadmodum nec aliam actionem, quàm quæ mandato comprehenſa eſt, poteſt inſtituere, *l.* 21. *C. h. t.* niſi ea actioni mandatæ velut acceſſoria cohæreat. *l.* 56. *l.* 62. *ff. h. t.* (XVII.)

11. Fit autem Procurator protinus à lite conteſtatâ litis Dominus. *l* 11. *C. h. t.* & ut talis citatur. *l.* 22. *& ſeqq. h. t.* Licèt & ante litem conteſtatam citari ac cogi poſſit, ut litem ſuſcipiat, ſi Procurator rei ſit. *l.* 8. §. 3. *ff. h. t.* niſi ipſe caverit, judicatum ſolvi, quo caſu ſufficit, cautionem commiti. *l* 43. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 35. §. *ult. ff. h. t.* Reſp. non dicitur ibi, ipſum Procuratorem caviſſe, judicatum ſolvi. Fertur & in eum, tanquam litis Dominum ſententia. *l. C. de ſent. & interloc.* Licèt executioni mandetur in bonis Domini mandantis, niſi ſe Procurator in lite pro alio obtulerit, aut ipſe judicatum ſolvi ſatisdederit. *l.* 4. *ff. de re jud. l.* 28. *ff. h. t.* Si quid autem dolo Procurator in lite commiſerit, id domino nocebit, cui tamen contra Procuratorem regreſſus datur. *l.* 10 *C. h. t.* ſed ſi Procurator ſolvendo non ſit, & cum ejus dolo concurrat quoque dolus adverſarii, dominus indemnis ſer-

vandus eſt, datâ doli actione contra adverſarium. *l.* 8. §. 1. *ff. de mand.* (XIX, XX.)

12. Ceſſat Procuratoris officium morte ejus & renunciatione ob juſtas cauſas factâ *l.* 8. §. 3. *ff. h. t.* ut &, ſi bona debitoris quem defendit, à creditoribus poſſeſſa ſint. *l.* 43. §. *ult. ff. h. t.* non, ſi aliter reus deſinat ſolvendo eſſe. *l.* 76. *ff h. t.* Ceſſat quoque revocatione mandati per Dominum factâ ante vel poſt litem conteſtatam, etiam invito adverſario; at non invito Procuratore poſt litem conteſtatam, niſi juſta cauſa ſubſit, & Dominus Procuratori ſolvere paratus ſit impenſas in litem factas, quarum intuitu alioquin retentio actorum Procuratori conceſſa eſt. *l.* 22. *C. h. t. l.* 17. *& ſeqq. l.* 25. 26. 64. *ff. h. t.* Nullo tamen modo licita eſt mandati revocatio, ſi quis in rem ſuam Procurator ſit. *l.* 25. *in fin. l.* 55. *ff. h. t.* (XXI, XXII, XXIII.)

13. Defenſor eſt, qui ſine mandato reum defendit, & præſtat cautionem *judicatum ſolvi*, de quâ alibi; item *de rato* in actione in rem. *l.* 40. §. 2. *ff. h. t.* (XXV.)

14. *Moribus.* Procuratorum officium hodie publicum eſt æquè ac Advocatorum; atque ideo inviti quoque ad procurationem ſuſcipiendam conſtringi poſſunt, & pro labore & induſtria ſalarium rectè petunt; cujus tamen prætextu retinere nequeunt litis inſtrumenta; licèt pro litis impenſis, quas erogarunt, ea retinere non ſit prohibitum. Certæ autem perſonæ ſtyli ac praxios peritæ ac jurejurando obſtrictæ, certo plerumque numero, id munus obeunt, nec extra hos alii, illúdque ferè curiarum uſu receptum eſt, ne quiſquam in causâ alicujus momenti ſine Procuratore & Advocato in Judicio conſiſtat. Nec admittuntur regulariter Procuratores pro cliente, niſi de mandato conſtet ex inſtrumento publico tabellionis, etſi de ratihabitatione cavere parati eſſent, Secretarii, Graphiarii, &c. ut tamen Viri illuſtres, Civitates & Collegia Eccleſiaſtica mandare poſſunt ſub ſuo Sigillo & manu propria aut ſubſcriptione Scribæ Collegii. Quid, quod nec pro reo abſente alius intervenire poteſt, niſi pro ſuo proprio intereſſe. Cæterùm Procurator ad lites moribus hodiernis etiam ante litem conteſtatam poteſt alium ſuo loco ſubſtituere; æquè ac tutor aut curator in cauſis pupillorum. Unde & mulieres hodie Procuratores eſſe poſſunt, modò ante litem conteſtatam alium Procuratorem publicum ad litem peragendam ſubſtituant. Poteſt autem hodie mandatum Procuratori ad lites datum, etiam poſt litem conteſtatam revocari, eò quòd procurator

curator non litis dominus,ſed potius miniſter eſt;ex quâ ratione etiam eſt,quòd non in procuratorem,ſed ipſum dominum feratur ſententia, niſi procurator ſine mandato in lite ſubſtiterit; quo caſu ipſe condemnatur,& executionem patitur.Quòd ſi procurator ad litem ſit mortuus pendente lite, dominus ad novum procuratorem conſtituendum citandus eſt.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 13. de procuratoribus. tit. 14. ut liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, &c. tit. 18. ne Fiſcus vel reſp. procurationem alicui patrocinii causâ in lite præſtet.*

TIT. IV.
Quod cujuſque Univerſitatis nomine, vel contra eam agatur.

1. UNiverſitas eſt *corpus ex diſtantibus capitibus*; ſed hìc propriè hominum conſideranda univerſitas,velut,Collegium licitum, Municipium,Civitas, Vicus, Pagus: quales univerſitates arcam communem,res communes habent. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* etiam delinquere poſſunt, *l. 9. §. 1. ff quod met. cauſ.* & ipſæ aliquid debere ipſiſque deberi; licèt id ſinguli non debeant,nec ſingulis debeatur. *l. 7. §. 1. ff. h. t.* (I, II, IV.)

2. Hinc ad cauſas ſuas agendas vel defendendas *Syndicum* mandato conſtituunt, qui & *actor* dicitur, ac definitur,quòd ſit, *qui cauſam univerſitatis mandato adminiſtrat in judicio*, regulariter de rato non cavens. *l. 6. §. 3. ff. h. t.* Alius præter actorem univerſitatis nomine experiri nequit. *l. 3. ff. h. t.* quamvis defendere univerſitatem ſine mandato poſſit. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* (V, VI.)

3. Creatur autem Syndicus à lege: vel, eâ ceſſante, ab ordine decurionum, ſi ſit; alioquin à ſingulis univerſitatis membris, aut majore decurionum membrorúmve præſentium parte,quæ ad ſe trahit partem minorem;ut tamen non pauciores quàm duæ partes tertiæ totius ordinis præſentes ſint,connumerato etiam eo,qui Syndicus creatur. *l. 3. l. 4. ff. h. t.* Et hic patris ſuffragium filio, ac vice verſâ, prodeſſe poteſt. *l. 5. ff. h. t.* nulli verò ſuffragium proprium. *arg. l. 4. ff. de offic. præt.* nec contrarium in *l. 4. ff. h. t.* aſſeritur. (VII.)

4. De cætero in Syndicis eadem ferè recepta ſunt, quæ in privatorum procuratoribus. *arg. l. 1. §. pen. & ult. l. 6. §. 2. 3. ff. h. t. l. 16. ff. V. S* (VIII.)

5. Mo-

6 *Moribus.* Si univerſitas ſe ipſam ac ſingula membra nominatim pro debito obligaverit, etiam membra ſingula pro univerſitatis debito conveniri poſſunt.

TIT. V.
De Negotiis Geſtis.

1. NEgotiorum geſtor eſt, *qui abſentis vel ignorantis negotia ſine mandato gerit.* Et licèt culpa ſit, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, *l.* 36. *ff. R. J. l.* 8. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* tamen, ſi quis aliena geſſerit negotia in gratiam domini, actio negotiorum geſtorum indè naſcitur, directa & contraria. (I.)

2. Directa domino datur, & ei, cujus intereſt. *l.* 47. *ff. h. t.* adversùs geſtorem vel maſculum vel fœminam. *l.* 1. §. 1. *l.* 31. §. *pen. ff. h. t.* ad id, ut reddat rationes adminiſtrationis & reſtituat id, quod ad ipſum pervenit aut pervenire potuit. *l.* 16. §. 4. *ff. h. t.* etiam cum uſuris maximis, ſi quid geſtor in ſuos uſus converterit. *l.* 38. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 10 §. 3. *ff. mand.* Reſp. Procurator, qui ex mandato domini nummos poſſidet, quos in ſuum uſum convertit, eo ipſo minùs peccat, quàm quidem negotiorum geſtor, qui ſine domini voluntate nummos primitus adeptus eſt. (II.)

3. Culpam autem negotiorum geſtor præſtat leviſſimam. *l.* 23. *ff. R. J.* §. 1. *Inſt. de obl. ex quaſ. contr.* niſi acceſſerit ad negotia aliàs peritura. Quo caſu ſolum dolum præſtat. *l.* 3. §. 9. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 20. *C. h. t.* Reſp. lex minus dicit, ſed aliunde ſupplenda. Obſt. *l.* 7. *C. arbitr. tut.* Reſp. ſingulare eſt, ſi negotiorum geſtorum actio detur ob curæ adminiſtrationem, cùm & in actione tutelæ culpa tantùm levis præſtetur. Non verò tenetur de caſu fortuito, niſi inſolita geſſerit: quo tamen caſu omnis lucri & damni in inſolitis evenientis compenſatio fit, ac deinceps demum inſpicitur, quantùm damni caſu datum ſit. *l.* 11. *ff. h. t.* ſecus in ſocietate, ubi ſumma induſtria cum negligentiâ ſummâ haud compenſatur. *l.* 23. §. 1. *& ll. ſeqq ff. pro ſoc.* (IV, V.)

4. Tenetur quoque de non geſtis modò gerere debuerit. Gerere verò debuit & perficere ea, quæ inchoavit; nova inchoare non tenetur, niſi alius ea inchoaturus fuiſſet, qui nunc, quòd alium gerere videret, deſtitit. *l.* 6. §. *ult. l.* 16. *l.* 21. §. 2 *ff. h. t.* (VI, VII.)

5. Contraria geſtori competit adversùs dominum, ut indemnis

demnis ſervetur, ne officium ipſi damnoſum ſit. Adeóque ut neceſſarias & utiles impenſas recuperet unà cum uſuris, quas ipſe præſtitit nomine pecuniæ impenſæ ab alio mutuò acceptæ, quaſve ex propriâ pecuniâ, quam erogavit, potuiſſet percipere. *l.* 19. §. 4 *ff. h. t.* licèt impenſæ ab initio utiliter aut ex neceſſitate factæ, nullam nunc domino utilitatem præbeant. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* Quòd ſi ultra rei utilitatem quid impenderit, eatenus recipit, quatenus erogare debuerat. *l.* 25. *ff. h. t.* (VIII, IX.)

6. Ceſſat tamen actio contraria, ſi quis inviti & prohibentis negotia geſſerit. *l. fin. C. h. t.* Si pietatis intuitu, non animo repetendi, ſumptus fecerit; quod in dubio præſumendum in matre liberos alente, aut tutores liberorum ſuſpectos poſtulante, in patre liberos in ſtudiis educante; marito uxoria ægræ curationem procurante; aliiſque ſimilibus. *l.* 34. *l.* 44. *ff. h. t. l.* 1. *l.* 11. *l.* 12. *C. h. t. l.* 50. *ff. famil. erciſc.* Quòd ſi proprii commodi cauſâ quid geſſerit, non ultra recuperat, quàm quatenus inde dominus locupletior factus eſt. *l.* 6. §. 3 *ff. h. t.* (X, XI, XII, XIII.)

7. Cæterùm, ſi Dominus id, quod geſtum eſt, ratum habuerit; ſi quidem eo animo, ut in mandatum abiret negotiorum geſtio, actio mandati dabitur; alioquin negotiorum geſtorum actio durabit, mens ſc. contrahentium præcipuè ſpectanda. Vide *l.* 6. §. 10. *l.* 9. *ff. h. t. l.* 50. *ff. mand. l.* 60. *ff. R. J.* (XIV.)

8. *Moribus.* Negotiorum geſtorem judicialia pro aliis tractare non poſſe, ex iis, quæ de procuratoribus. *tit.* 3. *n. ult.* dicta ſunt, expeditum eſt: Geſtorem autem impenſas neceſſarias & utiles ex bono & æquo repetere poſſe cenſent, licèt inviti & prohibentis negotia geſſerit; ſaltem quatenus ex iis res melior eſt reddita. Uſuras verò impenſarum nullus geſtor exigere poteſt, niſi à tempore litis conteſtatæ: quod ferè generaliter in omnibus cauſis obtinet.

* Adde *Cod. libr.* 2. *tit.* 9. *de negotiis geſtis.*

TIT. VI.

De Calumniatoribus.

1. CAlumniator in criminalibus eſt, *qui falſa crimina ſcienter intendit. l.* 1. §. 1. *ad SC. Turpill.* In civilibus, *qui per fraudem alteri litem iniquum movet.* Sed in hoc tit. calumniator dicitur, *qui pecuniam accipit, ut, vel ne litem per calumniam moveat.*

moveat. Contra quem datur actio de calumniatoribus in factum prætoria, intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum acceptæ pecuniæ. *l.* 1. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* ita ut quadruplo inſit ipſa res. *l.* 5. *ff. h. t.* niſi quis dederit, ne alteri lis moveatur, quo caſu danti condictio dati, & ei, cui lis non erat movenda, actio in quadruplum nata eſt. *l.* 7. *ff. h. t.* (I, III.)

2. Competit hæc actio ei, cui per calumniam lis movenda erat; ut & ei, qui dedit, ne ſibi lis moveretur. *l.* 3. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t.* non verò ei, qui dedit, ut alteri lis moveretur; quippe qui ne data quidem condicit. *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* ut nec ei, qui quid dedit, ne tertio lis moveretur: habet enim ſolam pecuniæ datæ condictionem. *l.* 7. *ff. h. t* Hæredibus non niſi ſola dati condictio datur, ſi defunctus dederit. *l.* 4. *ff. h. t.* in hæredes verò non, niſi quatenus ad eos pervenit; eò quòd turpia lucra ſint extorquenda. *l.* 5. *ff. h. t.* (II.)

3. Evitandæ autem calumniæ causâ præſtandum calumniæ jusjurandum, non ab actore tantùm, qui vel ſuo vel tutorio vel curatorio nomine, vel pro civitate agit. *l.* 2. §. 2. *Cod. de jurejur. propt. calumn. dando.* ſic ut recuſans à judicio repellatur. *l.* 2. §. 6. *eod.* ſed & à reo, qui ſi præſtare noluerit, pro convicto erit. *d. l.* 2. §. 7. Etiam ab Advocatis. *l.* 14. §. 1. *C. de judic.* Quòd ſi judicia fuerint duplicia, ut familiæ erciſcundæ, ab utraque parte præſtandum calumniæ jusjurandum, conjunctâ ſimul actoris & rei formulâ: *l.* 44. §. 4 *ff. famil. erciſc.* Nec ulli hæc jurandi neceſſitas jure novo remiſſa eſt. *Nov.* 49. *cap.* 3. quamvis jure veteri parentes & patroni immunes fuerint. *l.* 8. §. 5. *ff. qui ſatisd. cog. l.* 34. §. 4. *ff. de jurejur.* ubi pro *neque* legendum *æque, atque.* (IV, V, VI, VII.)

4. *Moribus.* Arbitraria ferè hodierno jure eſt pœna eorum, qui acceptâ pecuniâ calumniatores ſunt. Jurisjurandi verò calumniæ ante litem conteſtatam vix ullus in Hollandiâ uſus eſt, ſive actoris & rei intuitu, ſive reſpectu Advocatorum, quippe qui non in ſingulis cauſis, ſed annuis ſingulis ſemel de calumniâ jurant. Poſt litem tamen conteſtatam, cùm ad articulos examinantur litigantes, jusjurandum calumniæ ab iis præſtari moris eſt. Interim non impunè quis litem per calumniam movet aut excipit, præterquam enim quòd temerarius litigator convenienter juri Romano in expenſas condemnetur, niſi admodum probabili ratione litigaverit, etiam mulctam ex regionum ac curiarum more conſtitutam tenetur perſolvere.

* Adde *ex Cod. lib.* 9. *tit.* 46. *de calumniatoribus, & libr.* 2. *tit. ult. de jurejurando propter calumniam dando.*

LIBER

LIBER IV.

TIT. I.

De in Integrum Reſtitutionibus.

1. RESTITUTIO in integrum eſt *redintegranda rei ſeu cauſa actio*, vel *amiſſa cauſa redintegratio.* Et fit vel implorato extra ordinem Judicis officio : quo implorato, demum fit in jus vocatio adverſarii *arg. l. 39. ff. de evict.* vel datâ actione, idque aut reſciſſionem & amiſſæ rei reſtitutionem, aut ad id quod intereſt. (1:)

2. Eſt autem reſtitutio ſpecies illius juriſdictionis, in quâ magis mixtum imperium, quàm, juriſdictio dominatur. *arg. l. 26. pr. & §. 1. ff. ad munic.* unde & ſoli majores, at non municipales Magiſtratus reſtituunt. *d l. 26. §. 1.* licèt pedaneis Judicibus aliiſque reſtitutio poſſit demandari. *l. fin. C. ubi & ap. quem cognit. reſtit.* (II.)

3. Nemo autem contra id, quod à ſuperiore actum eſt, reſtituit; ſed tantùm contra ſuum aut anteceſſoris aut alterius inferioris factum, puta ſententiam. *l. 16. §. ult. & ll. ſeqq. ff. de minor.* Et hic competens eſt Judex loci, in quo adverſarius habet domicilium. *l. 2. C. ubi & apud quem cogn. reſtit.* vel contractûs celebrati, ſi ibi adverſarius inveniatur. *arg. l. 14. §. 4. C. de non num. pec.* vel rei ſitæ, ſi reſtitutio petatur propter in rem actionem. *arg. l. ult. C. ubi in rem act.* (II.)

4. Petunt reſtitutionem, qui læſi ſunt, juſtámque reſtitutionis cauſam habent, per ſe vel Procuratores : nemo tamen pro alio ſine mandato, ſolo patre excepto. *l. 27. de minor.* contra regulam in *l. 35. ff. de procurat.* eò quòd reſtitutio eſt extraordinarium remedium. [IX, X.]

5. Cæterùm non ſimpliciter datur reſtitutio, ſed causâ demum cognitâ. *l. 3. ff. h. t.* ſc. an vera, an juſta, an ſatìs gravis ſit : rei enim minimæ non eſt reſtitutio, ſi majori præjudicetur. *l. 4. ff. h. t. l. 16. §. 4. de minor.* licèt in ordinariis etiam res minima curetur, §. 16. *Inſt. de rer. diviſ.* Item an non ipſo Jure tutus quis ſit, aut aliud ordinarium æquè pingue remedium habeat. *l. 16. ff. de minor.* etenim, ſi pinguior ſit reſtitutio

reſtitutio, etiam cum alio concurrit ordinario remedio. *l.* 14 *ſ.* 2. *ff. quod met. cauſ.* Inſuper, an non jam ſemel idem petierit, nec impetraverit. *l. ult. C. ſi ſap. reſtit. poſtul.* idque ex eâdem causâ: ſecus ſi ex diverſis. *l.* 7. *§.* 9. *de minor.* Etiam an non contra parentem aut patronum petat, utpote contra quos ea deneganda eſt. *l.* 2. *C. qui & adverſ. quos reſt. non poſſ.* Obſt. *l.* 2. *C. ſi adverſ. rem jud. l.* 1. *C. ſi adverſ. donat.* Reſp. in neutra lege contra patrem, ſed in illa contra Judicis ſententiam; in hac contra donatarium potius reſtitutio data eſt: quamvis & utraque dici poſſit abrogata per *d. l.* 2. *C. qui & adverſ. quos.* exceptio tamen eſt in *nov.* 155. *c.* 1. Denique inquirendum, an non lapſum ſit tempus reſtitutioni petendæ præfinitum, quod olim annus utilis erat, hodie quadrienninm continuum in omni reſtitutione, exceptâ eâ, quæ ob dolum fit, in quâ biennium eſt; adeò ut intra illud tempus biennii vel quadriennii lis regulariter & inchoanda & finienda ſit. *l.* 6. *l. ult. C. de tempor. reſtit. l. ult. C. de dolo.* Et hoc ſpatium integrum competit, etiamſi actio principalis, cujus reſpectu petenda reſtitutio breviori tempore finiretur, ut vindicatio mobilium; cum *d. l. ult.* generaliter loquatur. Poſtquam autem reſtitutio intra illud tempus impetrata fuerit, atque ita actio priſtina reddita inceperit iterum poſſe exerceri, non ultra durabit, quàm tanto tempore, quantùm ſupererat ante exiſtentem reſtitutionis cauſam; veluti, abſentiam. *l.* 26. *§.* 8. *ff. ex quib. cauſ. major. arg. l.* 2. *ff. quand. de pecul. act. annal* Obſt. *l.* 10. *§.* 23. *ff. quæ in fraud. credit.* Reſp. quod ibi dicitur, *reſtitutionem intra id tempus poſſe poſtulari*, non de reſtitutione in integrum, ſed de reſtitutione ipſius rei poſt impetratam reſciſſionem alienationis in fraudem creditorum factæ intelligendum eſt. (XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX)

6. Effectus reſtitutionis eſt, quòd in priſtinum ſtatum omnia reducantur; & quidem uno judicio; neque enim judicium duplex, *reſcindens* & *reſciſſorium*, admittendum eſt, ſive ſimpliciter reſcindatur quod geſtum eſt, ut in *l.* 21 *§.* 5. *l.* 9. *§.* 3. *ff. quod met. cauſ.* ſive res inſuper reddenda ſit. *l.* 18. *§.* 1. *ff. de dolo. l.* 24. *§.* 4. *ff. de minor.* ſive actio extincta reſtituatur. *§.* 5. *Inſt. de action. l.* 9. *§.* 4. *ff. quod met. cauſ. l.* 35. *ff. de obl. & act.* (XXI, XXII, XXIII, XXIV.)

7. Pendente autem cognitione de reſtitutione, nihil innovandum aut executioni dandum eſt. *l.* 32. *C. de tranſact. l. un. C. in int. reſt. poſtul. ne quid novi fiat*, niſi protinus appareat,
morandæ

morandæ tantùm ſolutionis gratiâ eam peti. *arg. l. 2. C. ad leg. Corn. de falſ.* [XXV.]

8. Cauſæ juſtæ reſtitutionis ſunt, metus, dolus, minor ætas, capitis diminutio, abſentia, alienatio judicii mutandi causâ, & juſtus error; cujus exemplum eſt in *l. 1. §. ult. & ll. ſeqq. ff. quod falſo tut. autore.* [XXVI, XXVII.]

9. *Moribus.* Reſtitutiones in integrum uſu hodierno à ſupremâ curiâ regulariter petendæ ſunt, oblato libello ſupplice, quo cauſæ reſtitutionis impetrandæ enarrantur: quæ ſi juſtæ ſint, jubet curia, ut cauſæ principalis judex examinet, an preces veritate nitantur; de quo ſi conſtet, datur reſtitutio. Solet autem ea peti, licèt negotium ſit jure ipſo nullum, majoris ſecuritatis ergo, dum ſæpe dubium, an quid ipſo jure nullum ſit, an ſtricto jure ſubſiſtat. Non aliter tamen per procuratorem ea petitur, quàm ſi is ſpeciale ad id mandatum habeat; niſi incidenter tantùm de reſtitutione agatur, quo caſu ſufficit interpoſitum generale de principali causâ mandatum. Cæterùm contra parentes quoque ex magnâ læſione reſtitutionem impetrari poſſe receptum eſt. Pendente verò reſtitutionis quæſtione, negotium contra quod quis reſtitui deſiderat, interim executioni datur; præſtitâ cautione de reſtituendo.

* Adde *ex Cod. lib. 2. tit. 42. qui & adverſ. quos reſt. non poſſ. tit. 44. ſi ſæpius in integr. reſt. poſtul. tit. 47. ubi & apud quem cognitio in integr. reſtitutionis agitanda ſit. tit. 49. etiam per procuratorem, &c. tit. 50. in integrum reſtit. poſtulatâ ne quid novi fiat. tit. 53. de tempor. in integr. reſtitut.*

TIT. II.

Quod metûs causâ geſtum erit.

1. VIs eſt *majoris rei impetus, cui reſiſti nequit.* Metus eſt *inſtantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. l. 1. 2. ff. h. t.* Quod autem metu geſtum eſt, ſubſiſtit donec reſcindatur, eò quod, qui metu contrahit, conſenſum adhibet. *l. 21. §. 5. ff. h. t.* licèt non liberrimum; quippe quem metus excludit. *l. 116. ff. R. J.* [I, II.]

2. Hinc acceſſoria actio quod metûs causâ, prætoria, arbitraria, in rem ſcripta, pœnalis, ex contumacia. *§. 27. Inſt. de action.* Competens intra annum utilem; jure novo quadriennium continuum. *l. fin. C. de temp. in int. reſtit.* ei, qui metu illato damnum paſſus eſt, dum quid dedit, promiſit;

aut omiſit, quod nocet. *l. 9. §. 3. ff. h. t.* ejúſque hæredibus. *l. 14. §. 2. in fin. ff. h. t.* contra eum, qui metum intulit, & quoſvis alios rei per metum amiſſæ poſſeſſores bonæ vel malæ fidei, & hæredes, quatenùs ad eos pervenit. *l. 14. §. 5. l. 16. §. ult. ff. h. t.* ut & hæredum hæredes, licèt ad eos nihil pervenerit; cùm ſufficiat, ad primos quid perveniſſe. *l. 17. ff. h. t.* (III, IV, V, VI, XVIII.)

3. Tendit hæc actio non tantùm ad ſimplum vel quadruplum ex contumaciâ. *d. §. 27. Inſt. de action.* ſed & ad fructus percipiendos quadruplicatos. *l. 14. §. 7. ff. h. t.* adhibitâ tamen inter bonæ & malæ fidei poſſeſſores differentiâ. Quòd ſi plures metum fecerint, & unus rem ſponte, aut ex contumaciâ quadruplum reſtituerit, cæteri liberantur. *l. 14. §. ult. l. 15. ff. h. t.* Si tamen contra tertium agatur bonæ fidei emptorem, non aliter is reſtituere cogitur, quàm recuperato pretio, quod expendit. *l. 3. C. h. t.* ſecus, quàm obtinet in rebus furtivis bonâ fide emptis, *l. 2. C. de furtis. l. 23. C. de rei vind.* eò quòd rei metu extortæ tranſit dominium qualicunque Domini voluntate; non item rei furtivæ (VII, VIII, IX.)

4. Quòd ſi res ipſa metu amiſſa perierit, ſi quidem apud malæ fidei poſſeſſorem, ei perit, tam ante, quàm poſt litem conteſtatam. *l. 14. §. 5. ff. h. t. l. 1. C. eod.* ſin bonæ fidei poſſeſſor ſit, Domino res interit ante litem conteſtatam. *d. l. 14. §. 5.* etiam poſt litem conteſtatam, niſi Dominus probet, ſe rem fuiſſe diſtracturum. *l. 14. §. 11. ff. h. t. l. 15. in fin. de rei vind.* ſed ſi poſt ſententiam, Domino quidem perit, verùm condemnatus ob contumaciam præſtat tripli pœnam. *d. l. 14 §. 11. ff. h. t.* (VIII.)

5. Ut autem reſtitutioni locus ſit, metum oportet eſſe juſtum, ſeu ſatis gravem; qui in virum fortem ac conſtantem cadit. *l. 6. ff. h. t.* & injuſtè illatus eſt. *arg. l. 21. pr. ff. h. t.* Reverentialis non ſufficit, *arg. l. 22. ff. de ritu nupt.* nec ſola mali ſuſpicio. *l. 9. ff. h. t.* nec ſolæ minæ, niſi quis eas exſequi ſit ſolitus. *l. 7. l. 9. C. h. t.* nec metus juſtè illatus. *l. 21. pr. l. 12. ff. h. t.* nec metus infamiæ. *l. 7. ff. h. t.* Obſt. *l. 8. §. 2. ff. h. t.* Reſp. non de infamia, ſed ſtupro violento agit. Quòd ſi armati intraverint, & poſſeſſor eos videns aufugerit, cenſetur juſto metu fugiſſe; ſecus, ſi necdum viderit. *l. 9. ff. h. t.* Obſt. *l. 33. §. 2. ff. de uſucap.* Reſp. *videtur* eſt ſæpè nota improprietatis. Adde *l. 3. §. 6. 7. ff. de vi & vi arm.* (X, XI, XII, XIII, XVII.)

6. Quandóque tamen, etſi gravis ac juſtus metus intervenerit,

nerit, actioni quod metûs causâ locus non eſt, dum caſibus nonnullis negotium metu geſtum ipſo jure nullum eſt; ut dotis promiſſio. *l.* 21. § 3 *ff. h. t.* nuptiæ. *l.* 14. *C. de nupt.* auctoritas tutoris *l.* 1. §. *fin. ff de auctor. tut.* libertatis datio. Si ipſe ſervus vel populus dominum coëgerit. *l* 9. *l* 17 *ff. qui & à quib. manum. liber. non fiant.* ſin hoc egerit extraneûs privatus, libertas quidem competit, ſed dominus contra cogentem ita reſtituitur, ut precium quadruplicatum cogens præſtet. Ita accipe *l.* 9. § 2. *ff. h. t.* junct. *l.* 7. *in fin. pr. ff. de dolo* (XV.)

7. *Moribus.* Actio quod metûs cauſa hodie non in quadruplum, ſed in ſimplum, ac id quod intereſt, datur; & ideo non quadriennio præſcribitur, ſed triginta annis durat, ſeu tanto tempore, quanto & reliquis actionibus ſolet moribus aut conſuetudine præſcribi, tanquam actio in factum, de quâ in *l.* 17. 19. *ff. h. t.*

* Adde ex *Cod. libr.* 2. *tit.* 20. *de his, qui vi metûsve causâ, &c.*

TIT. III.

De Dolo malo.

1. DOlus vel *bonus* eſt. *l.* 1. §. 3. *h. t.* *l.* 16. §. 4. *ff. de minor.* vel *malus.* Item vel *ex re* ſeu immodica læſione. *l* 36. *ff. de V. O.* vel *ex propoſito*, in quo adeſt animus lædendi. Inſuper vel *generalis*, atque ita etiam metui ſemper dolus ineſt. *l.* 2. §. 8. *ff. de vi bon. rapt.* vel *ſpecialis*, qui eſt, *calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum alterum adhibita. l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* & à culpa differt, quæ eſt factum inconſultum, quo alteri nocetur. (I, II.)

2. Quatenus autem dolus eſt, eatenus excluſus eſt conſenſus: ac proinde, ſi dolus cauſam dederit contractui bonæ fidei, is ipſo jure nullus eſt, ut reſtitutione opus non ſit, *l.* 7. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 12. §. 1. *ff. de jure dot.* *l.* 5. *C. de reſcind. vend.* Reſp. reſcinditur factum traditionis, quæ ad contractum invalidum ſecuta eſt. Obſt. *l.* 10. *C. de reſcind. vend.* Reſp. ibi dolus non dedit cauſam; ſi enim cauſam dediſſet, dominium non tranſiviſſet. *arg. l.* 31. *ff. de acq. rer. domin* Quòd ſi in bonæ fidei contractum inciderit, actio datur ex ipſo contractu. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* niſi tertii dolus intervenerit, contra quem tunc actio doli competit. *l.* 2. *ff. de proxenet. l.* 7. *ff. h. t.* Si verò dolus cauſam dederit ſtricti juris contractui, vel in eum

inciderit, ſubſiſtit, quod geſtum eſt, donec reſcindatur. *l.* 36. *ff. V. O. l.* 7. §. 3. *ff. h. t.* Dicitur dolus *dare cauſam* contractui, cum animum contrahendi non habens ad contrahendum dolo inductus eſt, *incidere* verò, cum qui ſponte quidem contrahit, ſed in modo contrahendi, veluti pretio vel aliter deceptus eſt. *l.* 7 *ff. h. t.* [III, IV, V, VI, VII.]

3. Quibus autem caſibus, quod dolo geſtum eſt, ſummo jure ſubſiſtit, in ſubſidium eſt comparata actio de dolo, quæ datur ob læſionem non modicam duos ſaltem aureos excedentem. *l* 9. §. *ult. l.* 10. *ff. h. t.* læſis & eorum hæredibus. *l.* 13. *ff. h. t* contra eum, qui dolum fecit; contra hæredes ejus quatenus ad eos pervenit. *l* 13. *l* 17. *in fin. ff. h. t.* non contra tertios poſſeſſores. *l.* 15. *l. ult. ff. h. t.* nec contra municipes. *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* licèt contra eos detur actio metûs, in qua non ita deſignanda certa perſonâ, ut quidem in dolo. *l.* 9. §. 1. *ff quod met. cauſ.* Non humili adversùs honoratum, nec liberis adversùs parentes aut patronos *l* 11 §. 1. *ff. h. t.* contra patroni tamen hæredes liberos hæc actio datur, ſc. de dolo ipſius hæredis. *l.* 13. *ff h. t.* at non ob dolum patroni. *arg. l.* 4. §. 16. *ff. de doli mali & met. except.* [VIII, IX, X.]

4. Tendit ad id, ut res dolo amiſſa reſtituatur, ut alioquin, ſi res non exſtet, reus condemnetur ad id quod intereſt, æſtimandum per jusjurandum in litem. *l.* 18. *ff. h t.* & qui hoc judicio condemnatur, infamis eſt. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* [XI.]

5. Eſt verò intentanda hæc actio intra biennium continuum à tempore doli commiſſi, non ſcientiæ. *l. ult. C. h. t.* niſi quis reipublicæ causâ abſfuerit. *l.* 3. *C. h. t.* Actio tamen in factum, ad id quatenus locupletior factus eſt adverſarius, perpetuò datur; cùm calculi magis quàm maleficii ineatur ratio. *l.* 28. 29. *ff. h. t.* [XII.]

6. Ceſſat doli actio, ſi dolus adverſarii non adſit; & ideo, ſi lapſu temporis alia actio extincta ſit, non aliter hæc dabitur, quàm ſi dolus adverſarii concurrat ad id, ut actionis alterius tempus elapſum ſit. *l.* 1. §. 6. 7. *ff. h. t.* & de eo concurrente adverſarii dolo accipienda. *l.* 4. *C. de tranſact. l.* 14 *ff de aqua & aqua pluv. arc.* Ceſſat & ſi alia actio ſuperſit: etenim tunc demum huic locus eſt, cùm vel alia planè deficit, vel dubium, an alia detur. *l.* 1. §. 4. *l.* 7. § 3. *ff. h. t. l.* 2. *C. eod. l. pen.* §. 1. *ff. de reſtitut in integr.* vel denique alia concurrit quidem, ſed æquè famoſa, ut mandati *l.* 1. *C. h. t.* junct. *l.* 59. §. 1. *ff. mandati.* Obſt. *l.* 23. *ff h. t.* Reſp. ibi non concurrit condictio indebiti, quia dolo adverſarii quis deceptus ſolvit,

cùm

cùm tamen condictio indebiti non ex dolo,ſed errore detur. Obſt. *l.* 19 *ff. h. t.* Reſp. ibi alia deeſt actio, quia fidejuſſor occidit ante moram. Secus ſi poſt moram occidiſſet *arg. l.* 32. *§. ult ff de uſuris. l* 88. *V. O.* Obſt. *l.* 5. *ff. h. t.* ubi actio doli datur,& tamen pupillus poteſt aliter reſtitui. Reſp. ſæpe non reſtituitur: ut, ſi captus fuerit in ſervo manumittendo. *l.* 9. *§. ult ff. de minor.* & tunc actio doli eſt. Obſt. *l.* 5. *§. ult. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Reſp. locus eſt actioni doli,ubi ceſſat actio ex teſtamento. Obſt. *l.* 5. *§.* 3. *l.* 15 *l.* 22. *ff. de præſcript. verb.* Reſp. non dicitur actionem doli ex præſcriptis verbis concurrere. Obſt. actio doli datur in caſu, quo & judicati actio eſt. *l.* 9. *§. pen ff h. t.* junct. *l.* 69. *ff de ſolution.* Reſp. eſt actio judicati ſi ſententia jam lata ſit; at ſola doli actio,ſi nondum lata; ut in *d. l* 9. *§. pen.* Obſt perſuaſus ab adverſario, ſibi ſatisfactum eſſe, & priſtinâ & doli actione agit. *l.* 25. *ff. h. t.* junct. *l* 20 *§.* 1. *ff. eod* Reſp. tunc demum eſt actio doli,cùm adverſarius actionem priſtinam non vult excipere, ut non tenetur *l.* 7. *§ pen. ff. h. t.* Obſt. ſi quis non patiatur lapides ſuo conſenſu cæſos tolli, actio doli eſt & ad exhibendum aut ſimilis. *l.* 34. *ff h. t.* junct. *l.* 6. *ff. de donat.* Reſp ſi cædens jam exemerit, & ita dominus factus ſit, habet actiones alias, ſi non exemerit, nec dominus factus ſit, de dolo habet, ceſſantibus reliquis. Obſt. hæres agit actione doli & ad exhibendum eodem in caſu. *l.* 35. *ff. h t.* junct. *l.* 42. *ff. ad leg. Aquil.* Reſp. ante aditionem de dolo; poſt aditionem ad exhibendum agit. Obſt. concurrit actio metûs. Reſp. id fortè ſingulare, quia metui dolus ineſt. [XIII & ſeqq.]

7. *Moribus.* Actio doli non infamat,nec biennio finitur,ſed eo demum ſpatio, quo & aliis præſcribi ſolet perſonalibus actionibus. Si tamen quis contra dolum velit reſtitutionem in integrum petere,id intra tempora in unaquaque regione reſtitutioni impetrandæ præfinitâ agendum puto.

* Adde *ex Cod. libr.* 2. *tit.* 21. *de dolo malo.*

TIT. IV.

De Minoribus 25. *annis.*

1. MInor eſt, qui necdum implevit annum vigeſimum quintum, licèt ultimum diem attigerit. *l.* 3. *§.* 3. *ff. h. t.* niſi aliud ſuadeat cauſæ favor. *l.* 8. *ff. de muner. & honor. arg. l.* 5. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* nec refert, pubes jam ſit,an impubes,

pubes, an adhuc in utero; reſpectu reſtitutionis ei concedendæ; ſi læſus fuerit per damnum obveniens lucrúmve ceſſans, dum vel quod habuit amiſit, vel quod acquirere potuit omiſit, vel oneri ſe ſubjecit, quod declinare potuerat. *l.* 44. 45. *ff. h. t.* [I.]

2. Sunt autem duo præcipuè probanda; puta primò, læſio lubrico ætatis contingens. *l.* 5. *C. h. t.* quæ tamen quandoque ſine probatione ex circumſtantiis præſumitur. *arg. l.* 1. 2. *C. ſi adverſ. credit.* Secundò minor ætas: quod fit per teſtes, libros baptiſmatis, ſcripturam nativitatis, profeſſionem parentum, quam illi tempore nativitatis, cùm nulla fraudis ſubeſſet ſuſpicio, edebant. *l.* 16. *ff. de probat. l.* 1. *C. ſi minor ſe major. l.* 2. §. 1. *ff. de excuſ. tutor. l.* 2. *C. de his, qui ven. ætat.* At non per teſtimonium parentum eo tempore, quo de reſtitutione agitur, editum. *arg. l.* 9. *ff. l.* 6. *C. d. de teſtib.* [XII, XIII.]

3. His probatis minori reſtitutio conceditur, primò quidem adversùs negotia *extraiudicialia*, qualis eſt donatio, dotis datio, venditio, de quibus tituli in Cod. Confeſſio debiti. *l.* 6. §. 5. *ff. de confeſſ.* Licitatio, dum in auctione publicâ licitando victus eſt, cùm tamen ejus intereſſet habere rem, in quâ victus eſt. *l.* 35. *ff. h. t.* Adhæc hæreditatis aditio aut omiſſio; adeò ut contra aditionem reſtitutus iterum poſſit adversùs omiſſionem reſtitui. *l.* 7 §. 9. *ff. h. t.* excepto caſu *l. ult.* §. 6 *C. de bon. quæ liber.* ne temere contra patris factum veniat filius. Præterea uſucapio. *l. un. C. ſi adverſ. uſucap.* & temporis longiſſimi præſcriptio in pubere: reliquæ enim brevioris ſpatii præſcriptiones ipſo jure non currunt minoribus. *l ult C. in quibus cauſ. reſtit. in integr. neceſſ. non eſt.* junct. *l.* 3 *C. de praſcr.* 30. *vel* 40. *annor.* [XIV, XV, XVII, XVIII, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX]

4. Deinde contra *iudicialia* quoque datur reſtitutio; veluti ſi probationes omiſerit. *l.* 18. §. 1. *l.* 36. *ff. h. t.* ſi appellare neglexerit, aut litem conteſtatam deſeruerit. *l.* 7. §. *pen. & ult. ff h. t.* ſi contumax fuerit lubrico ætatis, non dolo. *l.* 8. junct. *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* ſi condemnatus. *l.* 16. §. *ult. ff. h. t.* ſive adversùs totam ſententiam, ſive contra partem ejus reſtitui deſideret. *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* modò ſententia pro parte valere poſſit; dum plura continet capita, aliàs non. *arg. l.* 27. junct. *l.* 41. *ff. famil. erciſc.* [XXXI, XXXII.]

5. Reſtituitur & contra Fiſcum, niſi is ob debitum fiſcale

bona

bona pupillaria bonâ fide diſtraxerit. *l. 1. 2. ult. C. ſi adverſ. fiſc.*

6. Nec refert, in his omnibus tutoris aut curatoris autoritas intervenerit, nec ne, *l. fin. C. ſi adv. rem jud. tot. tit. C. ſi tut. vel curat. interven.* modò id quod geſtum eſt ſine eorum autoritate, ſummo jure valeat, atque ita reſciſſione indigeat. Quid, quòd nec deneganda ſit reſtitutio, licèt magiſtratûs decretum acceſſerit. *l. 47. ff. h. t. l. 11. C. de præd. & aliis reb. minor.* niſi ipſi minori ex decreto ſit facta ſolutio. *§. ult. Inſt. quib. alien. lic. vel non.*

7. Fit reſtitutio adversùs eos, à quibus minor læſus eſt; etiam contra Patrem vel Dominum filiif. aut ſervi lædentis. *l. 24. §. 3. ff. h. t.* Nonnunquam & contra tertios poſſeſſores, ſi lædens ſolvendò non ſit, vel interſit minorum potius rem ipſam habere. *l. 9. l. 13. §. 1. l. 14. 15. ff. h. t. l. 39. ff. de evictiòn.* (XXXV, XXXVI, XXXVII.)

8. Et ipſis quidem procul dubio reſtitutio prodeſt minoribus; ſed non fidejuſſoribus. *l. 13. ff. h. t. tit. C. de fidejuſſ. minor.* niſi vel dolo adverſarii minores læſi ſint. *l. 2. C. de fidejuſſ. minor.* vel ſe fidejuſſor ſimpliciter, non tamquam pro minore obligaverit. *l. 15. ff. de procurat. l. 89. ff. de acq. vel omitt. hæred.* Uti nec aliis prodeſt; in quorum damnum ceſſit negotium à minore geſtum. *l. 23. ff. h. t.* adeò ut, ſi cauſa fuerit minori ac majori communis, ſoli minori ſuccurrendum ſit. *l. un. C. ſi in commun. ead. cauſ.* niſi fuerit individua. *arg. l. 10. ff. quemad. ſerv. amitt.* patri quando proſit reſtitutio in negotio per filiumf. minorem geſto, vide & confer. *l. 3. §. 4. 9. 10. & l. 23. 27. ff. h. t.* [XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII.]

9. Ceſſat hæc reſtitutio multis caſibus; puta, ſi minor veniam ætatis impetraverit, quæ conceditur à ſolo Principe, non alio, maſculis viginti, & fœminis octodecim annorum: ſi probent ſe res ſuas bene gerere, *tit. C. de his, qui ven. æt. impetr.* Si dolo majorem ſe dixerit. *tit. C. ſi minor. ſe major. dix.* Si major factus ratum habuerit quod geſtum eſt, ſive expreſsè ſive tacitè; quod ex circumſtantiis colligitur. *l. 3. §. 2 ff. h. t. tit. C. ſi maior fact. rem rat. hab.* niſi adſit dolus adverſarii. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* Si contra matrimonium, vel dationem libertatis, vel remiſſam pœnæ executionem, vel adversùs delictum velit reſtitui. *tit. C. ſi adverſ. libert. l. 7. C. de pœnis. l. 37. pr. & §. 1. ff. h. t.* licèt in levioribus pœna quandoque minori remittatur vel minuatur, ut in *l. 1. C. ſi adverſ. delict. l. 6. C. de his quæ ut indign. l. 9. §. 2. ff. h. t.* Si juraverit, ſe contractum ſervaturum. *l. 1. & auth. ſacramenta puberum C. ſi adverſ. vend.*

quæ auth. nec ad impuberes, nec ad contractus ipſo jure nullos trahenda; nec excludit alia remedia majorennibus competentia, velut doli vel metûs actionem, aut reſciſſionem ob enormem læſionem. (XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII.)

10. Ceſſat & ſi caſu læſio contigerit, aut minor ſit læſus, dum jure communi utitur. *l. fin. C. h. t. l.* 11. §. 4. 5. *ff. h. t.* Si adversùs minorem itidem læſum, [ſecus ſi contra filiumf. mutuatarium] velit reſtitui. *l.* 11. §. *pen. & ult. ff. h. t.* Si ipſo jure tutus ſit. *l.* 3. *C. h. t.* Quòd ſi aliæ actiones minori competant, hanc tamen reſtitutionem non excludunt. *l.* 16. §. 2. *ff. h. t. tit. C. ſi tut. vel curat. interv.* Obſt. *l.* 23. *ff. h. t.* Reſp. ſi contra eundem ſit alia actio & reſtitutio, pupilli arbitrio eſt, an reſtitui, an ordinariâ actione velit: ſin contra diverſos, excluditur reſtitutio per ordinariam actionem. *d. l.* 23. Ceſſat inſuper, ſi minor quadriennium continuum elabi paſſus ſit ex quo major factus eſt, aut veniam ætatis impetravit. *l.* 5. *l. ult. C. de temp. reſtit.* Quòd ſi moriatur, antequam major factus eſſet, hæredibus ejus integrum quadriennium datur, ad eam impetrandam; vel ſi ipſe minor jam major factus eſſet, tantum temporis ſpatium, quantum defuncto adhuc ex quadriennio ſupererat. *l.* 18. §. *ult. l.* 19. *ff. h. t.* (XLIX, LII, LIII.)

11. Cæterùm ita minori ſuccurritur, ut tamen & adverſarius quantùm fieri poteſt indemnis ſervetur. *l.* 24. §. 4. *ff. h. t.* Et ſi non amplius res integra ſit, parcè admodum fit reſtitutio. *l.* 24. §. 2. *ff. h. t.* Vide *l. ult. C. de repud. vel abſtin. hæred.*

12. Minoribus autem in materiâ reſtitutionis comparari ſolet Eccleſia, Pauperes, Reſpublica, Civitas: prodigis quoque & aliis ſimilibus curatorem habentibus ac læſis non videtur ex juſtâ causâ denegandum reſtitutionis auxilium. *arg. l.* 3. *C. h. t. l.* 8. §. 1. *l.* 11. *ff. de reb. cor. qui ſub tut. vel cur.* (LV.)

13. *Moribus.* Quamdiu quis minor cenſeatur, ſtatuta variant: ſic ut hìc exploranda ſit loci cujuſque conſuetudo. Illud tamen receptum eſt, minorem quem eſſe deſinere, cùm nuptias contraxerit; adeò ut ex eo tempore læſus reſtitui nequeat ætatis auxilio. Veniam ætatis quòd ſpectat, ea in Hollandiâ petenda à DD. Ordinibus, oblato libello ſupplice, quem illi magiſtratui domeſtico minoris tradi jubent, ut is, citatis minoris tutoribus & propinquis in mores ac habilitatem inquirat, & comperta Ordinibus communicet ut illi,

ex

ex relatis veniam indulgendam aut denegandam conſtituant. Quòd ſi eam concedendam cenſeant, etiam plerumque ſimul alienandorum immobilium licentiam ſpecialiter tribuunt; quâ tamen non nominatim datâ, Juri Romano ſtandum eſt, quo alienatio vetita. Cæterùm præſuppoſitâ minorennitate, etiam hodie adversùs contractus juratos minor poteſt reſtitui, ſi modò enormis, non levior læſio contigerit, ceſſante diſpoſitione auth. ſacramenta puberum. Non tamen ſolet minor reſtitui ob id, quod in auctione publicâ licitando victus eſt, etiamſi ejus interſit rem habere. Ut nec, ſi creditor rem minoris jure pignoris obligatam, auctione publicâ vendiderit. Nec denique, ſi minor inſtrumento dotali nimium doarium conſtituerit, aut puella bona omnia in dotem dederit; licèt minori non videatur reſtitutio deneganda, ſi ſponſæ ante nuptias immoderata munera nuptialia miſerit.

* Adde *ex Cod. libr. 2. tit. 22. de integr. reſtitut. minor. tit.* 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

TIT. V.
De Capitis Diminutione.

1. CApitis diminutio, quæ eſt *prioris ſtatûs mutatio*, triplex eſt, maxima, media, & minima. Sed hìc ſola minima conſideratur; cùm contra eos, qui maximam aut mediam paſſi ſunt, & ita cives eſſe deſierunt, actio nequeat reſtitui: quippe quæ potiùs eo caſu contra illos datur, ad quos devoluta bona eorum, qui talem ſubierunt capitis diminutionem. *l.* 11. *ff. de jure fiſc. l.* 7. §. 2. 3. *ff. h. t.* (I.)

2. Illæ itaque actiones, quæ per minimam capitis diminutionem inutiles erant redditæ, reſtituuntur in eos, qui illam paſſi ſunt, perinde ac ſi paſſi non eſſent; excepto caſu, quo creditor ipſe ſuum debitorem adrogat. *l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* Hæc autem reſtitutio ſolas reſpicit cauſas capitis diminutionem antecedentes, non poſtea ſupervenientes. *l.* 2. §. 1. 2. *ff. h. t.* & quidem civiles obligationes; non naturales, aut quæ in facto magis conſiſtunt, aut ex delictis oriuntur; eò quòd per minimam capitis diminutionem hæc omnia non pereunt. *l.* 2. §. 3. *l.* 6. *l.* 8. *l.* 10. *ff. h. t.* (II, III.)

3. *Moribus.* Capitis diminutio hodie non eſt in uſu, ſaltem non ita ut Jure Romano.

TIT. VI.

Ex quibus cauſis majores 25. annis in integrum reſtituantur.

1. JUſta cauſa ex quâ majores reſtituuntur, eſt etiam *abſentia*, quæ hìc eſt, cum quis abeſt ab eo loco, in quo domicilium habet. Quo caſu vel præſenti ſuccurritur contra abſentem, vel abſenti contra præſentem, vel abſenti contra abſentem. Præſenti quidem contra abſentem ſubvenitur ſine abſentiæ diſtinctione; cum quælibet ſive neceſſaria ſive voluntaria, ſive honeſta ſive inhoneſta ſufficiat: ut tamen jure novo præſens contra abſentem querimoniâ ſeu proteſtatione apud Præſidem vel loci Judicem, vel Tabellionem, vel tres teſtes factâ jus ſuum conſervet. *l.* 2. *C. de annal. except.* (I, II.)

2. Sed ſi quis abſens læſus ſit contra præſentem aut abſentem, juxta *l. ult. ff. h. t.* inter *neceſſariam* & *voluntariam* abſentiam adhibenda diſtinctio; etenim ſi neceſſario quis abſit, ſi quidem ex turpi cauſâ, dum forte relegatus eſt, non reſtituitur; niſi causâ cognitâ appareat, illum omni culpâ carere in damno, quod per talem abſentiam paſſus eſt, *l.* 26. §. 1. *ff. h. t.* Sin ex cauſa honeſta, (ut miles in expeditione vel Romæ ſubſiſtens, legati aliique ſimiles) datur reſtitutio per hujuſmodi abſentiam læſo. *l.* 7. *l.* 8. *l.* 33. §. *ult. l.* 45. *ff. h. t.* Quod & obtinebit, ſi quis abſit ex cauſa neceſſaria, per ſe nec honeſtâ nec turpi, qualis eſt vis tempeſtatis, latronum, morbi. *l.* 9. *l.* 38. *in fin. ff. h. t.* (III, IV.)

3. His tamen omnibus ita demum ſuccurri ſolet, ſi nullum domi Procuratorem reliquerint: hunc enim ſi conſtituerint, cum ordinariam mandati actionem habeant, haud reſtituendi. *l.* 39 *ff. h. t.* niſi is ſolvendo non ſit aut culpâ careat, de quo caſu intelligenda. *l.* 26. §. *ult. ff. h. t.* Et quamvis regulariter quiſque abfuturus teneatur domi Procuratorem relinquere; multi tamen caſus ſunt, quibus impeditur: veluti nimiâ feſtinatione vel quia idoneum non inveniebat, vel quia mortuus eſt quem præſens dederat, &c.

4. Voluntaria ſi ſit abſentia, & juſtâ de causâ, veluti ſtudiorum aut mercaturæ gratiâ, non datur reſtitutio niſi fortè defunctus fuerit procurator, domi conſtitutus. *l.* 28. *ff. h. t.* (V.)

5. Ad hanc verò reſtitutionem impetrandam datur actio prætoria

prætoria reſciſſoria in rem, hæredibus & in hæredes competens; quâ reſcinditur uſucapio, & res amiſſa recipitur. §. 5. *Inſt. de action. l. 30. ff. h. t.* vel, ſi læſio ſine uſucapione contigerit, jus agendi aut aliud ſimile extinctum abſenti reviviſcit. *l. 19. ff. h. t.* (VI.)

6. Ceſſat hæc reſtitutio, ſi quis læſus ſit, cùm ultra conſtitutum tempus abeſſet. *l. 4. ff. h. t.* vel quadriennium elabi paſſus ſit à tempore ceſſantis abſentiæ, vel impedimenti, vel miſſionis. *l. 1. l. ult. C. de temp. in integr. reſtit.* vel præſens idem damnum paſſurus fuiſſet. *l. 44. ff. h. t.* (VII.)

7. Eſt & generalis edicti clauſula, quâ prætor reſtitutionem pollicetur. *l. 1. in fin. ff. h. t.* ex quâ tamen non datur reſtitutio contra longi vel longiſſimi temporis præſcriptionem ob ſolam priſtini domini ignorantiam: vix enim eſt, ut ea ſatis probabilis ſit: atque inſuper id vetat *l. ult. in fin. C. de longi temp. præſcript. arg. l. 4. C. de præſcr. 30. vel 40. annor.* Obſt. *Nov. 119. c. 7.* Reſp. ibi uſucapio non reſcinditur, ſed tempus uſucapioni præfinitum in certo caſu propter domini ignorantiam & malam fidem autoris concurrentem prolongatur. In breviori planè temporis præſcriptionibus ob juſtam ignorantiam reſtitutio non videtur deneganda. *l. 86. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* (VIII, XII, XIII.)

* Adde *ex Cod. lib. 2. tit. 54. quib. ex cauſ. majores in integr. reſtituantur. tit. 51. de reſtitut. militum. tit. 52. de uxoribus militum, &c.*

TIT. VII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ.

1. QUia alienatione Judicii mutandi causâ plerumque deterior fit actoris perſecutio: ſi quid tale contigerit, præter rei vindicationem contra novum poſſeſſorem rei noſtræ, *l. un. C. h. t.* etiam læſo ejúſque hæredi competit in factum actio rei perſecutoria ex delicto intra annum (jure novo, quadriennium continuum) *l. 4. §. ult. l. 5. 6. 7. ff. h. t.* ad id quod intereſt. *l. 1. ff. h. t.* contra alienantem titulo oneroſo vel lucrativo, non contra hæredem. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* ſive actio in rem ſit ſive in perſonam, quæ rei alienatæ intuitu competebat. *l. 3. § 3. ff. h. t.* nec refert, an res jam uſucapta fuerit nec ne, poſitis terminis habilibus inchoatæ per alienantem uſucapionis. *l. 4. ff. h. t.* cùm enim alienans dolum, non furtum, committat, res poteſt uſucapi. (I.)

2. Ut

2. Ut autem huic actioni locus ſit, requiritur, ut facta ſit alienatio actu inter vivos, non ultimâ voluntate. *l.* 8. § 3 *ff. h. t.* Obſt. § *ult. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Reſp. ibi non datur reſtitutio, ſed quod relictum eſt Imperatori litis causâ, nullum eſt ex ſpeciali ratione. Deinde, ut facta ſit ante litem conteſtatam, aut jure novo in actionibus in rem ante preces Imperatori oblatas & adverſario cognitas, ſi enim poſtea fiat alienatio, non ſubſiſtit. *l.* 2. *& auth. litigioſa C. de litigioſ.* Sit & fraudulenta, dolo malo facta, neque enim tenetur, qui alienat litium exercitatione aut verecundiâ. *l.* 4 §. 1. *&* 3 *ff. h. t.* aut bonâ fide redhibet vel ſolvit. *l.* 8. 9. 10. *ff. h. t.* Sit denique judicii mutandi causâ, ut adverſarii interſit. (11.)

3. Quòd ſi alienans, non obſtante alienatione, paratus ſit judicium pati, hâc actione non tenetur. *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* cùm ex edicto prætoris liberum fuerit alienanti non ſuſcipere iudicium. *d. l.* 3. §. *ult.* quamvis ex extenſione Senatusconſulti de hæreditatis petitione in eum invitum actio data ſit, quia dolus pro poſſeſſione eſt. *l.* 27. §. 3. *ff. de rei vind.* junct. *l.* 131. *ff. de reg. juris.* (11. in fine.)

* Adde ex *Cod. libr.* 2. *tit* 55. *de alienat. judicii mutandi causâ.*

Tit. VIII.

De Receptis, qui arbitrium receperunt.

1. Licèt arbitraria ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſint; *l.* 1. *ff. h. t.* quatenus idem utrobique agendi, excipiendi, probandi ordo, idem litis finiendæ tempus, & utroque præſcriptionis contingat interruptio. *l. pen.* §. *pen. C. h. t.* inſuper malè judicans arbiter litem ſuam facit. *l. pen. C. de pact.* nec uno abſente reliqui ſententiam ferre poſſunt. *l.* 17. *in fin. l.* 18 *ff. h. t.* plures nihilominus ſuperſunt differentiæ: nam nec litis pendentia inducitur. *l.* 30. *ff. h. t.* nec reconventio admittitur *arg. l.* 21. §. 6. *ff. h. t.* nec appellatio. *l.* 1. *C. h. t. l.* 32. §. 14. *ff. h. t.* (aliter quàm obtinet in arbitris à Magiſtratu datis, de quibus agit. *l.* 9 *ff qui ſatisd. cog. l.* 31. *C. de appell. l. ult. C. de judic.* junct. *l.* 16. *in fin. C. eod.*) quamvis liceat ei, qui ſe gravatum putat per arbitri ſententiam, intra decem dies proteſtationem mittere judici vel adverſario, per quam manifeſtum fiat definitionem arbitri non eſſe amplectendam. *l. pen. C. h. t.* Inſuper, arbitris corruptis, actio doli locum ſibi vindicat. *l.* 31. *ff. h. t.* cùm corruptis Judicibus ipſo jure nulla

nulla ſit ſententia, nec actione doli opus ſit. *l. 7. C. quando provoc. non eſt neceſſ.* [I.]

2. Eſt autem arbiter, *qui compromiſſo partium electus eſt ut lites dirimat*, diverſus ab arbitratore, qui conventiones aliáque ad bonum finem perducit, pretia definit, &c. *l. 67. & ſeqq ff. pro ſocio. l. 69. § 4 ff. de jure dot.* Et arbitrum quidem eligere poſſunt, qui liberam habent rerum adminiſtrationem, etiam ſocius unus in re communi, quatenus, ſi alter, qui non compromiſit, ſententiæ non ſteterit, ſolus Compromittens adverſario tenetur: quo modo explicata *l. 34 ff. h. t.* non pugnabit cum *l. 27. ff. de pactis.* Sed nec furioſi compromittunt, nec impuberes ſine tutore, nec ſervi, nec mulieres, quoties compromittendo intercederent. *l. 27. §. 5. l. 32. §. 2. ff. h. t. l. 3. §. 8. ff. de peculio.* (II, III, IV, V.)

3. Cæterùm compromiſſo, quo arbiter conſtituitur, nec jusjurandum adjici poteſt *Nov. 82. c. 11.* § 5. abrogatâ. *l. 4. C. h. t.* Nec id agi, ut certa, & non alia, feratur ſententia. *l. 29 ff. h. t* (ſecus in Judice, cujus ſententia conventioni partium firmitatem addit, quam non tribuit arbiter. *l. 26. ff. de re judic.*) Non etiam rectè convenitur, ut arbitri æquali numero diſſentientes ſuperarbitrum eligant: quamvis id ipſis compromiſſo dari poſſit, ut in diſſenſu Sempronium, adeóque certam perſonam aſſumant, eò quòd hoc ipſo nequeunt in eligendo diſſentire. *l. 17 §. 5. ff. h. t.* Nec denique ut inſerta compromiſſo pœna Fiſco applicetur. *l. 42. ff. h. t.* Obſt. *l. 1. ff. de jure fiſci.* Reſp. dicitur ibi pœna fiſco deberi ex contractu privato, quatenus ob contractum contra leges initum contrahentes puniuntur, & pœna fiſco cedit. Ut in *l. 46. §. 2. ff. de jure fiſci.* [XI, XII, XIII.]

4. Officium arbitri eſt ſententiam ferre, ad quam & cogi poteſt multâ per Prætorem indictâ. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* licèt enim nemo teneatur arbitrium ſuſcipere, ſuſceptum tamen cogitur implere, ſententiam ferendo, præſente regulariter utrâque parte, niſi id actum ut & altero abſente id liceat. *l. 27. §. 4. 5. ff. h. t.* quo tamen caſu, ſi juſta abſentiæ cauſa ſubſit, ceſſat pœna. *l. 21. § 9. ff. h. t.* Ferenda autem ſententia intra diem compromiſſo expreſſum, niſi arbitro diei prorogandi poteſtas data ſit. *l. 32. §. ult. ff. h. t.* Quòd ſi dies ſit omiſſus, arbiter partibus conſentientibus eum conſtituit; alioquin omni tempore tenetur arbitrari. *l. 14. ff. h. t.* Si plures ſint arbitri, ac diſſentiant, major pars ad ſe trahit minorem. *l. 17. §. ult. ff. h. t.* ſin numero pares ſint diſſentientes, ſequendum

dum quod minus eſt, minor ſumma enim majori ineſt. *l. 27. §* 3. *ff. h. t.* quòd ſi non reſpectu quantitatis, ſed aliter æquali numero diſſentiant, poſſunt quidem compromittentes à compromiſſo reſilire, & ſententiæ non ſtare. *d. l. 27. §. 3. ff. h. t.* (ſecus quàm in judiciis receptum. *l. 28. 38. ff. de re judic.*) ſi tamen in compromiſſo malint perſiſtere, poteſt prætor arbitros diſſidentes cogere, ut ſuperarbitrum eligant. *l. 17. §. 6. ff. h. t.* (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX.)

5. Sunt tamen caſus, quibus ad ferendam ſententiam arbiter cogi nequit, puta, ſi à partibus infamatus aut contemptus ſit. *l. 9. §. 4. 5. l. 10. 10. ff. h. t.* aut pœna non ſit promiſſa. *l. 11. §. pen. ff. h. t.* aut alter litigantium bonis ceſſerit. *l. 17. ff. h. t.* aut inimicitiæ capitales, gravis ætas, adverſa valetudo ſupervenerit. *l. 15. ff. h. t.* aut denique alter compromittentium mortuus fuerit; niſi & hæredum utriuſque partis ſit facta mentio; hæredis enim ab uno tantùm latere mentionem fieri, non ſufficit. *l. 27. §. 1. l. 49. §. 2. ff. h. t.* (XXI, XXII.)

6. Lata autem per arbitrum ſententia nec ab eo mutari poteſt. *l. 20. ff. h. t.* nec à compromittentibus rejici. *l. 76. ff. pro ſocio.* adeò ut ſi alteruter ei ſtare nolit, ad pœnam compromiſſo expreſſam teneatur: vel ad id quod intereſt, ſi pœna non inveniatur adjecta. *l. 27. §. ult. ff. h. t.* Quin & jure novo, licèt non naſcatur actio & exceptio rei judicatæ, in factum tamen & actio & exceptio datur ex arbitri ſententiâ, quam partes vel ſubſcriptione vel decem dierum ſilentio probaverint. *l. pen. C. h. t.* abrogatâ. *l. 2. ff. h. t.* niſi tamen arbiter per ſordes vel inimicitias tulerit ſententiam, aut quid inhoneſti injunxerit: neque enim tunc arbitri ſententiæ quiſquam ſtare cogitur. *l. 3. C. h. t. l. 21. §. 7. l. 32. §. 14. ff. h. t.* ut nec, ſi arbiter compromiſſi terminos prætergreſſus ſit. *l. 46. ff. h. t. arg. l. 18. ff. commun. divid.* (XXIII, XXIV, XXV.)

7. Cæterùm arbitri eſſe poſſunt omnes non prohibiti; etiam infames & libertini, at non ſervi, adeò ut nec liberi, qui cum ſervis electi erant, judicare teneantur. *l. 9. ff. h. t.* nec infantes, furioſi, mulieres. *l. 9. ff. h. t. l. ult. C. eod.* nec minor annis viginti. *l. 41. ff. h. t.* nec judex ordinarius in causâ, in quâ Judex futurus eſt. *l. 9. §. 2. ff. h. t.* in aliâ planè causâ poteſt; licèt cogi nequeat ſi in maximâ ſit dignitate. *l. 4. ff. h. t.* nec quiſquam in ſuâ. *l. pen. ff. h. t.* at omnino in re patris. *l. 6. ff. h. t.* (VI, VII, VIII, IX.)

8. Compromitti poteſt in omnibus cauſis, exceptâ in integrum reſtitutione. *l. ult. C. ubi & apud quem reſt. in integr.* ac criminali,

criminali, liberali & ſtatûs cauſâ, nec non populari & infamante actione. *l.* 32. §. 6. 7. *ff. h. t.* & ſi fortè negotium infamans ad arbitrium ſit delatum, nulla damnatum ſequetur infamia. *l.* 13. §. 5. *ff. de his qui not. infam.* (x.)

9. *Moribus.* In arbitrium eligi poteſt etiam Judex ordinarius, & ad implendum arbitrium cogi, vel ab ipſo illo judicum collegio, cujus eſt membrum. Poſſunt & pares numero arbitri conſtitui, cum poteſtate aſſumendi tertium certum, vel incertum in caſu diſſensûs. Habéntque hodie arbitria locum etiam in cauſis infamantibus, quantùm ad privatum intereſſe. Pendente autem lite coram arbitro, alter litigantium altero invito non poteſt ad Judicem ordinarium transferre litem; ſed potiùs exceptioni litis pendentis locus erit. Quod ſi tres arbitri electi fuerint, poſſunt, abſente tertio duo præſentes ſententiam ferre, modò abſentem legitimè vocatum conſtet. Nec eos à neceſſitate arbitrii implendi liberabit, quod pœna compromiſſo non ſit adjecta, cum in omnem eventum ex ſententiâ arbitri homologatâ actio detur, & per Judicem ordinarium decernatur ejus executio, citatâ & auditâ adversâ parte. Quin imo frequens eſt, compromittentes in ipſo compromiſſi inſtrumento conſentire, ut in id, quod arbitris placuerit, per aliquem Judicem ordinarium fiat condemnatio.

Quod ſi quis arbitri ſententiâ ſe gravatum putet, reductionem petere poteſt; plerúmque à Curiâ Provinciali, omiſſo ordinario inferiore Judice: aut ſi arbitri laudum judiciali ſententiâ confirmatum ſit, poteſt appellare. Et ſi quidem intra decem dies petatur reductio, æquè ac per appellationem executio ſuſpenditur; niſi quis reductioni renunciaverit; & pœnam promiſerit; licèt enim adversùs hujuſmodi renunciationem poſſit implorare reſtitutionis auxilium, & ſic ad reductionis petitionem admitti, ſententia tamen interim executioni mandatur per victorem, præſtitâ cautione de reſtituendo, ſi in judicio reductionis ſuccubuerit; pœna autem promiſſa interim non exigitur, ſed tum demum, cùm laudum extremâ reductionis ſententiâ confirmatum fuerit. Sed ſi poſt decem dierum lapſum intra annum petatur reductio; reformationis naturam induit, atque interim ſit laudi executio. Poſt annum planè reductionis petitio non admiſſa, niſi impetratâ reſtitutione ex juſtiſſimis cauſis.

* Adde *ex Cod. libr.* 2. *tit.* 56. *de receptis arbitris.*

TIT.

TIT. IX.

Nautæ Caupones Stabularii ut recepta reſtituant.

1. NAutæ caupones ſtabularii navim ſtabulum aut cauponam exercentes in ſe recipere cenſentur illatorum cuſtodiam, licèt mercedem pro eâ non accipiant. *l. 5. ff. h. t.* Proinde, ſi quid damni in illis contigerit per nautas. (de quibus *l. 1. §. 2. 3. 4 ff. h. t.*) caupones, ſtabularios, vel eos quorum operâ utuntur, vel vectores & viatores, dominis mercium & illis quorum intereſt, licèt gratìs navigent, datur actio in factum rei perſecutoria contra nautas, &c. & eorum hæredes, ad id quod intereſt. *l. 1. §. pen. & ult. l. 2. l. 6. ff. h. t.* ſive damnum dolo, ſive culpâ, etiam leviſſimâ, non caſu, datum fuerit. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* licèt res nondum immiſſæ, ſed receptæ tantùm in littore perierint. *l. 1. §. ult. l. 2. 3. ff. h. t.* (I, II.)

2. Eſt & actio pœnalis exercitoria ex quaſi delicto, læſis & eorum hæredibus in perpetuum competens, contra nautas, &c. ſed non hæredes eorum; ad duplum damni dati in nave ſtabulo &c. non extra; idque per ipſos nautas vel eos, quorum operâ utuntur, non vectores. *l. 6. §. 3. l. ult. pr. & §. ſeqq. ff. h. t.* & ſi plures exercitores ſint, contra ſingulos pro ratâ. *l. ult. §. pen. ff. h. t.* Quæ tamen actio ceſſabit, ſi nauta prædixerit, ut viatores res ſuas ſervent, & hi conſenſerint. *l. ult. pr. ff. h. t.* [III, VI, VII.]

3. Ratio hujus edicti ac harum actionum eſt, quia in cauponum, &c. arbitrio eſt, ne quem recipiant. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* quatenus nempe poſſunt cauponiam navim &c. non exercere: nam poſtquam ex libero arbitrio exercere ceperint, non poſſunt iter agentes repellere. *l. un. §. ult. ff. furti adverſ. naut.* (IV.)

4. Poteſt & læſus contra ipſos lædentes inſtituere actionem furti aut aliam ex edicto; quâ tamen electâ hæ pereunt, & vice verſâ. *l. 3. §. ult. l. 6. §. ult ff. h. t.* [V.]

5. *Moribus.* Dupli pœna contra nautas caupones ſtabularios hodie non obtinet.

LIBER V.

TIT. I.

De Judiciis, & ubi quiſque agere vel conveniri debeat.

1. NEmini regulariter authoritate privatâ ſibi jus dicere permiſſum eſt. *arg. l. 176. ff. de R. J.* paucis caſibus exceptis, de quibus *tit. C. de emendat. ſervor. tit. C. de emendat. propinquor. l. 20. 21. 22. 24. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 3. §. 9 ff. de vi & vi armat. l. 1. C. unde vi. l. 3. ff. de juſtit. & jure. l. 10. § 16. ff. quæ in fraud cred. l. 25. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 1. 2. C. quand. lic. unicuique ſine jud. ſe vindic.* Neceſſarium proinde eſt judicium, *legitima* nempè *cauſæ cognitio, diſcuſſio, definitio inter actorem & reum coram Judice facta.* Cujus variæ ſunt ſpecies; aliud enim ordinarium eſt; aliud ſummarium, in quo omiſſis longis litium ambagibus omnia breviter expenduntur; quo & poſſeſſoria, & extraordinariæ cognitiones referendæ. Vide *l.* 8. *C. unde vi.* Aliud civile, aliud criminale, in quo ad pœnam capitalem, corporalem aut pecuniariam fiſco applicandam contenditur. Et in concurſu prius criminale terminandum. *l. ult. C. de ordin. judic.* niſi ex causâ Judex arbitretur intereſſe, ut vel utrumque ſimul, vel civile ante criminale finiatur. *l. un. C. quand. civil. act. crimin. præjud. l. 3. C. de ord. judicior.* Adhæc aliud præparatorium, aliud principale. Aliud publicum; aliud privatum. Aliud petitorium; aliud poſſeſſorium primò finiendum eſt. *l. 3. C. de interdict. l. 37. ff. h. t.* Obſt: *l. 12. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 18. §. 1. ff. de vi & vi armat.* Reſp. pendente petitorio inchoari quidem poteſt, ſed & finiri debet poſſeſſorium. Inſuper aliud univerſale, ut hæreditatis petitio; aliud generale, ut tutelæ; aliud ſingulare, ut rei vindicatio. Aliud in rem; aliud in perſonam. Aliud directum, aliud utile, quod ex legis interpretatione datur. Aliud bonæ fidei; aliud ſtricti juris. Et ut generaliter dicam, tot fere Judiciorum diviſiones à DD. recenſentur, quot ſunt actionum. [I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII.]

2. Conſtituunt judicium perſonæ tres principales, actor; reus;

reus, & Judex. Præter quos etiam perſonæ minùs principales ſunt vel actori & reo inſervientes, quales Advocati, Procuratores, Defenſores; vel Judici, quales Aſſeſſores, Tabelliones ſeu Scribæ; Apparitores ſeu Executores litium. *Actor* dicitur, *qui provocat. Reus qui provocatur.* Et in utroque neceſſe eſt, ut legitimam habeat perſonam ſtandi in judicio; unde ſervi, impuberes, furioſi, prodigi, aliique ſimiles à limine Judicii repellendi ſunt. *tit. C. qui legit. perſ. ſtand. in judic.* cauſis momentaneæ poſſeſſionis exceptis. *l. ult. C. d. tit.* Filiusfamilias actione quidem perſonali ſemper conveniri poteſt, ſive ex contractu ſive ex delicto. *l. 39. ff. de obl. & act. l. 3. 12. ff. de peculio.* ſed executio non fit, niſi ille paterfam. factus ſit, aut peculium ſit caſtrenſe, quaſi caſtrenſe vel adventitium, in quo fieri poteſt executio; vel denique profectitium, cujus nomine pater conveniri poteſt peculio-tenus. *l. 3. §. 11. 12. ff. de pecul.* Quòd ſi in rem actio ſit, ſi quidem reſpectu peculii profectitii, ſolus pater convenitur; ſi caſtrenſis vel quaſi caſtrenſis intuitu, ſolus filius; ſi adventitium plenum ſit, filius adhibito patris conſenſu; ſi minùs plenum, pater accedente conſenſu filii. *l. ult. in fin. pr. & §. 3. C. de bon. quæ liber.* Agere verò poteſt filiusfam. liberè de caſtrenſi, vel quaſi, de profectitio pater; de adventitio non pleno pater conſenſu filiif. concurrente, niſi is minor ſit, de pleno filiusf. patre conſentiente, qui ad conſenſum interponendum à Judice cogi poteſt. *d. l. ult. in fin. pr. & §. 3.* Si tamen pater abſit, ac periculum in morâ, nec ſit aut agat ejus procurator, ſolus filiusf. háſce exercere poteſt actiones. *l. 18. §. 1. ff. h. t. l. 8. de procurat.* ſub quâ limitatione intelligenda. *l. 9. ff. de oblig. & action.* (IX, X, XI, XII, XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII.)

3. Invitus autem nemo tenetur agere. *tit. C. ut nemo invit. agere.* excopto caſu. *l. diffamari 5. C. de ingenuis manumiſſ.* cui & alios caſus addunt DD. conveniri verò quiſque invitus poteſt pro ſe, non pro alio, ne filius quidem pro patre, nec uxor pro marito: *tit. C. ne fil. pro patre tit. C. nec uxor. pro marito.* [XX, XXI, XXII, XXIX.]

4. Judex eſt *vir bonus & æquus, juriſperitus per ſe vel aſſeſſores, autoritate publicâ conſtitutus, cui cauſas cognoſcendi & decidendi & facultas competit.* Et vel major eſt, vel pedaneus. Olim major uſque ad litem conteſtatam juri dicundo præerat, dein judicem dabat, qui in judiciis ſtricti juris formulæ adſtrictus erat, non item in iis, quæ erant bonæ fidei. *l. 38. ff. pro ſocio. l. 25. ff. depoſiti.* In cauſis tamen liberalibus & ſimilibus major

judex

Judex ipſe debebat judicare. *l. 32. §. 7. ff. de recept. arb.* niſi fortè rectiùs. *d. l. 32. §. 7.* explicetur de Judicibus, qui majores ſunt, quàm arbitri compromiſſarii; quibus certè majores ſunt etiam Judices pedanei, publicâ quippe præditi autoritate, apud quos ideo & cauſas liberales agi potuiſſe patet ex *l. 8. §. 1. l. 9. ff. de liberal. cauſa.* At jure novo ipſe tenetur promiſcuè de cauſis judicare, nec ultra remanſit Judicum dandorum mos, niſi ordinarius fuerit impeditus. *l. 2. ult. C. de pedan. Judicib.* Et conſtituti à Juſtiniano certi Judices, quibus omnes cauſæ, ſi mandarentur, mandandæ erant. *Nov. 82. c. 1. & ſeqq.* (XXXIX, XL.)

5. Judex autem eſſe poteſt omnis non prohibitus ſive paterf. ſive filiusf. *l. 12. §. ult. ff. h. t. arg. l. 9. ff. de his qui ſui vel alien. jur.* qui ſi litem ſuam faciat, ipſe tenetur, non pater. *§. pen. Inſt. de obl. ex quaſi delict.* Obſt. *l. 15. ff. h. t.* Reſp. intelligenda de peculio caſtrenſi vel quaſi. Non verò admittitur infamis, infans, mulier, ſervus, furioſus. *l. 12. §. 2. ff. h. t.* niſi furioſus intervalla habeat dilucida. *l. 39. ff. h. t.* quo tamen caſu adhuc mutari poteſt. *l. 46. ff. h. t.* Non etiam minor annis octodecim; planè poſt eam ætatem poteſt, conſenſu partium. *l. 37. ff. de re judic.* aut voluntate Principis. *arg. l. 3. C. de crim. ſacril.* Nec cæcus in cauſis ocularem inſpectionem deſiderantibus rectè Judex eſt; in aliis poteſt. *l. 6. ff. h. t.* Nec qui actori vel reo nimiâ ſanguinis propinquitate junctus eſt. *l. 10. de juriſd.* Nec qui in eâdem causâ advocatus fuit. *l. ult. C. de aſſeſſor.* Nec qui damnum metuit aut lucrum ſperat ex eâ lite. *l. 17. ff. t.* Nec is quem adverſarius petiit. *l. 47. ff. h. t.* quive aliàs quocunque modo in ea cauſa ſuſpectus eſt: quales etiam adverſario petente removendi ſunt, inſertâ libello, quo id petitur, ſuſpicionis causâ. *arg. l. 7. ff. de injur. l. 9. ff. de liberali cauſa.* Vide *l. 16. & auth. ſi verò C. h. t.* Neque intereſt, majores an minores ſint Judices, qui ſuſpecti arguuntur. *arg. Novell. 86. c. 2. & 6.* Obſt. Judici majori adjungendus Epiſcopus. *auth. ſi verò C. h. t.* Reſp. id verum ſi ita contentus ſit litigans; qui tamen ſi velit, alium adire poteſt. *Nov. 86. c. 2. & 6.* unde d. auth eſt deſumpta. (XLII, XLIII, XLVIII.)

6. Cæterùm Judicis officium juxta DD. vel *nobile* eſt, quod impertitur etiam non rogatus: vel *mercenarium*, quod actioni propoſitæ inhæret, & in cognitione uſque ad ſententiam præcipuè conſiſtit. (XLIX.)

7. Ferenda autem à Judice ſententia, ſecundùm allegata

ac probata, & ſimul ſecundum conſcientiam: quæ ſi cum allegatis pugnet, deponendum potiùs eſt Judicis officium. *arg. l. 36. ff. de re judic. l. 12. § 1. C. h. t.* Etiam ſecundùm id quod legibus & moribus eſt proditum, & ſecundùm omnem æquitatem. *pr. Inſt. de offic Jud. Nov. 8. in fin.* ſine diſtinctione inter majores & minores Judices; quam licèt exhibeat *auth. hodie C. h. t.* refellitur tamen ex *d. Nov. in fin.* unde perperam deſcripta eſt. Quam etiam æquitatem juri ſtricto Judex præferre debet. *l. 8. C. h. t. l. 11. ff. de pœnis. l. 4. in fin. ff. de eo quod certo loco. l. 2. §. in fin ff. de aqua & aqua pluv. arcend.* licèt ſequi ſimul teneatur juris rigorem & id quod durum eſt, ſi legibus illa aſperitas juſta de cauſa ſit comprehenſa. *l. 19. ff. de appellat. l 12. §. 1. ff. qui & à quib. manumiſſ.* ille etenim juris rigor non aliud deſignat, quàm quod legibus aut conſtitutionibus eſt proditum. *d. l. 19.* cùm ſtrictum jus ſit dura & rigida juris ſcripti interpretatio ſecundùm ſtrictam rationem, verborum ſubtilitatem & nimiam ſcrupuloſitatem. *l. 12 ff. de injuſt. rupt. irrit. l. 20. ff. de reb. credit. l. 43. ff. de religioſ.* (LI.)

8. Nullus verò caſus pro amico, ùt dici ſolet, in judiciis admittendus: nam ſi quid ambigui occurrat, vel reorum vel cauſæ favor aliæque circumſtantiæ potiorem facient ac victorem alterutrum litigantium. *arg. l. 38. ff. de re jud. l. 9. ff. de legib. l. 70. de jure dot.* imò liberum tandem eſt Judici, jurare *ſibi non liquere*, atque ita à judicando abſtinere ad tempus vel in perpetuum. *l. 13. in fin. ff. de recept. arbitr. l. 36. ff. de re judic.* Quòd ſi Judex aliter quàm oportet, adeóque malè judicaverit per imperitiam, litem ſuam facit. *p. Inſt. de obl. ex quaſi delicto.* (LII.)

9. In omni autem judicio obſervandum præcipuè forum competens, de quo regula generalis eſt recepta, quòd actor ſequi teneatur forum rei. *l. 2. C. de juriſd. omn. jud.* Multis verò modis reus forum competens ſortitur, puta ratione delicti, contractûs, prorogationis, rei ſitæ, reconventionis, continentiæ cauſæ, privilegii, originis, & domicilii in ſpecie ſic dicti. Ratione quidem *delicti*, in loco in quo crimen commiſſum vel ſaltem inchoatum eſt. *l. 1. C. ubi de crimin.* Quò & remittendus reus alibi detentus propter rationem in *l. 28. §. pen. ff. de pœnis. l 3. ff. de re milit.* Quòd ſi in confiniis delictum perpetratum ſit; præventioni locus erit, vel concurret territorii utriuſque Judex. (LXIV, LXV, LXVI, LXVII, LXVIII, LXIX, LXX, LXXI.)

10. II. Ratione *contractûs* in loco, ubi contractus vel quaſi contra-

contractus eſt celebratus *l.* 19. 20. 26. 27. *ff. h. t.* modò illic reus inveniatur, aut bona habeat, quæ poſſint eo abſente ibi poſſideri. *d. l* 19. *pr. & §.* 1. *ff. h. t.* niſi id actum fuerit, ne ibi conveniatur, aut implementum contractûs in alium locum ſit deſtinatum, aut contrahens inde ſtatim ſit diſceſſurus. *l.* 19. *§.* 2. *& ult. l.* 65. *ff h. t. l.* 3. *ff. de reb. autor. jud. poſſid.* (LXXIII, LXXIV.)

11. III. Reſpectu *prorogationis* juriſdictionis per contractum factæ. *l. pen. C. de pactis.* de qua alibi.

12. IV. Ratione *rei ſitæ* mobilis vel immobilis, de cujus poſſeſſione aut proprietate agitur. *l. ult. C. ubi in rem actio l. un C. ubi de hæredit.* in cujus poſſeſſionem, ſi poſſeſſor ſe non ſiſtat, miſſio fit. *l.* 2. *C. ubi in rem actio.* (LXXVI, LXXVII.)

13. V. Ratione *reconventionis*, quæ eſt mutua conventio, quâ reus viciſſim quid ab actore petit ex eâdem vel diversâ causâ, ſive Judex ordinarius, ſive delegatus ſit, vel certis cauſis judicandis conſtitutus; ſive ante ſive poſt litem conteſtatam uſque ad ſententiam, non verò appellatione factâ. Vide *l.* 11. *§* 1 *ff. de juriſdict. l.* 14. *& auth ſeqq. C. de ſent. & interloc. l.* 22 *ff. h. t. Nov.* 96. *c.* 2. LXXVIII, LXXIX, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV, LXXXVI.)

14. VI. Ratione *continentiæ cauſæ*, ne ea dividatur. *l.* 10. *C. h. t. tot. tit. ff. ex quib. cauſ. ad eund. jud.*

15. VII. *Privilegii* reſpectu certis cauſis vel perſonis conceſſi. Atque ita negotia militaria coram Ducibus; feudalia coram Paribus Curiæ ſæpe ventilanda ſunt. Eccleſiaſtica apud Judices Eccleſiaſticos Vide *Nov.* 83. *&* 123. *c.* 21. *& ſeqq.* Cauſæ fiſcales apud Procuratorem Cæſaris ſeu rationalem. *tit. C. ubi cauſ. fiſc.* Cauſæ pupillorum, viduarum aliarúmque perſonarum miſerabilium apud Principem. *l. un. C. quand. Imper. inter pup. & viduas, &c.* Studioſorum ac Profeſſorum cauſæ, nec non nunciorum eis inſervientium privatim vel publicè apud Rectorem & Senatum, modò re, non nominetenus, ſtudioſi ſint. *arg. auth. habita C. ne filius pro patre.* Cauſæ clariſſimorum & illuſtrium apud Præfectum prætorio, vel magiſtrum officiorum ex juſſu Principis, vel Præfectum urbi, vel ipſum Principem, juxta diſtinctiones in *tit. C. ubi ſenat. vel clariſſ.* (CIII, CVIII, CIX, CX, CXV, CXVI, CXVII, CXVIII, CXIX, CXX, CXXI. & ſeqq.)

16. VIII. *Originis* intuitu in loco, in quo quis natus eſt aut naſci debuit, aut ſi ex vico oriundus ſit, in urbe cui vicus ille reſpondet, modo illic inveniatur. *l.* 1. *l.* 30. *ff. ad municipal.*

in quâ origine patris conditio ſpectanda, non matris, niſi quis illegitimè natus ſit, aut privilegio munita ſit materna origo. *l. 1. §. ult. ff. ad municipal.* Communis autem originis locus ſeu patria eſt Roma. *l. 33. ff. ad municip.* ubi ideo quisque conveniri poteſt, niſi jus revocandi domum habeat; quales qui tutelæ reddendæ causâ vel appellationis vel reſtitutionis petendæ, vel teſtimonii dicendi gratiâ Romæ ſunt. *l. 2. §. 3. ff. h. t.* præcipuè legati, qui Romæ aut alio in loco legationis causâ ſubſiſtentes ibidem cum effectu conveniri nequeunt. *l. 2. §. 3. l. 8. ff. h. t. l. 3. ff. de legation.* niſi id ſpecialiter actum ſit, ut Romæ durante legatione ſolveretur: nam ſi ſimpliciter quis ante legationem promiſiſſet, ſe Romæ ſoluturum, non tamen ibi conveniri poſſet tempore legationis. *l. 5. §. 1. ff. de conſtit. pecun. d. l. 3. ff. de legation.* vel niſi tempore legationis quis contraxerit principaliter. *l. 2. §. 4. l. 25. ff. h. t.* vel pro alio fidejuſſerit. *l. 39. §. 1. ff. h. t.* non item ſi conſtituerit, quod ante legationem ipſe in provinciâ debebat. *l. 8. ff. h. t.* fortè quia non ita rigidè agendum cum eo, qui ex æquitate prætoriâ obligabatur, atque quidem cum eo, qui ipſo jure civili qualis fidejuſſor. Poteſt & Romæ legatus conveniri reconventione, ſi ipſe priùs agat non injuriæ ſibi illatæ vindicandæ gratiâ. *l. 2. §. 5. ff. h. t.* Ut &, quatenus in munere legationis non impeditur, quales caſus ſunt in *l. 25. 27. 28. §. 3. & 4. ff. h. t.* item in dotis repetitione, ſi mulier legationis tempore diverterit, fortè dotis favore. *l. 42. ff. h. t.* inſuper, ſi alibi quàm in patriâ, civitate vel provinciâ contraxerit. *l. 2. ff. h. t.* (XCI.)

17. Denique IX. ratione *domicilii* propriè dicti; qui locus eſt, in quo quis rerum ac fortunarum ſuarum ſedem conſtituit, animo ibi perpetuò commorandi, ſi non aliud avocet. *l. 7. C. de incolis.* Sic ut ſtudioſus in eo loco, in quo ſtudiorum tantùm causâ moratur, domicilium propriè dictum habere non credatur, ſaltem non ad omnem juris effectum. *arg. d. l. 7.* Poteſt autem quis & ſine domicilio eſſe. *l. 27. §. 2. ff. ad munic.* & pluribus in locis ſimul fovere domicilium. *l. 23. d. l. 27. §. 2. ff. ad municip. l. 11. ff. de ſenator.* etiam quandoque ex neceſſitate; unde & diſtinctio domicilii in *voluntarium, & neceſſarium*: quod poſterius habent relegati. *l. 22. §. 3. ff. ad munic.* & milites in loco in quo ſtipendia merent, unde abeſſe nequeunt. *l. 23. §. 1. ff. ad municip.* (XCII, XCIII, XCIV.)

18. Ex loco vero domicilii forum competens adhæredes non tranſit, niſi lis cum defuncto cœpta ſit. *l. 34. ff. h. t.* vel

niſi

niſi hæres ibi inveniatur. *l. 19. ff h. t.* Uxor autem & vidua mariti ſequitur domicilium : non ſponſa. *l. ult. C. de incolis. l. 32. 37. §. ult. ff. ad municipal.* (XCV, CII.)

19. Cæterùm initium quidem judicii inchoandi eſt in jus vocatio. *§. ult. Inſt. de pœn. temere litig.* inchoati verò initium eſt litis conteſtatio, quæ eſt intentio actoris & contradictio rei apud Judicem. *l. un. C. de litis conteſt.* & perperam à DD. in affirmativam & negativam, atque hæc rurſus in ſimplicem & conditionatam dividitur, cùm omnis litis conteſtatio ſit contradictio, adeóque negativa. [XCIV, XCV, XCVI, XCVII.]

20. Multùm, autem prodeſt hæc litis conteſtatio, nam adverſarium conſtituit in malâ fide. *l. 4. §. 2. ff. fin. regund. l. 1. §. 1. C. de petit. hered. l. 22. C. de rei vind. l. 10. C. de acquir. vel retin. poſſ.* actiones tempore aut morte perituras perpetuat. *l. 139. ff. R. J.* conteſtantem efficit litis Dominum. *l. 11. C. de procurat.* rem facit litigioſam. *l. 2. C. de litigioſ.* excludit exceptiones declinatorias & dilatorias reſpectu ordinis judiciorum opponi ſolitas. *l. pen. & ult. C. de exception.* & in concurſu juriſdictionis plurium facit præventioni locum, quamvis & ſola citatio ad id ſufficiat. *arg. l. 7. ff. h. t.* (XCIX.)

21. *Moribus.* Judiciorum ordo in ſingulis curiis & tribunalibus alius atque alius receptus eſt, cui ſe ſuáque accommodare, boni ac periti eſt Juriſconſulti. Poteſt autem hodie filius major annis 25. etiam vivo adhuc patre ſuo nomine agere ſine patris conſenſu, ut & conveniri. Minor verò ſub curatoris poteſtate conſtitutus, ſine ejus autoritate ne in cauſis quidem momentaneæ poſſeſſionis habet legitimam perſonam ſtandi in judicio. Mulieres quòque maritatæ, cùm hodie in maritorum poteſtate ſint, ſine eorum conſenſu ſtare nequeunt in judicio, ſed potius maritus ipſe pro uxore ſuâ agit & convenitur; adeò ut ipſo jure nulla foret ſententia in mulierem inſcio marito in judicio ſtantem lata. Si tamen abſens ſit maritus, & negotium non tantæ moræ patiens ut abſentis expectetur auctoritas, ipſam pro ſe in judicio ſtare poſſe ratio dictat.

Univerſum autem judicum collegium hodie nequit ut ſuſpectum recuſari, ſed tantùm ſingula ejus membra; quæ an ſuſpecta ſint, reliqui ejuſdem collegii judices examinabunt. Niſi major eorum pars ſuſpecta dicatur; quo caſu de cauſis ſuſpicionis judex ſuperior cognoſcit. Quòd ſi judex per imperitiam malè judicaverit, non facit hodie litem ſuam; ſecus ſi dolo : tunc enim etiam criminaliter accuſari & pœnâ extraordinariâ puniri poteſt.

Forum competens quòd attinet; licèt regulariter actor forum rei ſequatur, id tamen fallit in Almæ hujus Academiæ Studioſis, qui ſive actores ſive rei ſint, non alium quàm Academicum in civilibus & criminalibus ſortiuntur Judicem, fallit & in miſerabilibus perſonis, pupillis, viduis aliiſque ſimilibus, quæ ſi agant in cauſis gravioribus (in urbibus centum, in pagis quinquaginta aureos excedentibus,) ſuos adverſarios ad curiam provincialem evocare poſſunt; licèt agant contra æquè privilegiatum, uti in Hollandiâ judicatum; (contra tamen in Friſiâ) licèt etiam agant actione hæreditariâ, vel pupilli contra tutorem contendant ad rationes in loco adminiſtrationis; aut aliàs idoneo reddendas. Non item, ſi actione tantùm ceſsâ experiri vellent.

Cæterùm in loco contractûs, aut delicti perpetrati, aut loco ſolutioni ſpecialiter deſtinato, aut coram Judice ſpeciali juriſdictionis prorogatione comprehenſo nullus hodie conveniri poteſt, niſi illic inveniatur, adeò ut nec transmiſſioni reorum in criminalibus locus ſit ex neceſſitate, ſed magìs ex comitate. Quòd ſi quis generaliter ſe *omnium judicum & judiciorum juriſdictioni* ſubjecerit, non id ſufficiet, ut factam eſſe prorogationem dici poſſet; ſed certo Judicio aut Tribunali nominatim ea facienda eſt; quæ tamen nec tunc quidquam operabitur, niſi reus inveniatur, aut bona habeat in Judicis prorogati territorio.

Sunt autem plures perſonæ ita privilegiatæ, ut invitæ non niſi coram Hollandiæ Curiâ conveniri poſſint primâ inſtantiâ; quales ſunt perſonæ miſerabiles, uti dictum; Nobiles & Senatores Hollandiæ, ut & Senatores reliquarum Fœderatarum Provinciarum; eorúmque Miniſtri; Almæ hujus Academiæ Lugdunenſis Doctores & Anteceſſores publici; & Advocati Hagæcomitis degentes: alibi enim ſi commorentur, ad ordinarium Judicem vocari poſſunt. Cauſas quoque fiſcales in eâdem curiâ ventilari receptum eſt. Ubi verò milites in civilibus & criminalibus hodie conveniendi ſint, vide latiùs quæ ſcripſi *tract. de jure milit. c. 7. n. 3. 9. & ſeqq.*

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 1. de judiciis & titulos ſequentes, uſque ad tit. 28. & libr. 7. tit. 48. ſi à non compet. jud. judic. eſſe dicatur.*

TIT.

Tit. II.

De Inofficioſo Teſtamento.

1. INofficioſum Teſtamentum eſt, *quod contra pietatis officia factum*: ad quod evertendum prodita eſt inofficioſi Teſtamenti querela; quæ non præparatoria, ſed potius ipſa hæreditatis petitio eſt & appellatur. *l.* 34 *C. h t. l.* 3. *de petit. hæred. l.* 21. *§. ult. l.* 27. *§. pen. ff. h. t.* & quidem ab inteſtato, quatenus cauſa teſtati ad cauſam inteſtati redigitur. *l.* 7. *§.* 1. *ff. h. t.* (III, IV.)

2. Eſt ergo inofficioſi querela *actio in rem, quâ quis petit Teſtamentum tanquam inofficioſum reſcindi & ſe hæredem declarari, arg. l.* 2. 3. *ff. h. t.* quæ primò quidem liberis competit injuſtè exhæredatis à patre, præteritis à matre vel avo materno, quo modo accipienda. *auth. ex cauſâ, C. de liber. præterit.* nam ſi à patre ſit facta præteritio teſtamentum ipſo jure nullum eſt, *pr. Inſt. de exhæred. liberor* Nec intereſt reſpectu quærelæ, ſui ſint an emancipati, nati an poſthumi. Si tamen liberi de matris Teſtamento inofficioſo nolint conqueri, pater id eorum nomine non poterit, cùm nulla ei ſit facta injuria. *l.* 8. *pr. ff. h. t.* Naturalibus liberis aut ſpuriis contra matris quidem, at non adversùs patris, Teſtamentum querela data eſt. *l.* 29. *§.* 1 *ff. h. t.* Quòd ſi liberi ſint primi gradûs juſtè exhæredati ac patri ſuperſtites, vel querelam movere nolint, nepotibus per eos progenitis quærela non dabitur, cum non debeatur legitima. *arg. l.* 9. *§.* 2. *ff. de liber. & poſth.* ut & *arg. l.* 34. *C. h. t. l.* 6. *ff. de injuſt. rupt. irrit.* licèt enim exhæredati mortuis in quibuſdam comparentur. *l.* 1. *§.* 5. *de conjung. cum emancip. liber. ejus*, non tamen in omnibus, & ſecundò habentur pro mortuis, ubi tenet exhæredatio, adeóque demum aditâ hæreditate.

3. Quòd ſi liberi non exiſtant, vel exiſtant quidem ſed non agant, parentibus querela competit, ſive præteritis ſive exhæredatis à ſuis liberis. *l.* 14. 15 *ff. h. t.* His quoque deficientibus ad querelam admittuntur fratres, ſorores, germani ac conſanguinei, non uterini: nec illi aliter, quàm ſi turpis perſona juris aut facti infamiâ notata fratribus prælata ſit. *l.* 27. *C. h. t.* Aliis ultra perſonas jam enumeratas non datur. *l.* 1. *ff. h. t.* Non jure noviſſ. fratribus uterinis. Nec fratres uterini cum conſanguineis, nec fratres germani aut eorum li-

beri cum patre ſuccedunt, ubi per querelam patris aut fratris teſtamentum reſciſſum fuerit: ex æquatio enim illa fratrum, conſanguineorum ac uterinorum ut & concurſus fratrum cum Patre, &c. in nov. 118. tantùm obtinet, cùm per ſe & vi legis, non item cum ex vi ſententiæ eſt cauſa inteſtati: jus namque novum ſtrictam recipit interpretationem. Et ſi fortè perſonæ hæ aliæque remotiores egerint querelâ inofficioſi, ac nemine forſan contradicente obtinuerint, id ipſis non proderit; ſed ad hæredes ab inteſtato devolvitur hæreditas. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 6. *princ. ff. h. t.* Reſp. per cognatos ibi intelligi poſſunt fratres ad oppoſitionem ſuorum hæredum. (VIII, IX, X, XI.)

4. Movenda autem querela adversùs hæredes teſtamento ſcriptos, cujuſcumque dignitatis, veluti contra Imperatorem. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* etiam contra fideicommiſſarios univerſales. *l.* 1. C. *h. t.* ut & contra liberos reliquos teſtatoris vel piam cauſam inſtitutam. *arg. l.* 31. §. 1. *ff. h t.* contra hæredis quoque hæredes, & fiſcum, ſi hæredis bona publicata ſint. *l.* 10. *C. h. t.* Et quidem in eo loco, in quo ſcriptus hæres domicilium habet. *l.* 29. §. *ult. ff. h. t.* (XII.)

5. Effectus querelæ olim erat, quòd totum teſtamentum corrueret, nec legata, nec libertates, nec quicquam ex eo valeret, excepto caſu. *l.* 17. §. 1. & *l.* 28. *ff. h. t.* At jure novo ſola reſcinditur hæredis inſtitutio, legatis, libertatibus, fideicommiſſis aliíſque firmis manentibus. *nov.* 115. *c.* 3. *in fin.* & *c.* 4. *in fin.* (XIII, XIX.)

6. Variis autem caſibus querela ceſſat, puta lapſo quinquennio, non à tempore mortis, ſed aditæ hæreditatis; cùm ex eo demum tempore agi poſſit. *l. pen.* §. 2. *ff. h. t.* unde, ſi de valore teſtamenti quæſtio ſit, eâ demum decisâ currere incipiet quinquennium. *l.* 16. *C. h. t.* Ceſſat & ſi quis juſtè exhæredatus ſit, id eſt, vel bonâ mente. *l.* 18. *ff. de liber. & poſth.* vel ex ſatis gravi, adeóque juſtâ & verâ ingratitudinis causâ, teſtamento inſertâ, & per hæredem probatâ. Si quid horum deſit, querelæ locus eſt; non verò nullum eſt teſtamentum. *nov.* 115. *c.* 3. *in fin.* ne tum quidem, cum poſthumus exhæredatus eſt. *l.* 6. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 33. *in fin. C. h. t.* Reſp. quia juſta cauſa in poſthumum cadere nequit, ideo querela movenda eſt. (XX, XXII, XXIII.)

7. Juſtæ verò exhæredationis cauſæ in liberis ſunt quatuordecim; in parentibus octo. *nov.* 115. *c.* 3. & 4. in fratribus tres, puta, ſi ingrati, ſi infames ſint, & ſi ſervus inſtitutus

ſit

ſit hæres neceſſarius. *l.* 11. *l.* 27. *C. h. t. Nov.* 22. *c.* 46. *&* 47. Quæ tamen omnes cauſæ in d. ll. enumeratæ ſimiles aut graviores aliàs non excludunt. *arg. l.* 12. 13. *ff. de legibus.* recenſentur enim *nominatim* quidem cauſæ in *d. Nov.* 115. ſed tantùm ad excluſionem aliarum leviorum. Nec evaneſcunt hæ cauſæ per ſolam ingrati pœnitentiam; eò quòd injuria illata ſolâ pœnitentiâ non aboletur. *arg. l. pen. ff. de vi bonor. rapt.* nec in gravioribus quiſpiam ſuâ pœnitentiâ nocens eſſe deſinit. *arg. l.* 65. *ff. de furtis.* niſi & reconciliatio acceſſerit. *arg. l.* 3. *in fin. & l.* 4. *de adim. vel transfer. legat.* Obſt. *l.* 23. *ff. de liber. & poſthum.* Reſp. adrogatio non ſemper includit reconciliationem; cùm ex aliâ cauſâ, veluti conditionis implendæ gratiâ etiam poſſit intervenire. (XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI.)

8. Ceſſat inſuper ſi aliud remedium competat æquè pingue. §. 2. *Inſt. h. t.* aut ſi quis eam repudiaverit, vel expreſsè. *l.* 15. §. 1. *l.* 17. *l. pen.* §. *ult. ff. h. t.* vel tacitè, ſibi ſuiſque relictum acceptando; niſi id fecerit officii neceſſitate. *l.* 10. §. 1. *l. pen.* §. *pen. ff. h. t.* aut ſi mortuus ſit exhæredatus, cùm querela necdum eſſet præparata; tunc enim ad hæredes non transmittitur. *l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t.* exceptis jure novo ſuis hæredibus, ad quos etiam non præparata tranſit. *l.* 34. *l. pen. in fin. C. h. t.* Denegatur quoque, ſi relicta ſit legitima, quæ jure novo relinquenda titulo inſtitutionis, *Nov.* 115. *c.* 3. *in pr.* purè & ſine onere. *l.* 30. *C. h. t.* ſic ut ne uſufructu quidem legitimæ fraudari poſſint liberi: *auth. noviſſima. C. h. t.* & denique in ipſis rebus defuncti, non fructibus, ſi de legitimâ liberorum primi gradûs agatur. *arg. l.* 6. *C. ad SCtum Trebell.* abrogatâ. *l.* 8. §. 11. *ff. h. t.* Quòd ſi minùs quàm legitima relictum ſit, contra inſtitutum actio ad ſupplementum datur. *l.* 30. *C. h. t.* triginta annis durans, quia perſonalis, & minùs odioſa quàm querela. (XXXII, XXXIII, XLIII, XLIV, LXIII, LXVI, LXVII, LXVIII, LXIX, LXX, LXXI.)

9. Eſt autem legitima *portio portionis ab inteſtato debita*, & pars bonorum potiùs quàm hæreditatis. *arg. l.* 6. *C. h. t. l.* 8. §. 9. *ff. h. t.* junct. *l.* 39. *ff. V. S.* licèt titulo & nomine tenus aliquando appelletur hæreditatis pars. *l.* 8. §. 8. *ff. h. t.* §. 3. *Inſt. h. t. Nov.* 115. *c.* 3. quod eò pertinet, ut legitimam petens non teneatur ad æs alienum; ſi bona ſolvendo non ſint, ad quod teneretur, ſi legitima effectu eſſet pars hæreditatis. *l.* 27. *ff. de jure dot.* Et olim quidem legitimam conſtituebat pars quarta portionis ab inteſtato debitæ; hodie verò triens, ſi

quatuor

quatuor vel pauciores ſint liberi, vel ſemis ſi plures ſint quàm quatuor *Nov. 18. c. 1.* Quod augmentum & in aſcendentibus locum habet, non item in fratribus: *arg. d. N. 18. c. 1. in fin.* quippe quibus leges regulariter legitimam non conceſſerunt, & nonniſi in odium turpis perſonæ inſtitutæ. (XLIV; XLV, XLVI, XLVII, XLVIII)

10. Numerum autem augere videtur etiam ipſe exhæredatus, ſi quidem adhuc agere cum effectu poſſit. *l. 8. § 8. ff h. t.* ſi verò querelam movere nequeat, quia fortè jam repulſus, vel tempore excluſus eſt, vel repudiavit, numerum non augebit. *l. 17 ff. h. t. arg. l. 10. §. 4. ff. de bonor. poſſeſſ contra tab.* pars enim repudiantis vel tempore aut ſententiâ excluſi accreſcit reliquis liberis inſtitutis aut injuſtè exhæredatis, non extraneis inſtitutis: ipſe hactenus pro mortuo habetur. *d l. 17. 23. §. ult. ff. h. t. l. 1. §. 5. ff. de conjung. cum emanc. liber ejus.* (XLIX, L.)

11. Non etiam querelæ locus eſt in tabulis pupillaribus. *l. 8. §. 5 ff. h. t.* aut caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio. *l. ult. C. h. t.* aut ſi ſtatuto liberi ita excluſi ſint à parentum ſucceſſione, ut nec legitima ipſis debeatur: legitimam enim ſtatuto tolli poſſe verius eſt, cùm non ſit juris naturalis poſitivi; non magìs nec aliter, quàm tota ſucceſſio lege quâdam tacitâ naturæ debita dicitur in *l. 7. ff. de bon. damnat.* & propriè nec debitum nec propriè æs alienum, ſed *quaſi*, eſt. *l. ult. §. 2. C. de curat. furioſ. l. 8. § 15. ff. h. t.* (XXI.)

12. Ceſſat denique querela, ſi tranſactione ſit ſublata *l. 6. C. de tranſact.* Obſt. *l. 27 ff. h. t.* Reſp. ibi nudo pacto erat facta tranſactio, & ideo, hærede inſtituto eam non ſervante, adhuc querelæ locus eſt: ſecus, ſi datione aut ſtipulatione ſit confirmata, de quâ *d. l. 6.* Non tamen denegandum erit querelæ remedium ei, qui teſtamentum falſum dixit. *l. 14. C. h. t.* nec filio qui patri viventi & exhæredanti conſenſit; cùm reverentiâ paternâ contra mentem extortus videatur ille conſenſus *arg. l. pen. §. ult. ff. h. t.* nec ei, qui exhæredatus eſt à patre qui liberam teſtandi licentiam à Principe impetraverat. *l. 35. C. h. t.* abrogatâ. *l. 3. §. 1. 2. de bonis libert.* (XXXV, XXXVI.)

13. Quòd ſi in ferendâ de inofficioſo ſententiâ diſſentiant pari numero Judices, pro teſtamento contra exhæredatum pronunciandum eſt, ita ſuadente teſtamenti favore. *l. 10. ff. h. t.* Obſt. exhæredatio odioſa eſt, interpretatione non juvanda. *l. 19. ff. de liber. & poſthum.* Reſp. hoc odium vincitur favore teſtamenti in dubio. [LXXIII.]

14. Me-

14. *Moribus.* Etiam hodie querelæ locus eſt, & teſtamentum reſcindendum, cùm liberi à patre ſunt præteriti. Eámque volunt contra teſtamentum quoque filiif. aut militis admittendam eſſe, atque etiam matri dandam ad conſequendam legitimam, ſi pater filio impuberi extraneum pupillariter ſubſtituerit. Cæterùm an titulo inſtitutionis, an verò legati vel fideicommiſſi legitima iis, quibus debetur, relicta ſit, nihil intereſt, convenienter juri veteri Romano. Ut tamen in legitimam imputanda non ſint ea, quæ quis percipit jure primogenituræ vel majoratûs, nec feuda à majoribus profecta, ſecus ſi à patre coëmpta ſint. Licèt autem nullâ dilatione, nullo fideicommiſſo legitima gravari poſſit, onus tamen ei bonâ mente rectè imponitur; eo modo, quo & bonâ mente fit exhæredatio.

* Adde *ex Cod. libr. 3, tit. 28. de inoffic. teſtamento.*

TIT. III.
De Hæreditatis petitione.

1. HÆreditatis petitio eſt actio primariò in rem, mixta tamen propter præſtationes perſonales, quæ hìc non officio Judicis, ùt in rei vindicatione & aliis, ſed jure actionis veniunt *l. 25. §. 18. ff. h. t.* bonæ fidei, quâ quis contendit, hæreditatem ſuam eſſe, eámque ſibi ab eo, qui pro hærede, vel pro poſſeſſore poſſidet, reſtitui. *l. 7. C. l. 9. 10. ff. h. t.* (I, II.)

2. Competit ergo hæredi vero, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive in totum, ſive pro parte, etiam ex re certâ, hæres ſit & hæreditatem adiverit. *l. 2. 3. ff. h. t.* imò licèt ab initio ex teſtamento petierit & ſuccubuerit, deinceps ab inteſtato petere non prohibetur. *l. 8. ff. h. t. l. 19. ff. inoffic. teſtam.* Emptori quoque hæreditatis non directa quidem ſed utilis datur petitio. *l. 54. ff. h. t.* Quòd ſi rerum hæreditariarum poſſeſſionem ſemel adeptus rurſus amiſerit, poſſeſſorem ita demum hâc petitione poteſt convenire, ſi is pro hærede vel pro poſſeſſore, non particulari titulo poſſideat. (III, IV, V, VI.)

3. Datur adversùs eos, qui pro hærede, id eſt bonâ fide, vel pro poſſeſſore, id eſt, malâ fide poſſident, nec alium valent allegare poſſeſſionis titulum, quàm, *poſſideo quia poſſideo. l. 11, 12. ff. h. t.* cùm tamen jure ſingulari in hâc materiâ per reum edendus ſit poſſeſſionis titulus. *l. 11. C. h. t.* Etiam ad-

versùs

verſùs poſſeſſorum hæredes. *l.* 13. §. 3. *ff. h. t.* Ut & contra eos, qui liti ſe obtulerunt; cùm non poſſiderent: niſi actor ſciret eos non poſſidere. *l.* 18. §. 13. *l.* 45. *ff. h. t.* Et qui dolo poſſidere deſierunt. *l.* 13. §. 14. *ff. h. t.* qui, ſi æſtimationem præſtiterint, quaſi pœnam ſui doli, verus poſſeſſor adhuc conveniri poteſt. *d. l.* 13. §. 14. *ff. h. t. l.* 7. *ff. de rei vind.* ſecus ſi priùs conventus poſſeſſor rem aut æſtimationem præſtiterit, aut necdum conventus, paratus tamen ſit judicium pati, vel præſtare æſtimationem: his enim in caſibus liberatur, qui dolo poſſidere deſiit. *l.* 13. §. 14. *ff. h. t. l.* 95. §. 9. *ff. de ſolution.* Obſt. *l.* 51. §. 1. *ff. de re judic.* Reſp. ibi venditor tanquam negotiorum geſtor debitoris non pro ſe ſed pro debitore ſolvit id quod intereſt. Obſt. *l.* 24. 25. 26. *ff. de noxal. act.* Reſp. aliud ſervatur in noxalibus actionibus, quæ ex bono & æquo introductæ ſunt tantùm ut quis indemnis ſervetur, non ut lucrum captet. Adversùs eum quoque qui de poſſeſſione vi dejectus eſt, aut cui putativus hæres hæreditatem quaſi fideicommiſſariam reſtituit, hæc actio competit. *l.* 13. §. 5. *l.* 16. §. 4. *ff. h. t.* Contra debitoris inſuper hæredirios, & eos qui pretia rerum hæreditariarum aut debita ex-acta poſſident. *l.* 13. §. *ult. l.* 14. 15. 22. 42. *ff. h. t.* Modò hi omnes vel titulo univerſali pro hærede, vel particulari quidem, ſed qui ipſo jure nullus eſt, poſſideant, ut in *l.* 13. §. 1. *d. l.* 42. *ff. h. t.* Nec intereſt, totam poſſideant hæreditatem an rem minimam. *l.* 9. *l.* 10. *ff. h. t.* (VII, VIII, IX, X.)

4. Quòd ſi poſſeſſor ſit hæreditatis emptor, adversùs eum vel utilis hæreditatis petitio, vel ſpecialis rei vindicatio datur, actoris arbitrio. *l.* 13. §. 4. *ff. h. t.* junct *l.* 2. *C. eod.* quamvis in emptore hæreditatis illud ſingulare ſit, quod de fructibus ante litem conteſtatam ex hæreditate perceptis & conſumptis non teneatur, ſi in bonâ fide ſit, licèt inde factus locupletior. *d. l.* 2. *C. h. t.* (X, XI, XII.)

5. Tendit ad id, ut reſtituantur ea omnia, quæ ſuperiùs enumerata à reis poſſidentur, etiam quæ hæreditatis causâ comparata ſunt, quæque poſt mortem hæreditati quocunque modo acceſſerunt. *l.* 20. *pr.* §. 1. *&* 3. *ff. h. t.* & quæ reus poſt litem demum conteſtatam incepit poſſidere, cùm ſufficiat, petenti deberi rei reſtitutionem ante litem conteſtatam, ad id, ut is, qui tempore ſententiæ latæ poſſidet, & cum quo lis conteſtata eſt, condemnari poſſit. *l.* 4. *ff. h. t. arg. l.* 27. §. 1. *ff. de rei vind.* Reſtituendæ & res, quarum periculum ad defunctum ſpectavit, commodatæ, depoſitæ, pignori datæ.

l. 19.

l. 19. *ff. h. t.* pecunia à debitoribus hæreditariis exacta. *l.* 15. §. 18. *ff. h. t.* lucra omnia, etiam inhoneſta. *l.* 52. 55. *ff. h. t.* Non verò ſervitutes hâc continentur actione. *l.* 19. §. 3. *ff. h. t.* niſi perſonas ſint, quæ ad hæredes tranſeunt, ut in caſu. *l.* 14. *C. de uſufr. & l.* 2. *ff. de uſu & uſufr. legat.* licèt interdicto quod legatorum ſervitutes peti non prohibeantur. *l.* 1. §. 8. *ff. quod legat.* (XIII, XIV.)

6. Fructus quod attinet, illi quòque reſtituendi ſunt ac fructuum fructus. *l.* 26. 27. *ff. h. t.* & uſuræ fructuum ante, non poſt litem conteſtatam perceptorum. *l.* 51. *in fin. ff. h. t.* modò fructus diſtracti ſint, ut uſuræ percipi inde potuerint, aliàs non præſtandæ, de quo caſu intellige. *l.* 15. *ff. de uſuris.* Inter poſſeſſionem tamen bonæ vel malæ fidei adhibenda diſtinctio: etenim bonæ fidei poſſeſſor & res conſumptas & rerum hæreditariarum conſumptos fructus reſtituit tantùm quatenus inde factus eſt locupletior tempore rei judicatæ. *l.* 25. §. 11. & 15. *l.* 36. §. 4. *ff. h. t.* locupletior autem factus non cenſetur, qui donando ad remunerationes alium obligavit, quamdiu nihil recepit. *d. l.* 25. §. 11. *ff. h. t.* quamvis aliud in fure ex odio peculiari receptum ſit. *l.* 54. §. 1. *ff. de furtis.* At malæ fidei poſſeſſor omnia reſtituit, quæ percipere potuit, licèt non perceperit. *l.* 62. §. 1. *ff. de rei vind.* & ſi res vendiderit, non liberatur præſtando rerum pretia. *l.* 20. §. 12. *ff. h. t.* Caſum tamen fortuitum in rebus hæreditariis poſt litem conteſtatam nec bonæ nec ſimplex malæ fidei poſſeſſor præſtat, ſed ſolus prædo, niſi actor probet, ſe ſtatim fuiſſe diſtracturum, ſi petitionis tempore res fuiſſet reſtituta. *l.* 40. *ff. h. t.* junct. *l.* 62. *ff. de rei vind.* (XV, XVI, XVII, XVIII.)

7. Vice versâ bonæ fidei poſſeſſor petitione hæreditatis conventus deducit impenſas omnes, neceſſarias, utiles & voluptuarias, licèt non amplius extent. At poſſeſſor malæ fidei neceſſarias omnino; utiles verò, quatenus inde res melior facta eſt, voluptuarias tantùm tollit, quatenus poteſt ſine rei detrimento. *l.* 38. 39. *ff. h. t.* Quæ aliter ſeſe habent in rei vindicatione, ubi bonæ fidei poſſeſſor neceſſarias & utiles deducit, voluptuarias tollit, imo & utiles quandoque tantùm tollit. § 30. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 38. *ff. de rei vind.* ſed malâ fide poſſidens ſolas deducit neceſſarias, non item utiles, quas tamen tollit. §. 30. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 5. *C. de rei vind.* Melior autem in petitione hæreditatis quàm in rei vindicatione quantùm ad impenſas eſt conditio bonæ fidei poſſeſſoris, quia fructuum reſpectu quoque durior eſt, dum eos reſtituit quatenus

nus eſt locupletior; quod non obtinet in rei vindicatione; ut proinde plenior reſtitutio fructuum cum pleniore impenſarum deductione fuerit compenſanda. (XIX, XX, XXI, XXII.)

8. Cæterùm non actio, ſed ſola exceptio ad recuperandas impenſas eſt prodita *l.* 33. *ff. de condict. indeb. d.* §. 30. *Inſt. de rer. diviſ.* Obſt. *l.* 5. *C. de rei vind.* Reſp. repetitio fieri poteſt non tantùm actione inſtitutâ, ſed exceptione oppoſitâ. Obſt. *l.* 40. §. 1. *ff. de condict. indeb. l. un.* §. 5. *in fin. C. de rei uxor. act. l.* 18. §. 2. *ff. commodati.* Reſp. illæ leges non de bonæ aut malæ fidei poſſeſſoribus ſed aliis agunt, dominis ſcilicet aut commodatariis. (XXIII, XXIV.)

9. Hæc autem hæreditatis petitio pendens nec legatariis, nec fideicommiſſariis, nec creditoribus obeſt, quo minus interim debita ac legata petant; legatarii tamen præſtitâ cautione. Vide *l. ult. C. h. t.* (XXV.)

* Adde *ex Cod. lib.* 3. *tit.* 31. *de petitione hæreditatis.*

TIT. IV.

Si pars Hæreditatis petatur.

1. HÆreditas vel integra peti poteſt, vel pars ejus; nam & licitum totius hæreditatis poſſeſſori partem adverſario cedere, partem aliam ut ſuam defendere. *l.* 8 *ff. h. t.* Quod autem juris in toto eſſe ſuperius dictum, id Juris etiam in parte eſt. Semper verò inſtituenda hìc actio ex jure actoris, qui petere tenetur habitâ ratione juris ſibi competentis; at non conſiderato eo, quod adverſarius detinet. Totam nempe hæreditatem exigit, ſi tota ad eum ſpectet, licèt adverſarius partem ſolummodo poſſideat, & vice verſâ. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* (I.)

2. Quòd ſi duo hæredes veri ſint, & duo pro hærede vel poſſeſſore poſſidentes, non ſinguli à ſingulis, ſed ſinguli ab utroque poſſidente partem petunt, ex quâ hæredes ſunt. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* At ſi partim à vero, partim à falſo hærede teneatur hæreditas, ſi quidem pro indiviſo, alter verus cohæres à ſolo hærede falſo partem ſuam exigit; ſin pro diviſo, contra utrumque tenetur agere, ut poſtea totius hæreditatis inter veros cohæredes inſtituatur diviſio. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* [II.]

3. Cæterum vel pars certa peti poteſt vel incerta. Certa quidem, ſi ex pluribus hæredibus jam natis quidam deliberent: interim enim is qui adivit, ſuam tantùm partem petit. *l.* 2.

§. 2.

ff. h. t. incerta verò, ſi cohæres ſperetur, qui adhuc in
o eſt; eò quòd incertum, quot uno partu ſint naſcituri.
§. *ult. ff. h. t.* Si tamen patre mortuo mater ſit gravida,
a pars interim à jam natis petitur, ita ut tres partes me-
tempore ſerventur utero; cum tergemini quandoque
cantur. Sed ſi plures eo partu naſci contigerit, ſingulis
iuc pro rata decreſcet portio; ſin pauciores, ſingulis ac-
ſcet. *l.* 3. *l.* 4. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 30. §. 6. *ff de acquir. hæred l* 36.
e ſolution. Reſp. intelligendæ non de eo, quod interim
udice decernendum ſit, dum uterus geſtatur; ſed de
entu, pro quâ parte cum effectu quiſque hæres ſit. (111.)

TIT. V.

De Poſſeſſoria Hæreditatis petitione.

TIT. VI.

De Fideicommiſſaria Hæreditatis petitione.

POſſeſſoria hæreditatis petitio competit prætoriis hæredibus. Fideicommiſſaria hæredibus fideicommiſſariis contra poſſeſſores, non contra fiduciarium, qui i, poſtquam adierit, non reſtituat, actione potius ex teſtamento conveniendus eſt *l. ult.* §. 1. *ff. h. t.* Et utrobique dem, quòd in directâ civili hæreditatis petitione obtinet. *l.* 2. *ff. h. t.*

LIBER VI.

TIT. I.

De Rei Vindicatione.

1. VIndicare in genere eſt *jus in re ſibi aſſerere.* Jus autem in re quintuplex eſt, puta, dominii, poſſeſſionis, ſervitutis, pignoris. *l.* 3. §. 12. *ff. ad exhibend.* & hæreditatis. *Dominium* eſt *jus, quo res noſtra eſt,* & vel directum eſt, vel utile, quod emphyteutæ, va-

 ſalli

ſalli & ſimiles habent; Domini etiam inde in jure appellati. *l. 12. C. de fund. patrimon. arg. l. 15. §. 1. ff. qui ſatisd. cog.* licèt conſiderato dominio directo Domini eſſe negentur. *l. 1. §. 1. ff. ſi ager vectigal id eſt emphyt. pet.* (I.)

2. Ex hoc jure dominii naſcitur rei vindicatio in ſpecie, quæ eſt *actio in rem, quâ rem noſtram ab alio poſſeſſam petimus.* Et hæc quòque vel directa vel utilis eſt. Directa illis competit, qui jure gentium aut civili Domini ſunt. *l. 23. ff. h. t.* ut & marito reſpectu rei dotalis ſtante matrimonio. *arg. l. 9. C. h. t.* junct. *l. 30. C. de jur. dot.* non item uxori, niſi eo ſoluto. *d. l. 9. d. l. 30.* Obſt. *l. 3. C. h. t.* Reſp. non patet, in *d. l.* de fundo dotali vel de vindicatione conſtante matrimonio faciendâ agi. (II, III, V, VI, VII, VIII.)

3. Utilis datur dominium utile habentibus. *arg. d. l. 1. §. 1. ff. ſi ager vectigal.* & illis, quibus in rem actio vendita. *l. fin. C. de hæred. vel act. vend.* uxori, quæ pecuniam marito donaverat, reſpectu rerum ex eâ comparatarum, ſi donationem revocet, & ſolvendo non ſit maritus. *l. 55. ff. de donat. inter vir. & uxor.* donatori mortis causâ, ſi dominium transtulerit in donatarium & poſtea pœniteat. *arg. l. 29. 30. ff. de mort. cauſ. donat.* pupillo & militi ratione rerum ex eorum nummis per tutores aut alios emptarum. *l. 2. ff. quand. ex fact. tut. l. 8. C. h. t. l. 3. C. de arbitr. tutel.* cum alioquin is, cujus nummis res acquiſita, ſolam perſonalem habeat actionem. *l. 6. C. h. t.* ut maximè uxor fuerit, cujus pecuniâ dotali maritus fundum emerat. *l. 12. C. de jure dot.* Obſt. *l. 54. ff. de jur. dot.* Reſp. *videri* eſt ſæpe nota improprietatis. (XXI.)

4. Cæterùm emptori, donatario aliſque ſimilibus non datur, antequam res iis fuerint traditæ: unde in vidicatione rei duobus venditæ non is, cui priori vendita, ſed cui priùs pretio ſoluto tradita, potior eſt. *l. 15. C. h. t. l. 72. ff. h. t.* ut tamen ſufficiat inſtrumenta & documenta fuiſſe tradita. *l. 1. C. de donation.* cui non contradicit. *d. l. 15.* Non etiam quis vindicat rem à ſe alienatam, vel à defuncto cui hæres extitit, cujúſque factum præſtare cogitur. *l. 17. ff. de evict. l. 14. C. h. t. l. 3. C. de reb. alien. non alienand.* Nec is, qui deſiit eſſe Dominus pendente lite *arg. l. 14. ff. de condict. furt.* Nec denique, qui pendente demum lite dominium acquiſivit. *arg. l. 11. §. 4. 5. ff. de except. rei jud.* junct. *l. 23. ff. de judic.* niſi libello mutato judicium proſequatur. (IV, XIV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX.)

5. Datur adversùs quoſvis bonæ vel malæ fidei poſſeſſores eorum-

eorúmque hæredes, quatenus poſſident. *l. 42. 55. ff. h. t.* licèt poſt litem conteſtatam demum cœperint poſſidere. *l. 23. §. 1. ff. h. t.* Competit & contra nudos rerum detentores. *l. 9. ff. h. t.* qui tamen liberantur, nominando eum, cujus nomine detinent. *l. 2. C. ubi in rem actio.* Sed ſi ad finem uſque ipſi in judicio perſtiterint, ac condemnati ſint, ſententia ei, cujus nomine poſſident, non eſt nocitura. *arg. d. l. 2. C. ubi in rem act.* junct. *l. 63. ff. de re judic.* Tenentur quòque hâc actione, qui liti ſe obtulerunt, niſi actor ſciverit eos non poſſidere. *l. 7. 25. 26. ff. h. t.* ut & qui dolo poſſidere deſierunt. *l. 27. §. 3. ff. h. t.* quibus defunctis, hæredes non hâc ſed in factum actione conveniri poſſunt, quatenus ex dolo defuncti locupletiores redditi. *l. 52. ff. h. t.* (XXII, XXIII.)

6. Probandum autem in vindicatione dominium per actorem. *l. 9. ff. h. t.* quo deficiente in probatione, poſſeſſor abſolvendus eſt. *arg. l. 11. C. de petit. hæred. l. 4. de edend.* Obſt. *l. 16. C. de prob.* Reſp. ibi actor jam probaverat, ſic ut reo incumberet probanda exceptio. Probatur verò dominium, ſi doceatur dominium autoris, & cauſa habilis tranſlati per eundem dominii. *arg. l. 20. ff. de acquir. rer. dom.* idque per inſtrumenta, vel teſtes & alia documenta legitima. *Nov. 18, c. 10.* Si tamen poſſeſſor conventus ſe poſſidere neget, & mendacii convincatur, poſſeſſione privatur, & in ipſum transfertur probandi onus. *l. ult. ff. h. t. arg. l. 25. ff. de probat.* (XXIV, XXV.)

7. Vindicantur hâc actione res corporales, mobiles, ſeſe moventes, grex, armentum, &c. etiam liberi noſtri ex jure Quiritium. *l. 1. l. 56. ff. h. t. §. 1. Inſt. de action.* etiam id, quod ex re noſtrâ ſupereſt, corium bovis extincti, &c. *arg. l. 49. §. 1. ff. h. t.* ſecus in legato, cujus dominium ante traditionem ad legatarium pertinet ſolo ficto dominio. *l. 49. ff. de legatis 2.* Non tamen petuntur hoc judicio incorporalia, non jura, veluti peculium. *l. 56 ff. h. t.* Nec res ſacræ. *l. 23. §. 1. ff. h. t.* licèt iniquo poſſeſſori extorqueri & ita generaliter vindicari poſſint. *l. 21. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Nec res rebus alienis junctæ, ſic ut ſeparari facilè nequeant naturâ vel legis diſpoſitione, ut in tigno ædibus juncto, & junctis per ferruminationem; [ſecus in applumbaturâ.] *l. 23. §. 1. 5. 6. ff. h. t.* (XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.)

8. Reſtituendæ verò res, quæ vindicantur, unà cum fructibus, de quibus *tit. de acquir. domin.* & omni cauſâ. *l. 20. ff. h. t.* & eo quidem in loco, in quo ſunt ac petuntur, transferendæ

rendæ petitoris impenſis; niſi reus eas dolo tranſtuliſſet aliò. *l.* 10.11.12. *ff. h. t.* Quòd ſi poſſeſſor condemnatus contumaciter reſtitutionem detrectet: manu militari res auferri poteſt. *l.* 68. *ff. h. t. l.* 15. §. 23. *ff. de damn. infect.* vel per actorem juratur in litem contra poſſidentem, nec non eum, qui dolo poſſidere deſiit. *d. l.* 68. Nec eo caſu cedendæ ei, contra quem juratum, actiones. *l.* 63. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 14. §. 9. *ff. de ſervo corrupto.* Reſp. diverſus ibi caſus eſt. Obſt. *l.* 12. *ff. de re judic.* Reſp. aliud in actionibus perſonalibus obtinet quàm in vindicatione, quia dominii major vis eſt quàm obligationis, ut proinde graviùs quoque peccet ac puniendus ſit reſtitutionem denegans in reali quàm perſonali actione. Quòd ſi non dolo, ſed culpâ tantùm poſſidere quis deſierit, ſimplicem ſolummodo, non ex affectione vindicantis æſtimationem præſtat, eíque tunc actiones cedendæ. *d. l.* 36 *ff. h. t.* Neque hanc rei vindicatæ reſtitutionem aut ablationem manu militari faciendam moratur aut impedit, quòd quis ſe jus pignoris aut ſuperficiei aut uſusfructûs habere dicat, cùm de his alio judicio agendum ſit ſuccumbenti. *arg. Nov.* 18. *c.* 10. (XXX, XXXI, XXXII, XXXIII.)

9. Quòd ſi res, quæ vindicatur, caſu fortuito perierit, ſi quidem ante litem conteſtatam, nec bonæ nec malæ fidei poſſeſſor tenetur, niſi ſit manifeſtus prædo, & is rem domino non obtulerit. *l.* 8. *ff. de condict. furt.* Sin poſt litem conteſtatam, malæ fidei poſſeſſor, qui prædo non eſt, ita demum tenetur, ſi actor rem diſtraxiſſet, atque ita illa penes actorem non eodem modo fuiſſet peritura. *l.* 15. §. *ult. ff. h. t.* At poſſeſſor bonæ fidei ne eo quidem caſu tenetur, niſi inſuper ſatìs intelligens rem ad ſe non pertinere, litigare maluerit quàm reſtituere. *l.* 82. *in fin. V. O.* Si tamen ſervus vindicatus poſt litem conteſtatam caſu perierit, operarum nihilominus præſtanda æſtimatio, ſed tantùm quatenùs vixit. *l. pen. ff. h. t.* aliter quàm obtineret, ſi dolo aut culpâ extinctus eſſet, quo caſu ſolvenda foret earum operarum æſtimatio, quas ſi vixiſſet uſque ad ſententiam præſtare potuiſſet. *l.* 33. *ff h. t.* (XXXIV, XXXV.)

10. Si quas autem impenſas fecerit poſſeſſor, retentione ſibi poteſt conſulere, actionem verò ad eas repetendas non habet. *l.* 48. *ff. h. t. l.* 33. *ff. condict. indeb.* Vide *tit. de petit. hered.* Et voluptuarias quidem tam malæ quàm bonæ fidei poſſeſſor tollit, ſine rei detrimento: neceſſarias uterque in totum deducit. *l.* 5. *C. h. t.* excepto caſu. *l.* 13. *ff. de condict. furt.*

l. 1.

l. 1. *C. de infant. expoſ.* at utiles in totum quidem recuperat bonæ fidei poſſeſſor; niſi hæ nimis graves ſint, nec eas ipſe dominus facturus fuiſſet, quo caſu vel tantùm tollit, vel tantùm recuperat, quatenus inde res melior. *l.* 38. *ff. h. t.* ſed qui malâ fide poſſedit utiles regulariter tantùm tollit. *d. l.* 5. *C. h. t.* Si tamen utiles impenſæ non in rem, ſed fructuum percipiendorum causâ factæ ſint, eas malæ fidei poſſeſſor deducit, cùm ipſos fructus talis impenſa minuat. *l.* 46. *ff. de uſuris.* exceptio eſt in *l.* 27. §. 25. *ff ad leg. Aquil.* (XXXVI, XXXVII.)

11. Quoties verò de impenſis deducendis quæſtio eſt; facienda priùs fructuum perceptorum cum impenſis compenſatio, ac ſi quid ultra fructuum quantitatem inveniatur impenſum, id demum vel tolli vel deduci juxta diſtinctiones antea datas poteſt. *l.* 48. *ff. h. t.* [XXXVIII.]

12. *Moribus.* Conventus rei vindicatione ac ſe poſſidere negans, ſi mendacii convincatur, non ideò privandus poſſeſſione, nec gravandus onere probandi. Poſſeſſorem autem malæ fidei ſingularem hodie utiles quoque impenſas à domino, rem vindicante, repetere poſſe, DD. æquitati conveniens eſſe cenſent, ſaltem, quatenùs extant, & augent rei valorem. An verò dominus rem ſibi per furtum ablatam à bonæ fidei emptore poſſit vindicare non reddito pretio, inſpicienda loci cujuſque conſuetudo; quæ ferè in his eſt regionibus, ut certo temporis ſpatio aurifabri & veteramentarii rem ſibi venalem oblatam publicè venum exponant, eóque lapſo tutò eandem ſibi comparent. Quemadmodum & nundinis liberis tutò quiſque emit nullum metuens à domino, rem ſuam vindicare volente, periculum.

* Adde *ex Cod. libr.* 3. *tit.* 32. *de rei vindicatione.*

TIT. II.
De Publicianâ in rem actione.

1. Actio Publiciana, ita dicta à Publicio prætore; *eſt actio prætoria in rem arbitraria, quâ rem, cujus poſſeſſionem juſto titulo & bonâ fide nactus erat, ac rurſus caſu amiſerat antequam uſucepiſſet, recuperat.* §. 3. *Inſt. de action.* Fingitur ſcilicet uſucepiſſe, quod nondum uſucepit: unde & hæc actio vero domino, de cujus dominio conſtat, inutilis eſt. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. An autem pretium ſolverit Publicianâ agens, nec ne, nihil

nihil intereſt, cùm & ſine pretio tranſeat poſſeſſio. *l. 8. ff. h. t.* non item dominium: unde & aliud in rei vindicatione circa pretium ſervatur. *l. 15. C. de rei vind.* Non etiam intereſt, utrùm tempore litis conteſtatæ agens in bonâ an in malâ fide ſit: imò dum quis Publicianâ experitur, fateri videtur, ſe non eſſe dominum, atque ita malam fidem agnoſcit. Vide *l. 7. §. 16. 17. ff. h. t.* Obſt. *l. 11. §. 3. ff. h. t.* Reſp. pro *experiar* legendum *pariat*. Quòd ſi à furioſo quis emerit, quem ſanæ mentis eſſe putabat, quamvìs ſummo jure nec uſucapere nec Publicianâ uti poſſit. *l. 2. §. 16. ff. pro emptore.* ex æquitate tamen utrumque poteſt. *l. 7. §. 2. 4. ff. h. t.* (IV, V.)

3. Datur hæc actio contra quemvis poſſeſſorem ſive bonæ ſive malæ fidei, qui jure debiliori poſſidet: nam ſi & ipſe juſto titulo poſſideat ac bonâ fide, in pari causâ melior foret poſſidentis conditio. *arg. l. 9. §. 4. in fin. ff. h. t.* ſive poſſidens ab eodem non domino, ſive ab alio rem nactus ſit. Obſt. *d. l. 9. §. 4.* Reſp. potior eſt, cui priori res tradita, ſi alteri nondum ſit tradita, ſed tantùm vendita, de quo caſu agit. *d. l. 9. §. 4. pr.* Obſt. *l. 31. in fin. ff. de act. empti.* Reſp. potior quidem ibi dicitur, cui priùs res tradita, ſed ſubintelligendum *quando etiam poſſidet.* niſi malimus *d. l. 31.* accipere caſu quo neuter ementium ſed tertius poſſidet. Non tamen par cauſa eſt, ſi alter ex titulo lucrativo poſſideat, alter ex oneroſo ante poſſederit; cui proinde Publiciana contra lucrativo titulo poſſidentem videtur danda; cùm de damno evitando agat. *arg. l. 11. §. pen. ff. de minor. l. 6. §. 11. ff. quæ in fraud. cred.* (VI, VII.)

4. Contra verum dominum hæc actio non competit: quippe qui, & ſi non poſſideret, contra poſſeſſorem habiturus eſſet rei vindicationem: niſi tamen dominus litis æſtimationem ante acceperit. *l. 63. ff. de rei vind.* (VIII.)

5. Petuntur Publicianâ res corporales & incorporales, etiam ſervitutes. *l. 11. §. 1. ff. h. t.* modò tales ſint, quarum procedere poteſt uſucapio vel præſcriptio. *l. 12. §. 1. ff. h. t.* Proinde non res furtivæ, nec alienari prohibitæ. *l. 9. §. 5. l. 12. §. 4. ff. h. t.* nec res, quæ neque verè neque fictè ſunt traditæ, etiamſi in iis fictum dominium ſine traditione transferri poſſet; quales ſunt res legatæ & necdum occupatæ. *l. 8. ff. pro legato.* excepto caſu. *l. 12. §. 1. ff. h. t.* (IX.)

6. De cætero reſpectu fructuum, impenſarum, &c. eadem in Publicianâ ſervanda, quæ in rei vindicatione *l. 7. §. 8. ff. h. t.*

7. Mo-

7. *Moribus.* Volunt pragmatici, actionem Publicianam etiam vero Domino competere; ſed cum actionum nomina non ſoleant hodie libello exprimi, de eo anxiùs inquirere ſupervacaneum arbitror.

TIT. III.

Si ager Vectigalis, id eſt, Emphyteuticarius petatur.

1. Actio in rem utilis datur etiam Emphyteuticarium aut vectigalem fundum habentibus, ut dictum *tit. de rei vind.* adversùs quoſvis poſſeſſores & ipſos municipes in Emphyteuſin dantes, ſi necdum tempus conſtitutum elapſum ſit, & vectigal ſeu canon ſolvatur. *l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* Nec differre videtur fundus vectigalis & Emphyteuticarius, niſi quòd frequentiùs municipia in Emphyteuſin concedentia *vectigal* dicantur percipere, quòd, ſi privati accipiant, *canon* appellatur. (I, II.)

2. Emphyteuſis autem vel deſignat ipſam rem in emphyteuſin datam; vel contractum emphyteuticum, qui eſt *contractus juris gentium bonæ fidei nominatus conſenſu conſtans, quo prædium alicui fruendum conceditur in perpetuum, aut ad tempus non modicum ſub lege meliorationis & præſtationis annui canonis.* Nec ad hujus perfectionem rei traditio vel ſcriptura deſideratur. *arg. l.* 4. *ff. de pign. & hypoth.* Vel denique deſignat ipſum jus in re emphyteutæ conſtitutum, quod & utile dominium appellari ſolet. Atque hoc acquiritur vel per contractum emphyteuticum accedente traditione, vel per alios contractus ac pactiones, quibus & ſervitutes poſſunt conſtitui, vel per ultimam voluntatem, vel præſcriptionem longi temporis. *arg. l. ult. in fin. C. de long. temp. præſcript.* ſive quis rem ut emphyteuticam poſſederit non vi, clam vel precario. *arg. l.* 10. *ff. ſi ſervit. vind.* ſive ei à non Domino emphyteuſis conſtituta ſit. *arg. l.* 15. §. 27. *ff. de damno infect.* Longiſſimum tamen tempus annorum quadraginta in fundis Cæſaris patrimonialibus exigitur. *l. ult. C. de fund. patrimon.* (III, IV.)

3. In emphyteuſin concedunt & municipes & Eccleſiæ, & privati liberam habentes rerum ſuarum adminiſtrationem ac alienandi facultatem. Et quidem dant prædia vel ruſtica vel etiam quandoque urbana; non item res mobiles. [VI, VII.]

4. Eſt verò emphyteuſis vel ſecularis, *quæ in rebus ſæcularibus eſt conſtituta*; vel Eccleſiaſtica, *quæ in rebus Eccleſiaſticis*. Item vel temporalis, quæ ad tempus non modicum conſtituitur; vel perpetua, quæ in perpetuum. Olim quidem Eccleſiaſtica emphyteuſis tantùm ad tertiam uſque generationem utriuſque ſexûs conſtitui poterat. *nov.* 7. *c.* 3. ſed Jure novo etiam in perpetuum. *nov.* 120. *cap.* 6. (IX.)

5. Extinguitur verò jus emphyteuſios variis modis, puta, lapſo tempore ad quod conceſſum eſt. *arg. l.* 3. *ff. h. t.* Rei interitu totali, non partiali, adeò ut ne pars quidem canonis diminuatur propter partis interitum, *l.* 1. *in fin. C. h. t.* multóque minus propter ſterilitatem aut incurſum hoſtium, aut impoſita majora tributa vel penſitationes, &c. *arg. d. l.* 1. *l.* 15. *§.* 27 *ff. de damn. infect.* (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI.)

6. Finitur quoque, ſi emphyteuta ſuam emphyteuſin alienaverit, non factâ Domino directo denunciatione; in totum quidem, ſi tota, pro parte verò, ſi pars alienata fuerit: denuncianda enim ei venditio non ut præcisè conſentiat, ſed ut poſſit, ſi ita videatur, eandem rem intra duos menſes ſibi emptam habere eodem pretio, aut alioquin recipiat in dominii directi recognitionem partem quinquageſimam quæ *laudemium* dici ſolet. *l. ult. C. h. t.* quæ tamen ad alienationes titulo lucrativo donationis, legati, inſtitutionis, &c. factas haud extendenda. (XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV)

7. Perit inſuper morâ in ſolvendo canone commiſsâ triennii quidem in ſeculari, biennii verò in Eccleſiaſtica. *l.* 2. *C. h. t.* nec jure civili hic moræ purgatio admiſſa eſt. *arg. tit ff. de lege commiſſ.* Nec partis ſolutio per emphyteutam facta impedit, quo minus res tota in commiſſum cadat, etiam ſi vel unus tantùm ex pluribus emphyteutæ hæredibus in morâ eſſet: particularem enim ſolutionem ut nemo alius ita nec Dominus directus tenetur admittere. *arg. l.* 7. *ff. commun. divid.* Obſt. *l.* 8. *§.* 1. *ff. de vectigal. & commiſſ.* Reſp. planè diverſus caſus eſt. Nec nuda hic admittenda inter emphyteutam, ac Dominum directum compenſatio, cum canon maximè in dominii directi recognitionem præſtetur. Planè, ſi emphyteuta compenſationem Domino ſolutionis loco obtulerit, offerendo ſatis eum videtur agnoviſſe. (XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XLI.)

8. Non tamen emphyteuſis ob non ſolutum canonem in

commiſſum

commiſſum cadet, ſi Dominus directus juri commiſſi renuntiaverit vel expreſsè, vel tacitè, poſt triennium fortè recipiendo vel exigendo canonem anni quarti. *arg. l. 7. de lege commiſſ.* junct. *l. 2. C. h. t.* nam triennii lapſi canonem, non obſtante commiſſo rectè exigit. *nov. 120. c 8.* Quòd ſi Dominus non avocaverit ab emphyteutâ rem emphyteuticariam ob moram (ut id poterat autoritate judicis, non privatâ. *arg l. 176. ff. de R. J.*) nec hæres ejus id ipſum poterit, ſi hæredis reſpectu moram non committat emphyteuta. *arg. l. 7. & ult. C. de revoc. donat.* [XLII, XLIII, XLIV, XLV.]

9. Perit quòque Eccleſiaſtica, ſi dolo vel ſummâ negligentiâ emphyteuta rem corrumpat. *auth. qui rem C. de ſacroſ. Eccleſ.* Sed propter ingratitudinem ab emphyteuta in Dominum commiſſam emphyteuſis non finitur: nec ob id quòd Dominus directus ex nova cauſa re indigeat ad proprios uſus, cùm id nuſpiam cautum ſit, nec juris ratio ſuadeat, nec procedat argumentum à locatione ex *l. 3. C. de locati.* ad emphyteuſin; quippe quæ magis donationi quàm locationi hac in parte aſſimilanda eſt, licèt non ſit ſimplex donatio. [XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX.]

10. Finitâ emphyteuſi ſive culpâ ſive ſine culpâ emphyteutæ, meliorationes quæ extant, & præter naturam contractûs, aut conventionem factæ ſunt, repeti poſſunt; cæteræ non item. *arg. l. 55 §. 1. l. pen. ff. locati.* ſub quâ diſtinctione intelligenda *auth. qui rem. C de ſacroſ. Eccleſ.* [LII, LIII.]

11. Emphyteuſi ſimilis eſt contractus libellarius, quo emphyteuta agrum emphyteuticarium rurſus alteri in emphyteuſin dat ſub præſtatione annui canonis. Vide *libr. 2. feud. tit. 9.* §. 2. Similis & contractus cenſualis, quo directum & utile dominium tranfertur ſub lege annui cenſûs, qui cenſus licèt conſtituto tempore non præſtetur, non tamen ideo res redit ad priſtinum Dominum, niſi aliud actum ſit. Sed hi duo contractus moribus magis quàm Jure Romano noti ſunt.

12. *Moribus.* Quæ & quanta laudemia emphyteuſios nomine Dominis directis debeantur ob alienationem, &c. hoc totum à regionis cujuſque pendet conſuetudine. Caducitatis autem pœna ob non ſolutum toto triennio canonem multis in locis non ſervatur, ſed vel alia pœna pacto oppoſita præſtari ſolet, vel duplicati canonis ſolutio.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. ult. de jure emphyteutico.*

LIBER VII.

TIT. I.

De Uſufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur.

1. SErvitus in genere eſt *jus in re alterius alteri conſtitutum, quo res alteri quàm Domino utilitatem adfert contra dominii naturam.* Et vel perſonalis eſt, *quâ res perſonæ ſervit.* diſtincta à ſervitute perſonarum de quâ alibi, vel realis, *quâ res rei ſervit.* Perſonalis præcipuè triplex invenitur, uſusfructus, uſus & habitatio: quamvis & omnis ſervitus naturâ ſuâ realis, ſi certæ perſonæ concedatur, perſonalis fiat. *arg. l. pen. ff. de ſervit. legatâ. l.* 14. §. 3. *ff. de aliment. legat.* I, II.)

2. Uſusfructus in genere eſt *jus percipiendi fructus ex aliqua re ſive propria jure dominii, ſive alienâ jure ſervitutis.* Unde à DD. alius *cauſalis* dicitur, qui cum ſuà causâ ſeu proprietate conjunctus eſt, nec ad ſervitutum genus pertinet, alius *formalis*, qui à ſua cauſa ſeu proprietate ſeparatus eſt. *l.* 126. §. 1. *ff. de V. O. l.* 21. §. 3. *ff. de except. rei jud.* & definitur, quod ſit *jus alienis rebus utendi fruendi, ſalvâ earum ſubſtantiâ.* (III, IV.)

3. Acquiritur autem variis modis, puta, legis diſpoſitione: quâ ratione conjugi ad ſecundas nuptias tranſeunti ademptâ proprietate ſolus reſervatus eſt, atque ita conſtitutus uſusfructus in bonis à priore conjuge profectis. *l.* 3. *l.* 5. *& auth. ſeqq. C. de ſecund. nupt.* Idémque erit, ſi poſt conjugis obitum mulier caſtitatem non ſervaverit. *arg. nov.* 39. *c.* 2. Sic & uxori ſuperſtiti inopi & indotatæ ſæpe uſusfructus partis bonorum, quæ mariti fuerunt, lege datur. *nov.* 117. *c.* 5. Patri quoque in bonis adventitiis filiif. niſi filiofam. eâ conditione quid datum ſit, ne pater uſumfructum habeat. *nov.* 117. *c.* 1. §. 1. vel filius ſibi relicta acceptaverit patre non conſentiente. *l. fin. pr. &* §. 6. *C. de bon. qua liber.* vel fratri germano unà cum patre ab inteſtato ſucceſſerit. *nov.* 118. *c.* 2. (VI.)

4. Conſtituitur inſuper longi temporis præſcriptione. *l. fin. in fin. C. de longi temp. præſcript.* Officio Judicis in judiciis diviſoriis. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* Pactionibus & ſtipulationibus, concurrente quaſi traditione. §. 1. *Inſt. h. t.* junct. *l.* 20. *C. de pactis.*

l. 3. ff. de obl. & action. Ultimâ denique voluntate, ſive purè, ſive ſub conditione, ſive ex die, ſive ad diem. *l. 3. 4. ff. h. t. l. 16. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Quòd ſi uni fundus, alteri uſusfr. legetur, ambo in uſufructu concurrunt, proprietas ei ſoli cedit, cui legata eſt. *l. 6. ff. de uſusfr. ear. rer. quæ uſu conſum.* Obſt. *l. 19. ff. de uſu & uſufr. leg.* Reſp. in formula ibi propoſita ſuperflua eſt, & delenda particula *vel.* [VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII.]

5. Poteſt conſtitui uſusfructus in omnibus rebus mobilibus & immobilibus, etiam univerſitatibus, totâ hæreditate; ſolis exceptis rebus fungibilibus. *§. 2. Inſt. ff. h. t. l. 29. l. 34. §. ult. l. 68. ff. h. t.* Quin imò, ùt fieri poteſt omnium bonorum donatio, ſic etiam generalis omnium bonorum uſusfructus rectè conſtituitur. *l. 29. ff. h. t.* Nec refert, utrùm utilitatem in præſenti adferre poſſint res fructuario nec ne. *l. 41. §. 1. ff. h. t.* [XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX.]

6. Uſusfructus conſtituti generalis effectus eſt, quòd proprietarius, eo durante, nihil agere poſſit in præjudicium fructuarii, imò, ne conſentiente quidem fructuario ſervitutem imponere prædio fructuario, niſi religionis favore. *l. 15. §. ult. & ll. ſeqq. ff. h. t.* Adhæc fructuarius omnem percipit commoditatem tum ex re fructuariâ, tum ex eo, quod per alluvionem fundo fructuario adjectum eſt: non item ex inſulâ ante fundum fructuarium in flumine natâ. *l. 9. §. 4. ff. h. t.* Et ſi navis uſumfructum habeat, poteſt eam navigatum mittere periculo domini. *l. 12. §. 1. ff. h. t.* Habet & venationum ac piſcationum reditus. *l. 9. §. 5. l. 62. ff. h. t.* modò fructus fundi ex venatione conſtet. *l. 26. ff de uſuris.* Obſt. omnibus patet venatio. *§. 12. & ſeqq. ff. de rer. diviſ.* Reſp. non tamen invito domino. Cedunt inſuper ei arbores demortuæ ex ſilva non cædua, at non tempeſtate evulſæ, quibus tamen ad villam fructuariam vineaſve fulciendas uti non prohibetur. *l. 10. 11. 12. 18. ff. h. t.* (XX, XXI, XXII, XXIII, XXV, XXVI, XXVII.)

7. Fructus denique omnes acquirit irrevocabiliter, ſive naturales, ſive induſtriales, ſive civiles: ut tamen naturales ac induſtriales non aliter ſuos faciat, quàm ſi eos ipſe perceperit vel alius ejus nomine. *l. 13. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Obſt. *l. 5. §. 4. ſi uſusfr. pet.* Reſp. percepiſſe fingitur, quia per iniquam adverſarii litem ſtetit quo minus perciperet. Nec intereſt, maturi ſint an immaturi, ſi modò uſum præbere ſoleant. *l. pen. ff. de uſu & uſufr. legat. l. 48. §. ult. ff. h. t.* Et quod attinet fructus civiles, puta penſiones, ſi quidem illæ ſolvantur

ex

ex re ſingulis momentis uſum præbente, velut ædificio, anni poſtremi penſiones prō ratâ temporis, quo duravit eo anno uſusfructus, inter proprietarium ac fructuarium dividendi ſunt. Si verò percipiantur ex re certis tantùm temporibus utilitatem adferente (quale pomarium, &c.) ſequentur naturam ipſorum fructuum: adeóque ſi fructuarius moriatur, antequam fructus eſſent à ſolo ſeparati, nihil ex illius anni penſionibus recipiet, cùm nec ipſi fructus ad eundem pertinuiſſent: at ſi poſt ſeparatos demum à ſolo fructus in fata concedat, tota illius anni penſio ei hæredive ejus cedet, eò quòd & fructus habuiſſet, ſi non elocaſſet. *l. 26. 58. ff h. t.* Obſt. *l. 7. §. ff. ſolut. matrimon.* Reſp. ibi alia ratio; cùm pro temporis onera matrimonii maritus ſuſtinuerit. Quòd ſi uſusfuctus ſit ſtipulatione promiſſus: & mora in eo conſtituendo facta, fructuarius etiam fructuum medio tempore à proprietario perceptorum exactionem habet. *l. 37 ff. h. t.* ut & hæredes ejus. *l. 47. ff. h. t.* Obſt. *l. 38. § 7. ff. de uſuris.* Reſp. ibi fructus non ſunt ſtipulatione comprehenſi, utì quidem in caſu, quo uſusfructûs ſtipulatio facta eſt. (XXVIII, XXIX, XXX, XXXI.)

8. Non tamen ad fructuarium pertinebit theſaurus in fundo fructuario inventus, nec lapides ex eo educti, niſi renaſcantur. *l. 7. § 12. 13. ff. de ſolut. matrim.* alioquin ſolæ uſuræ pretii ex lapidibus, ceſpitibus, &c. eductis redacti fructuario ceſſuræ ſunt. Sed nec ancillæ fructuariæ partum ſuum faciet. *§. 37. Inſt. de rer. diviſ.* licèt latiùs ſumpto fructuum vocabulo in aliis juris partibus ſub fructu partûs quandoque contineatur. *l. 24. §. 1 ad leg. Falcid.* (XXIV, XXXII.)

9. Viciſſim vero fructuario incumbit, rem ſartam tectam conſervare, ac in id modicos ſumptus facere, tributa ordinaria & extraordinaria (exceptis iis, quæ incendii ædium redimendi causâ hoſtibus præſtanda) ſolvere, ſaltem uſque ad quantitatem fructuum. *l. 7. §. 2. l. 13. §. 2. ff. h. t.* etiam ea, quæ ante uſumfructum conſtitutum erant debita, velut onus fundi: quæ tamen à proprietario repetere poterit. *arg. l. 5. §. ult. ff. de cenſibus.* Arbores quoque & vites & oves in locum demortuarum ſubſtituere, ac in genere omnia agere boni viri arbitratu. *l. 13. §. 2. l. 68. & ſeqq. ff. h. t.* omnem denique culpam præſtare in ipſis rebus conſervandis. *l. 65. ff. h. t. l. 1 §. ult. ff. uſufructuar. quemadm. cav.* Atque hinc eſt, quod interrumpere teneatur rei ipſius fructuariæ & ſervitutum præſcriptiones. *l. 1. §. ult. ff. uſufr. quemadm. cav.* nec mutare

tare valeat totam rei fructuariæ formam; nec ædificium exſtruere vel deſtruere, imò ne cœptum quidem perficere. *l. 61. ff. h. t.* quamvis caſam cuſtodiæ ac fructuum causâ ponere non ſit prohibitum. *l. 13. §. 6. l. 73. ff. h. t.* (xxxv. & ſeqq.)

10. *Moribus.* Patri non competit hodie ex legis diſpoſitione uſusfructus in bonis liberorum adventitiis. Quòd ſi teſtator alteri fundum, alteri ejuſdem fundi uſumfructum legaverit, neglectâ Juris Romani ſubtilitate ad unum nuda proprietas, ad alterum totus uſusfructus pertinebit ex probabili mente teſtatoris. Similiter fructuarium conſentiente proprietario ſervitutem aliúdve onus imponere poſſe rei fructuariæ, receptum eſt. Conſtituto autem omnium bonorum uſufructu, reditus quoque vitalitios in univerſum ad fructuarium pertinere, in Hollandiâ judicatum. Ultrajecti conſtitutum eſt; ſic ut nihil eo nomine proprietario bonorum reddendum ſit; quamvis de cætero fructuarius res reliquas uſufructu finito reſtituere teneatur, eúmque in finem inventarium conficere; quod nec per teſtatorem ei remitti poteſt.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 32. de uſufructu, &c.*

TIT. II.

De Uſufructu accreſcendo.

1. JUs accreſcendi non tantùm in hæreditatibus & legatis, ſed & in uſufructu locum ſibi vindicat. Licèt enim ſervitutes pleræque dividi nequeant. *l. 72. ff. V. O. l. 1. §. 9. ff. ad leg. Falcid.* uſusfructus tamen dividuus eſt. *l. 5. ff. de uſufr. l. 14. ff. quib. mod. uſufr. amitt.* Proinde ſi duobus uſusfructus ejuſdem rei relictus fuerit, uno deficiente alteri confructuario portio accreſcit; alio tamen modo quàm in hæreditate vel proprietatis legato. Jus enim accreſcendi hìc eſt *Jus percipiendi portionem ejus, qui non concurrit ad uſumfructum ſibi cum alio datum, vel concurrere deſiit.* Singulare námque eſt, quod portio in uſufructu non rei ſed perſonæ accreſcit: ſic ut & is jure accreſcendi gaudeat, qui concurſu cum confructuario jam partes fecit. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* imò & qui ſuam partem jam amiſit. *l. 10. ff. h. t. l. 33. §. 1. ff. de uſufr.* Obſt. *l. 57. §. 1. ff. de uſufr.* Reſp. ibi fructus non jure ſervitutis, ſed ut alimenta, relicti erant. (I, II, III, IV, VI.)

2. Inter ſolos autem re, vel re & verbis ſimul conjunctos, jus accreſcendi locum habet, non item inter eos qui verbis tan-

tantùm conjuncti ſunt. *arg. l. 1. pr.* junct. §. 3. *l. pen. ff. h. t.* de quo latiùs alibi. (v.)

3. Quòd ſi uſusfructus communi plurium ſervo relictus ſit, & unus dominorum ſuam in uſufructu portionem repudiet, alteri totus uſusfructus acquiritur, non quidem jure accreſcendi, (nulla enim in uſufructu ſervo communi relicto erat conjunctio) qui ſenſus *l. 20. ff. de legat. 2.* ſed jure poteſtatis dominicæ. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* unde & in *d. l. 20.* fit mentio accreſcendi, at non in *d. l. 1. §. 1.* (VII.)

TIT. III.

Quando dies Uſusfructûs Legati cedat.

1. Dies obligationis *cedere* dicitur, quando quid incipit deberi: *venire* verò; cùm quid incipit peti poſſe. *l. 213. ff. V. S.* Quòd ſi uſusfructus legetur, ſive purè ſive in diem, legati dies non à morte teſtatoris, ſed ab aditâ demum hæreditate vel exiſtente die adjecto cedit. *l. un. §. 2. 3. ff. h. t.* ceſſio enim diei inutilis foret, cùm uſusfructus ad hæredes non tranſeat; quod adeò verum, ut ne peccare quidem quaſi plus petendo, ſed potiùs nihil agere videatur, qui ante diei ceſſionem petit. *l. un. §. ult. ff. h. t.* [I.]

2. Si in annos aut menſes ſingulos uſusfructus ſit legatus, plura cenſentur eſſe legata, adeò ut quovis menſe vel anno legati cujuſque dies cedat. *l. un. pr.* Obſt. reditûs annui legatum cedit ſtatim à morte teſtatoris. *l. 12. §. 3. ff. quando dies legat. ced.* Reſp. ratio differentiæ eſt, quia uſusfructus eſt jus perſonale magìs quàm annuus reditus, qui ſæpe perpetuus ſæpe ad hæredes tranſit. *l. 8. ff. de annuis & menſtr. legat.* ut nec mirum ſit, ſi in annuis reditibus legatis reſpectu ceſſionis diei ſervetur magìs quod in proprietate, quàm quod in uſufructu legato receptum eſt. (II, III.)

TIT. IV.

Quibus modis Uſusfructus vel uſus amittitur.

1. Varii in jure modi ſunt proditi, quibus finitur uſusfructus & ad proprietatem revertitur: puta, mors naturalis vel civilis fructuarii. Vide *l. ult. C. de uſufr.* eſt enim

uſus-

uſusfructus jus perſonale, nec ad hæredes tranſit, niſi id expreſsè actum ſit; quo caſu primi tantùm gradus hæredes, non ulteriores, cenſentur comprehenſi. *l.* 14. *C. de uſufr.* & duo quodammodo uſusfructus ſunt. *l.* 38. §. 12. *ff. V. O.* Si collegio vel civitati debeatur, centum annis durat. *l.* 56. *ff. de uſufr.* niſi medio tempore collegium deſtructum, aut civitas aratrum paſſa ſit. *l.* 21. *ff. h. t.* Quòd ſi pluribus pro indiviſo relictus ſit, non unius, ſed omnium morte demum extinguitur, ut tit. 2. dictum. (I.)

2. Finitur & conſolidatione, ac ceſſione Domino factâ, non verò extraneo. §. *pen. Inſt. de uſufr.* Obſt. *l.* 66. *ff. de jure dot.* Reſp. dicitur *reverſurum* de futuro, cum nempe modus legitimus finiendi extiterit, ad excluſionem ejus cui ceſſus erat. Obſt. punienda cedentis malitia. Reſp. punitur ſatis actus geſti ſeu ceſſionis contra leges factæ nullitate, quod frequens in jure. (II, III, IV.)

3. Inſuper, licèt propter ſolum rei fructuariæ abuſum non evaneſcat uſusfructus. *l.* 1. §. 5. 6. *ff. de uſufr. quemadmod. cav.* ſi tamen certus modus in conſtituendo adjectus fuerit, non utendo per modum extinguitur. §. *pen. Inſt. de uſufr.* æquè ac non utendo per tempus, triennii quidem ſi in mobilibus, decennii verò inter præſentes & vicennii inter abſentes, ſi in immobilibus conſiſtat uſusfructus. *d.* §. *pen. arg. l.* 16. §. 1. *C. de uſufr.* Si quis parte aliquâ non fuerit uſus, in eâ ſolâ uſumfructum amittit. *l.* 14. *ff. h. t.* Quò & referendus, qui tantùm uſus eſt, cùm neſciret ſibi uſumfructum competere. *l.* 20. *ff. h. t.* Quòd ſi tamen alternis annis uſusfructus debeatur, non uſu non perit, cùm plura ſint legata. *l.* 13. *de uſu & uſufr. legat. l.* 28. *ff. h. t.* (V, VI, VII.)

4. Rei denique interitu totali uſusfructus extinguitur. Si pars perierit in parte ſuperſtite adhuc ſalvus eſt. *l.* 53. *ff. de uſufr.* Si tamen domûs uſusfructus conſtitutus ſit, ea pereunte, ne areæ quidem uſusfructus debetur. *l.* 5. §. 2. 3. *ff. h. t.* quamvis aliud in pignore & proprietatis legato obtineat *l.* 22. *ff. de legat.* 1. *arg. l.* 29. §. 2. *& ult. ff. de pign. & hypothec.* adde *l.* 10. *in fin. ff. h. t.* Quòd ſi res, in quâ uſusfructus erat conſtitutus, extincta, iterùmque reſtituta ſit, ſi quidem planè eadem ſit, quæ ante fuerat reviviſcit uſusfructus; ſin tantùm res ſimilis eandem habens formam, extinctus manet. Vide *l.* 36. *ff. de uſufr. l.* 26. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 10. §. *pen. ff. h. t.* Reſp. navis ex iiſdem tabulis reſtituta, non eadem ſed ſimilis tantùm creditur, ac domui reſtitutæ comparatur, ut tamen in

navi

navi hoc caſu ſit magis voluntatis quæſtio. *l.* 83. §. 5. *in fin. ff. V. O.* adde caſus in *l.* 10. §. 1. *& ſeqq. l.* 12. *ff. h. t.* [VIII, IX, X.]

5. Ope exceptionis finitur, exiſtente die vel conditione ad quam uſusfructus eſt conſtitutus. *l.* 15. *ff. h. t.* (XI, XII, XIII.)

6. *Moribus.* Cum capitis diminutiones non ita hodie atque quidem de Jure Romano obtineant, vix eſt ut uſusfructus per capitis diminutionem dici poſſit evaneſcere.

TIT. V.

De Uſufructu earum rerum quæ uſu conſumuntur.

1. QUaſi uſusfructus conſtituitur in rebus, quæ uſu conſumuntur. §. 2. *Inſt. de uſufr.* etiam nominibus. *l.* 3. *h. t.* ut & veſtimentis quotidianis. §. 2. *Inſt. de uſuf.* non item ſcenicis aut pompaticis. *l.* 15. §. 4. 5. *ff. de uſufr.* ubi pro *ſicut* legendum, *ſic, ut*, quo ſenſus conſtet. Atque ideo non res eadem in ſpecie [quippe cujus dominium translatum eſt] ſed tantùm in genere ejuſdem quantitatis & qualitatis reſtituitur, vel æſtimatio. *l.* 7. *ff. h. t.* pro quâ reſtitutione & cautio præſtanda, ſi exacta fuerit. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* [I, III, IV.]

2. Conſtituitur autem quaſi uſusfructus plerumque quidem ultimâ voluntate; nihil tamen obſtat quo minus actu quoque inter vivos ad veri uſusfructûs exemplum conſtituatur. Nec ideo degenerabit in mutuum, cùm nihilominus maximâ & mediâ finiatur capitis diminutione. §. 2. *Inſt. de uſuf.* & æſtimatio reddi poſſit, & cautio interponenda ſit. *d. l.* 5. §. 1. *l.* 7. *ff. h. t.* quæ non ita in mutuo ſervantur. [II.]

TIT. VI.

Si Uſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.

1. OCcaſione uſusfructûs duæ ſunt actiones proditæ, confeſſoria & negatoria. Confeſſoria eſt actio in rem, competens ei, cui uſusfructus conſtitutus eſt, non vero Domino. *l.* 5. *pr. ff. h. t.* adversùs quemvis rei poſſeſſorem, vel in

poſſeſſione

Digitized by Google

poſſeſſione turbantem, aut liti ſeſe offerentem quaſi poſſideret. *l. ult ff. h. t.* etiam contra ipſum Dominum. *d. l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Ad id, ut res declaretur uſuifructui obnoxia, & adverſarius poſſeſſionem cum fructibus reſtituat, aut patiatur actorem quiete uti frui. § *ult. ff. h t.* (I, II.)

2. Negatoria itidem eſt actio in rem, competens Domino contra eum, qui uſumfructum uſurpat, vel tamquam fructuarius Dominum in rei ſuæ poſſeſſione turbat, ad id ut res declaretur libera ab onere uſusfructûs, adverſario injungatur reſtitutio rei cum fructibus & eo, quod intereſt, vel ut in poſterum turbare deſinat. *d. l.* 5 §. *ult. ff. h.* (III.)

3 Agit autem his actionibus etiam is qui poſſidet. *d. l.* 5. §. *ult. ff. h. t.*

Tit. VII.

De Operis Servorum.

1. Servitus operarum eſt *jus percipiendi omne commodum ex operis ſervi alieni.* Et differt ab uſufructu vel uſu ſervi. *L. 1.* §. 9. *ff. ad leg. Falcid.* operarum namque legatarum dies non cedit ab aditâ hæreditate, ſed demum ex quo illæ petitæ: nec operarum ſervitus morte aut capitis diminutione illius, cui debetur, extinguitur; ſed demum morte ſervi & uſucapione ejus: quæ aliter obtinent in uſufructu ſervi. *l.* 2. *l.* 7. *ff. de uſufr. legat.* junct. *l.* 17. §. *pen. ff. de uſufr.* Obſt. *l.* 3. & 4. *ff. h. t.* Reſp. & operæ in fructu ſunt & fructus in operis conſiſtit; ſed alia non excluduntur, quatenus etiam præter ſervi operas alia in fructu ſunt. (I, II, III.)

2. Qui autem operas ſervi habet, eaſdem elocare poteſt, *d. l.* 2. *ff. de uſu & uſufr. leg.* quod non poteſt, qui tantùm habet uſum. *l.* 12. §. *ult. ff. de uſu & hab.* Obſt *l.* 5. *ff h. t.* Reſp. uſus ſervi videtur datus, datis operis; ſed alia præter uſum non excluduntur.

Tit. VIII.

De Uſu & Habitatione.

1. Uſus eſt *jus alienis rebus utendi ad neceſſitatem quotidianam, ſalvâ earum ſubſtantiâ.* Quantum enim uſuarius uſûs nomine percipere debeat, Judex ex ejus conditione arbitrabitur.

trahitur. *l. 22. in fin. ff. h. t.* Minus autem eſt in uſu quàm in uſufructu, niſi uſus ſine fructu eſſet inutilis. *d. l. 22. ff. h. t.* vel ad neceſſitatem omnes fructus conſumat uſuarius; quod poteſt. *l. 15. ff. h. t.* quo caſu etiam omnes ſumptus facere tenetur, ac ſi eſſet fructuarius: cum alioquin nullas uſuarius impenſas ferat, quoties poſt percepta uſûs nomine, aliquid proprietario vel fructuario ex fructibus ſupereſt. *l. 18. ff. h. t.* etenim abſurdum haud eſt, alteri proprietatem rei, alteri uſumfructum ſine uſu, rurſus alteri uſum ejuſdem rei tribui *l. 5. §. 1. 2. ff. uſusfr. quemadm. cav.* Obſt. *l. 14. §. 1. ff. h. t.* Reſp. uſusfructus non poteſt eſſe ſine uſu, quatenus neceſſariò utitur ſimul quiſque, dum fruitur; ſed id non impedit, quo minus alteri ſpecialis ſervitus utendi conſtituatur in re, in quâ alteri uſusfructus conceditur (I, II, III)

2. Cæterùm non poteſt uſuarius uſum alteri vendere, donare, locare. *l. 8. ff. h. t.* (quamvis hæc poſſit fructuarius. *l. 12. §. 2. ff. de uſufr.*) permiſſa tamen locatio, ſi vel hæc videatur fuiſſe mens condentis uſum; vel uſus aliter futurus eſſet inutilis. *l. 12. § 4. ff. h. t.* vel ædium ſpatioſarum uſus relictus ſit, & uſuarius parte modicâ contentus eſſe velit. *l. 4. ff. h. t.* Eſtque in genere aliquanto plenior facienda uſûs interpretatio, de quâ vide. *l. 12. §. 1. 2. 3. ff. h. t.*

3. Habitatio eſt *jus inhabitandi ædes alienas ſalvâ earum ſubſtantiâ*, quam qui habet alteri non quidem donare, ſed tamen locare poteſt. *§. pen. Inſt. h. t. l. 10. ff. h. t.* Perit autem hæc ſervitus morte, non capitis diminutione aut non utendo. *l. 10. ff. h. t. l. 10. ff. de capite minutis.* (VI, VII, VIII, IX.)

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit.* 33. *de uſufructu & habitatione & miniſterio ſervorum.*

TIT. IX.

Uſusfructuarius quemadmodum caveat.

1. CAutio aliter in vero aliter in quaſi uſufructu præſtanda: quaſi fructuarius enim cavet ſolummodo, ſe rem eandem in genere vel æſtimationem reſtituturum. *l 7. ff. de uſuf. ear. rer. quæ uſu conſum.* At fructuarius uſuarius & habitator, ſe fruiturum, uſurum, habitaturum boni viri arbitratu, ſéque finitâ ſervitute rem eandem in ſpecie reſtituturum cavet; cujus cautionis membrum alterum ſemel tantùm, alterum ſæpiùs committi poteſt. *l. 1. §. 5. 6. ff. h. t.* (I, II.)

2. Ca-

2. Cavendum verò hìc datis fidejuſſoribus. *arg. l.* 1. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* & ſingulis quidem dominis, ſi plures ejuſdem rei ſint proprietarii. *l.* 13. *ff. de uſufr.* Si quis cavere nequeat, arbitrio judicis committendum, an datis pignoribus, aut jurejurando præſtito admittendus ſit; an verò res elocanda, aut proprietario ipſi permittendum, ut fructus colligat & fructuario præſtet. Sed ſi quis, exactâ cautione, eandem præſtare nolit, repellendus eſt à commodo uſusfructûs, donec caverit. *l.* 13. *ff. de uſufr.* niſi ea remiſſa fuerit cavendi neceſſitas, qualis pater uſumfructum habens in adventitiis filiif. *l. ult.* §. 4. *in fin. C. de bon. quæ liberis.* fiſcus. *arg. l.* . §. 18. *ff. ut legat. ſervand. cauſ. cav.* donator. *arg. l.* 28. *R. J.* is cui uſusfructus purè, proprietas in diem eſt relicta. *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* (III, IV, V, VI, VII, VIII.)

3. Cæterùm, ſi quis uſumfructum actu inter vivos conſtituat, remittere poteſt cautionem fructuario; uti & hæres teſtatoris uſumfructum legantis. *arg. l. pen. C. de pactis.* at non ipſe teſtator. *l.* 7. *C. ut in poſſeſſ. legat.* qui ſi id fecerit, nihilominus cavendum. *l.* 1. *C. de uſufr.* non modò de utendo boni viri arbitratu, ſed & de re reſtituendâ. *arg. d. l.* 1. junct. *d. l.* 7. Obſt. teſtator remittere poteſt cautionem legatorum nomine *d. l.* 7. Reſp. ratio differentiæ eſt, quòd cautio legatorum nomine magìs ſit in favorem teſtatoris, ut voluntas ejus impleatur; at cautio fructuaria magìs in gratiam hæredis tanquam proprietarii ut ſecuturus ſit. Cui accedit, quòd remiſſione cautionis fructuariæ oneretur hæres, at remiſſione cautionis legatorum nomine gravantur legatarii; leges verò magìs illi quam hiſce ſolent favere. His adde hæredi firmius ac certius jus eſſe quæſitum reſpectu proprietatis, quàm legatariis reſpectu rei ſub conditione legatæ, quæ poſſet & non deberi. (IX, X.)

4. Quòd ſi cautio ab initio non ſit præſtita, medio tempore condici poteſt. *l.* 5. §. 1. *ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* vel etiam res fructuaria vindicari, donec cautum ſit. *l.* 7. *ff. h. t.* Sed ſi nec medio tempore exacta fuerit, res quidem ipſæ finito uſufructu poſſunt per proprietatem vindicari; damna verò in rebus data repeti per actionem ex lege Aquiliâ. *l.* 5. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t. l.* 13. §. 2. *ff. de uſufruct.* Quamvis damni reparatio, non finito tantùm ſed & durante uſufructu peti poſſit, ſimul atque illud datum fuerit. *l.* 1. §. 5. 6. *ff. h. t.*

Moribus. Cautio fructuaria, deficientibus fidejuſſoribus, etiam pignoribus idoneis facta admitti ſolet.

LIBER VIII.

Tit. I.

De Servitutibus.

1. SErvitus in genere licèt ſub ſe & realem & perſonalem comprehendat, hìc tamen utì & in tit. de ſervitute legatâ, ſolæ reales conſiderantur. (I.)

2. Realis autem ſervitus, *quâ res rei ſervit*, aliter *prædialis* dicta, eò quòd & dominans & ſerviens prædium ad eam eſt neceſſarium, ſive urbanum ſive ruſticum. Urbana quidem prædia dicuntur, *quæ in urbe vel agro habitandi causâ ſunt exſtructa*. Ruſtica verò, *quæ fructuum colligendorum gratiâ comparata*, ut agri, pomaria, horrea: ſic ut non locus ſed uſus urbana & ruſtica prædia diſtinguat. *l. 166. l. 198. ff. V. S.* Unde & pro uſu vario tum horti tum ſtabula nunc ruſticis nunc urbanis prædiis annumerantur. *d. l. 198. l. 4. §. 1. ff. in quib. cauſ. pig. tac. contrah.* (II, III.)

3. Ex hâc verò prædiorum diſtinctione proceſſit ſervitutum in *urbanas* & *ruſticas* diviſio. Urbanæ dicuntur, quæ debentur prædiis urbanis; ruſticæ quæ prædiis ruſticis ſunt debitæ. Fitque à prædio dominante earum denominatio. Atque hinc eſt, quòd una eadémque ſervitus vel urbana eſt, vel ruſtica, prout urbano vel ruſtico prædio conceſſa fuerit; utì id in ſervitute altiùs tollendi vel non tollendi aliíſque contingit. *arg. l. 2. ff. de ſerv. præd. urb.* junct. *l. 1. ff. de ſerv. præd. ruſt.* [IV, V.]

4. Cæterùm purè conſtituuntur hæ ſervitutes, non item ſub vel ex conditione, ex die vel ad diem. Si tamen dies vel conditio reſolutiva fuerit appoſita, pacti exceptio locum eſt habitura. *l. 4. ff. h. t.* Quemadmodum & ſub conditione eas promitti nihil vetat, adeò ut earundem promiſſioni tacita quandoque inſit conditio, veluti ſi futuro promittantur ædificio. *l. 23. pr. & §. 1. ff. de ſervit. præd. urban.* [I.]

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 43. de ſervitutibus & aquâ.*

Tit.

TIT. II.
De Servitutibus Prædiorum Urbanorum.

1. URbanarum ſervitutum variæ ſunt ſpecies; veluti, *oneris ferendi*, quâ vicini paries vel columna onus aliarum ædium ferre tenetur. Eſtque hìc illud ſingulare, quòd prædii ſervientis dominus aliquid cogatur agere, columnam, &c. reficere, niſi velit totam rem derelinquere. *l.6.* §. 2. *l.* 8. §. 2. *ff. ſi ſervit. vind.* Dum tamen reficitur, prædii dominantis domino incumbit oneris fultura; niſi illud deponere maluerit. *l.* 8. *pr. ff. ſi ſerv. vind.* (I.)

2. *Tigni immittendi*; quâ vicino licet in vicini parietem tignum immitere, ita ut illud in dominantis ſimul & ſervientis prædii pariete requieſcat. Sed nulla hìc prædii ſervientis domino incumbit reficiendi neceſſitas. *d. l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* (II.)

3. *Tigni projiciendi* vel *protegendi*, quâ vicino licet emittere ſuum tignum extra ſuum parietem, ita ut ſupra vicini aream promineat, non requieſcat, ut mœniana. *l.* 242. *ff. V. S.* Diſtat verò à ſervitute tigni immittendi in eo, quòd ſi quis in meum parietem quid immiſerit non habens ſervitutem, id mihi liceat autoritate privatâ reſcindere; at ſi quid ſolummodo ſupra meam aream protegat ſervitute carens, tantùm per me agi poſſit; jus non eſſe vicino ita protectum habere. *l.* 29. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* (III, IV.)

4. *Altiùs tollendi*, quâ vicinus cogitur invitus altiùs tollere; ſola námque altiùs tollendi licentia libertas potiùs quàm ſervitus dicenda. *l.* 8. *C. de ſervit. & aqua. l.* 14. *ff h. t.* Obſt. ſic tenetur prædii ſervientis dominus aliquid agere, quod repugnat naturæ ſervitutum. *l.* 15. *in fin. ff. de ſervitut.* Reſp. id ſingulare ex ipsâ hujus ſervitutis naturâ. Obſt. poteſt eſſe licentia, ſi ſtatuto quis altiùs tollere prohibitus, à vicino permisſionem impetret. *l.* 11. *ff. h. t. l.* 1. *C. de ſervit. & aqua. l.* 2. *C. de ædific. priv.* Reſp. tali caſu per legem publicè ſervitus eſt impoſita, hanc ergo ſi vicinus, lege permittente, remittat, non ſervitutem ſed magis libertatem vicino concedit. Obſt. *l.* 2. *ff. de ſervit. præd. ruſt.* Reſp. ibi *licere altiùs tollere* accipiendum de licentiâ tollendi in alieno vel ſupra alienum fundum, ut ex adjunctis exemplis poteſt colligi: aliàs *officere vicini luminibus* eſt libertatis, ſi quis id agat in ſuo. *arg. l.* 15. 16. 17 *ff. h. t.* (V, VI, VII.)

5. *Altiùs non tollendi*, quâ vicinus impeditur altiùs tollere in ſuo, ſive id luminum causâ, ſive alterius utilitatis & commodi gratiâ fiat. (VIII.)

6. *Luminum.* Quæ non eſt, quâ vicinus pati cogitur, ut alius in ſuo proprio pariete lumina ſeu feneſtras aperiat; id enim libertatis eſt, ſed potius quâ vicino licèt in vicini pariete lumina habere; ſeu, quâ vicinus cogitur lumina vel feneſtras vicini in ſuo pariete pati ac recipere. *l.* 4. *ff. h. t.* junct. *l.* 40. *ff. h. t. l.* 8. *de ſervit. & aquâ.* (IX, X.)

7. *Ne luminibus officiatur*; quâ vicino licèt ita habere lumina in ſuperiori parte ſui cœnaculi, ut nihil iis opponi poſſit, quo lumen ſolare impediretur. *l.* 15. 16. 17. *ff. h. t.* Et licèt eâ *maximè* illud acquiſitum dicatur, ne vicinus altiùs tollat. *l* 4 *ff. h. t.* non tamen illud tantùm; cum nec viridaria aliáque ſimilia opponere poſſit hanc ſervitutem debens. *d. l.* 17. *ff. h. t.* Imo quandóque ſervitutem debens ne *luminibus officiatur*, etiam altiùs tollere tenetur, aut elevata prohibetur deprimere, quo lumen refractione vel reflexione radiorum vehementiùs intret *arg. l.* 17. §. 2. *ff. h. t.* [XI.]

8. *Proſpectus*, & *ne proſpectui officiatur.* quæ in pleríſque cum ſervitute *luminum* & *ne luminibus officiatur*, conveniunt: niſi quòd proſpectus in inferiori parte potiſſimum ſit, lumina in ſuperiore, & liberior latiórque ſit de proſpectu quàm de luminibus ſervitus. *d. l.* 15. 16. *ff. h. t.* (XII.)

9. *Stylicidii* vel *fluminis recipiendi*; quâ quis tenetur vicini ſtillicidium vel flumen excipere in ſuo. (XIII.)

10. *Non recipiendi*, quâ ipſe dominus impeditur proprium ſtillicidium aut flumen in ſuo recipere, ut aquam ſibi habeat. Deprimere autem ſtillicidium vel flumen non licèt, at altiùs attollere non prohibitum. *l.* 20. §. 5. *ff. h. t.* (XIV.)

11. Eſt & ſervitus emittendi fumum ex tabernâ caſeariâ in ſuperiora ædificia. *l.* 8. §. 5. *ff. ſi ſervit. vind.* ut & *cloaca*, quâ tenetur vicinus alienam cloacam in ſuo recipere. *l* 7. *ff. de ſervitut.*

TIT. III.

De Servitutibus Prædiorum Ruſticorum.

1. UT urbanæ, ſic & ruſticæ plures, in jure ſervitutes occurrunt; puta *iter*, quod eſt *jus eundi ambulandi hominis*, ſeu, quâ quis pedes vel eques commeare poteſt aut ſellâ

vel

vel lecticâ vehi. *l* 7. *l* 12. *ff. h. t. pr. Inſt. de Servitut.* quale iter à *ſpatiandi* ſervitute diſtat; quippe quæ plus voluptatis quam utilitatis in ſe continet, ideóque rei ſeu fundo nequit conſtitui. *l.* 8. *ff. de ſervitut.* [I.]

2. *Actus*, *jus* ſcilicet *agendi jumentum vel vehiculum. d. pr. Inſt.* Quiſquis autem actum habet, etiam ſine jumento ire non prohibetur, niſi aliud in eo conſtituendo placuerit; quo caſu ſine itinere eſſe dicitur. *d. pr. l.* 1. *ff. h. t. l.* 4. § 1. *ff. ſi ſerv. vind.* Obſt. *l.* 1. *ff. de adim. legat.* Reſp. intelligenda de eo itinere quo quis jumentum ducens ſimul ipſe ire debet. (II.)

3. *Via*; quæ *jus eſt eundi*, *ambulandi*, *agendi*, *haſtam erectam ferendi*, *ligna*, *lapides trahendi d. pr. Inſt l.* 7. *ff. h. t.* & qui viam habet, actum quòque vel iter poteſt vindicare. *d pr.* ad viam verò requiritur, ut eam ſaltem habeat latitudinem quâ non jumentum modò, ſed & vehiculum duci poſſit; alioquin anguſtiore factâ loci demonſtratione actus magis quam via videbitur. *l.* 13. *ff. de ſervitut.* Quòd ſi ſimpliciter via ſine latitudinis determinatione conceſſa fuerit, locum habebit legis diſpoſitio, quâ latitudo ejus octo pedum eſt in porrectum, ſedecim in anfractum; quòd in itinere actûque ſecus eſt *l.* 8. 13. §. 2 *ff. h. t.* Si latitudo quidem expreſſa, locus verò in fundo, quâ ſervitus exerceatur, non ſit demonſtratus, electio ejus prædii dominantis domino competit, cum temperamento tamen. *l* 9 *ff. de ſervitut.* Obſt. *l.* 26. *ff. h. t.* Reſp. veſtigium fortè juris antiqui eſt, quo in legatis damnationis electio hæredis erat. Si quid autem in viæ actûs itinerîſve uſu impedimento ſit, id ipſum fodiendo, ſubſtituendo, aut aliter, ad uſum parare poteſt, cui ſervitus hujuſmodi conceſſa eſt *l.* 10. *ff de ſervitut.* (III, IV, V.)

4. *Aquaductus* qui dici poteſt *jus aquæ ducendæ per fundum vel ex fundo alieno* Quæ quidem ſervitus exareſcente fonte, ex quo aqua ducenda, evaneſcit; reviviſcit tamen, ubi rurſus cœperit fluere. *l.* 34. §. *ult. l.* 35. *ff. h. t.* [VI]

5. Huic in multis ſimilis eſt *aquæ hauſtus*; *jus aquæ hauriendæ ex fonte vel puteo alieno.* Quo conceſſo datum ſimul cenſetur iter ad puteum; uti vice verſâ, itinere ad puteum dato ſimul hauſtus datus intelligitur. *l.* 4. §. 3. *ff h. t.* Viâ publicâ intermedia, aquæ hauſtus quidem, at non ductus, niſi Principe permittente conſtitui poteſt. *l.* 14. §. *ult. ff. de ſervitutibus.* (VII, VIII, IX.)

6. *Jus pecoris paſcendi*, quo licitum alicui ſuum pecus immittere in pratum alterius paſcendi gratiâ. Quali ſervitute

conſtitutâ, non ultra liberum eſt Domino in paſcuis facere novalia. *arg. l.* 5. 7. *C. de ſervit. & aquâ*, quamvis & ſuum pecus ſimul poſſit immittere, ſi utrique paſcua ſufficiant *arg. l.* 13. *§.* 1. *ff. h. t.* Quòd ſi ſine ſervitutis jure pecus immiſſum ſit, Domino expellere ſine atrocitate, at non includere animal deprehenſum, permittitur. *l.* 39 *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* (x.)

7. Cæterùm plures aliæ, ſponte ſatis notæ, occurrunt ſervitutes in *§.* 2. *Inſt. de ſervitut.* quibus & novas ex voto contrahentium addi, nihil impedit, modò ſervitutum natura adſit: alioquin enim fieri poteſt, ut prædii alicujus Dominus ad facti præſtationem alterius prædii Domino obligatus ſit, nec tamen ideo illa ſpecies ad realem aut perſonalem ſervitutem pertineat. Cujus exempla in *l.* 12. *ff. de annis legat. l. ult. §. ult. ff. de contrah empt.* [XI, XII.]

8. *Moribus.* Si via publica inter duo prædia ſit intermedia, ædiles civitatum concedere ſolent in ipsâ civitate aquæ per viam publicam ducendæ licentiam; extra urbem verò illi, quibus aggerum, viarum & aquæductuum cura, commiſſa eſt: nec hic neceſſarius ipſius Principis conſenſus.

TIT. IV.

Communia Prædiorum tam Urbanonorum quam Ruſticorum.

1. QUamvis in nonnullis urbanæ ſervitutes à ruſticis diverſæ ſint, plurima nihilominus inter ſe habent communia. Etenim eodem ferè modo finiuntur omnes ac conſtituuntur, ſive actu inter vivos, ſive ultimâ voluntate; *§. ult. Inſt. de ſervit. præd.* ſive etiam præſcriptione; in quâ tamen non idem uſque receptum fuit; cum enim olim biennio urbanæ uſucaperentur, lex Scribonia id ipſum vetuit. *l.* 4. *§. ult ff. de uſucap. l.* 28. *ff. de ſerv. præd. urb.* cum ædibus tamen licuit eas uſucapere. *l.* 10. *§.* 1. *de uſucap.* Ruſticarum verò non erat uſucapio, cum continuata in iis deficeret poſſeſſio. *l.* 14. *ff. de ſervit.* junct. *l.* 25. *ff. de uſucap.* longi tamen temporis præſcriptio admiſſa fuit. *l.* 10. *ff. ſi ſervit. vindic. l.* 1. 2. *C. de ſervit. & aqua. l.* 5. *§.* 3. *ff. de itinere actuque privat.* At jure novo & urbanæ & ruſticæ immobilium exemplo longo tempore præſcribi poſſunt. *l. ult. in fin C. de long. temp. præſcript.* Obſt. *l.* 3. *§.* 4. *ff. de aqua quot. & æſtiv.* Reſp. tempus immemoriale

riale ibi non excludit tempora breviora. Et ad hanc præſcriptionem nec juſtus titulus deſideratur, ſed bonum ſufficit initium, id eſt, bona fides. *l.* 10. *ff. ſi ſervit. vind. d. l. ult.* nec neceſſaria eſt Domini ſcientia *d. l. ult. in fin.* licèt de facto adeſſe poſſit; quod contigiſſe narratur in *l.* 2. *C. de ſervit. & aqua.* [I, II, III, IV, V.]

2. Inſuper ſervitutum ſervitutes eſſe nequeunt; ipſæque nec in bonis ſunt, utpote tantùm prædiorum qualitates. *l.* 1. *ff. de uſu & uſufr. legat* niſi latiùs ſumpto bonorum vocabulo, juxta *l.* 5. *ff. de acq. rer. domin.* Individuæ quoque omnes ſunt, ut pro parte conſtitui aut adimi nequeant. Unde nec ſociorum unus altero invito ſervitutem rectè imponit pro indiviſo communi prædio. *l.* 12. *l.* 11. *ff. de ſervitut.* nec ſibi & ſocio, ſed ſibi ſoli eam acquirit. *l.* 5. *ff. h. t.* Quòd ſi duo ſocii ſeparatim eidem fundo ſervitutem imponant, ſi quidem actu inter vivos, valida erit; ſin ultimâ voluntate, non ſubſiſtet niſi ſimul utriuſque ſocii adeatur hæreditas. *l. ult. ff. h. t.* Quamvis autem emphyteuta, vaſallus, ſuperficiarius utile tantum habeant dominium, alium agnoſcentes Dominum directum, ſervitutem tamen vel urbanam vel ruſticam acquirere poſſunt prædio feudali aut emphyteuticario, etiam imponere eatenus, ut ſibi, non ut Domino directo noceant. *l.* 1. *§ ult. ff. de ſuperficieb. lib.* 2. *feud. tit.* 8. *verſ. rei.* Obſt. ſuperficiarii fructuarii dicuntur, & ſuperficies ſervitus eſt. *l.* 1. *§* 6. *ff. de ſuperficieb. l.* 86. *§. ult. ff. de legat.* 1. ſervitutis verò nequit eſſe ſervitus. Reſp. cum ſuperficies ſervitutis venit appellatione, latiori ſenſu per ſervitutem omne onus & incommodum deſignatur. (VII, VIII, IX, X, XI.)

3. Commune etiam utrique ſervitutum generi eſt, quòd qui ſervitutem habet, novum opus nunciare poſſit. *l.* 1. *§.* 3. *ff. de remiſſion. l.* 5. *§.* 9 *ff. de oper. nov. nunciat. l.* 15. *in fin. ff. de ſervit. præd. urb.* modò quid novi fiat ſervituti directò contrarium, atque ita non repugnat. *l.* 14. *ff. de oper. nov. nunc.* niſi quis velit, eum qui ſervitutem habet, extraneo quidem, at non ipſi fundi Domino opus novum nunciare poſſe ex *l. un. §* 4 *ff. de remiſſion.* (XII.)

4. Adhæc illud obtinet, quòd conſtitui nequeant ſervitutes ultra prædii dominantis utilitatem. *l.* 5. *l.* 24. *ff. de ſerv. præd. ruſt.* ſic ut aquæ ductum habens inde rurſus alteri ductum concedere nequeat, niſi id actum ſit. *l.* 33. *§.* 1 *ff. de ſerv. præd. ruſt.* Uti ex adverſo nec ſervitus conſtitui poteſt, quæ non ſit utilis prædio dominanti. *l.* 15. *ff. de ſervitut.* quamvis ſufficiat,

quod utilitatem quandóque adferre poſſit, etiamſi in præſens videatur inutilis. De quo caſu accipienda. *l.* 19. *ff. de ſervitut* Solius proinde amœnitatis gratiâ realem non poſſe conſtitui ſervitutem, veriùs eſt *arg. l.* 8. *l* 15. *ff. de ſervitut.* Obſt. *l.* 3. *ff. de aqua quot. & æſtiv l.* 16. § 1. *ff. quod vi aut clam.* Reſp. non dicitur *reales* ſervitutes amœnitatis causâ poſſe conſtitui. [XIII, XIV, XV.]

5. Poſſunt & plures diverſæ eodem loco ſervitutes conſtitui, modò priori per poſteriorem nón fiat præjudicium. *l.* 15. *ff. h. t. l.* 14 *ff. de ſervit. præd. ruſt.* Ac ſervitute concesſâ, conceſſa ſimul cenſentur omnia, ſine quibus ea exerceri nequit. *l* 11 *ff. h. t l.* 3. § 3. *ff de ſervit præd. ruſt.* Adhæc omnibus in ſervitutibus prædii ſervientis dominus nihil agit, ſed aut patitur aut non agit. *l.* 15. § 1. *ff de ſervitut.* Omnes quòque cauſam habent perpetuam & continuam, quamvit ſit poſſesſio. *l.* 28. *ff. de ſerv. pr. urb. l.* 4. §. *ult. l.* 5. *l.* 14. *ff. de ſervitut l.* 7. *ff. quemad. ſerv amitt.* (excepto caſu. *l.* 2. *ff. h. t.*) hinc ex lacu vel ſtagno vel ciſternâ aquæductus cõncedi nequit. *l.* 28 *in fin. ff. de ſerv. pr. urb l.* 1. §. 4. *de fonte.* licèt jus navigandi per lacum ſit perpetuum. *l.* 23. § 1. *ff de ſerv. pr. ruſt.* Omnibus præterea apponi poteſt dies vel conditio & modus, ſic ut ope exceptionis repelli poſſit poſt diei vel conditionis exiſtentiam volens uti ſervitute. *l.* 4. *ff. de ſervitut.* quâ ratione & precario concedi poſſunt; ut ut propriam non habeant tunc ſervitutum naturam. *l* 3. *l.* 8. § 5. *ff. de precario.* Nulla etiam rebus ſacris aut religioſis aut mari, aliiſque locis jure gentium communibus ſervitus imponi poteſt. *l* 4. *l.* 13. *ff. h. t* Neceſſe denique in omni ſervitute, ut prædium dominans & ſerviens ſibi invicem vicina ſint; quæ vicinitas ex utilitate colligitur, ut unum alteri ſervire posſit, licèt fortè vel fundus liber vel via puplica vel flumen interveniat. Vide *l.* 14. § *ult. ff de ſervitut. l. ult. ff. de ſervit. præd. ruſt.* de quali viciniâ intelligenda. *l.* 15. *ff de ſervit. l.* 5. §. 1. *ff. de ſerv. præd. ruſt.* [XVI, XVII, XVIII, XIX.]

6. *Moribus.* Servitutes hodie non niſi longisſimi temporis præſcriptione acquiri vel amitti poſſunt. Si tamen in ſuo vel vicini loco quis, ſciente & non prohibente vicino, opus fecerit ſervitutem redolens, & anno ac die in quietâ permanſerit poſſeſſione, poſtea ex variarum urbium ſtatutis cogi nequit, ut formam priſtinam reſtituat, ſed ad damnum & id quod intereſt præſtandum condemnatur. Quia verò moribus quiſque alteri ſtipulari poteſt, hinc & unus ſocius prædio com-

communi, imò & extraneus prædio alieno ſervitutem poteſt acquirere. Quòd ſi duo ſocii in fundo communi legent alteri ſervitutem, ea debebitur, licèt non ſimul ſed ſeparatim utriuſque ſocii adeatur hæreditas. Cæterùm quamvìs jus habendi foramen in inferiori parietis parte pavimenti proluendi gratiâ non habeat cauſam perpetuam, utilitatis tamen causâ hujuſmodi ſervitutem conſtitui poſſe receptum eſt.

TIT. V.

Si Servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

1. UTì in perſonalibus, ſic & in realibus ſervitutibus confeſſoriæ & negatoriæ actioni locus eſt. Confeſſoria directa domino, utilis creditori & emphyteutæ datur. *l.* 16. *ff. de ſervit.* ut & dominis prædiorum ſuperiorum, quo inferiores aquam naturaliter defluentem recipiant. *l.* 1. §. *ult. ff. de aqua & aqu. pluv. arc.* non fructuario, niſi per conſequentiam, dum ipſum vindicat uſumfructum. *l.* 1. *l.* 5. §. 1. *ff. ſi uſusfr. pet.* vel Procuratoris nomine. *arg. l.* 1. §. *ult ff. de oper. nov. nunc.* junct. *l.* 1. §. 4. *de remiſſ.* Quòd ſi plures ſint prædii dominantis domini, in ſolidum ſingulis actio competit. *l.* 6. §. 4. *ff. h. t.* (I.)

2. Competit contra quemvis in ſervitute impedientem. *l.* 10 §. 1. *ff. h. t.* præcipuè prædii ſervientis dominum, & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum. *arg. l.* 4. §. 4 *ff. h. t.* exceptâ ſervitute oneris ferendi reſpectu refectionis. *l* 6. §. 4. *in fin. ff. h. t* At id ut liber relinquatur ſervitutis uſus, & præſtentur fructus, ſeu id quod intereſt. *l.* 4. §. 2. *l.* 6. §. 6. *ff. h. t.* ut & cautio de non turbando in futurum; quam ſi præſtare reus recuſet, in litem juratur. *l.* 4. §. 2 *l.* 7. *l.* 12. *ff. h. t.* Inſuper ad id ut columna vel paries reficiatur in oneris ferendi ſervitute. *l.* 6. §. 5. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* (II, III.)

3. Negatoria domino accommodatur ſui prædii libertatem aſſerenti, contra eum qui ſervitutem uſurpare vult; etiam ſocium, ſi diverſa ſint prædia. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* ad id ut prædium declaretur liberum ab ea ſervitute, & id quod intereſt ac cautio de non turbando in futurum præſtetur; licèt fortè cautio per adverſarium non fuiſſet exacta; quippe quæ Judicis officio injungitur. *l.* 4. §. 2. *l.* 7. *l.* 12. *ff. h. t.* (V.)

4. Cæ-

4. Cæterùm actiones hæ quandoque verè ſunt confeſſoriæ & negatoriæ; quandoque tantùm conceptione verborum, ſic ut verbis actio negatoria eſſe poſſit, qui effectu eſt confeſſoria; & vice verſâ, quod evenit, cum ago jus mihi eſſe ut altiùs tollam, & ne altiùs tollat vicinus. §. 2. *Inſt. de action. l. 4. §. ult. l. 6. ff. h. t.* (VI.)

TIT. VI.

Quemadmodum Servitutes amittantur.

1. REales ſervitutes pluribus finiuntur modis; puta *confuſione* dum idem fit prædii utriuſque dominus, neque enim res ſua cuiquam ſervit. *l. 1. ff. h. t.* Unde, ſi ſocii prædii communis redemerint communiter prædium communi prædio ſerviens, peritura eſt ſervitus. *l. 27. ff. de ſerv. præd. ruſt.* Obſt. *l. 34. ff. eod.* Reſp. ibi prædium ſerviens non communiter utrique ſociorum, ſed ſingulis pro parte diviſâ quæſitum erat, & ideo unicuique in parte alterius tota manebat ſalva ſervitus: etenim, cùm pars tantùm prædii ſervientis alicui acquiritur, alterâ in parte ſervitus ſuperſtes eſt. *l. 8. §. 1. ff. de ſervitut.* Quòd ſi ceſſet iterum confuſio, non tamen reviviſcet ſervitus, niſi id actum ſit. *l. 20. ff. de ſerv. præd. urb.* aut eâ mente ſit facta confuſio, ne eſſet perpetua, ut in *l. 18. ff. de ſervitut. l. 7. ff. de fund. dotal.* (I, II, III.)

2. Interitu quoque dominantis aut ſervientis prædii extinguitur; non tamen inundatione. *l. 14. ff. h. t. l. 23. 24. ff. quib. mod. uſufr. amitt.* Sed reſtitutâ re, quæ interierat, veluti, repoſitis ædibus, ex æquitate reviviſcet. *l. 20. §. 2. l. 31. l. 33. ff. de ſerv. præd. urb.* (ſecus in uſufructu. *l. 36. ff. de uſufr. l. 10. §. pen. ff. quib. mod. uſufr. amitt.*) Hinc, ſi remotior area ſervitutem debeat altiùs non tollendi, & dominus areæ intermediæ liberæ ædes impoſuerit, iterúmque depoſuerit, nondum lapſo tempore quo ſervitutes amittuntur, reſtaurabitur areæ remotioris ſervitus. *l. 5. 6. ff ſi ſervit. vind.* (IV.)

3. Remiſſio etiam ſervitutem perimit, eáque vel expreſſa, vel tacita; dum id prædio ſervienti conceditur, quo ſervitus neceſſariò impeditur. *l. 8. ff. h. t.* vel ſi principalis remittatur ſervitus: eo enim ipſo & acceſſoria remiſſa cenſebitur. *l. 17. ff. h. t.* Aliter, quàm obtinet, ſi duæ principales ſint: tantum enim abeſt, ut unius remiſſione tunc extingua-

tur

tur altera; ut potiùs ne remiſſa quidem ulteriùs evaneſcat, quàm quatenus non remiſſa ſalva eſſe poteſt. *l. 21. ff. de ſerv. præd. urb. l. 20. ff. de ſerv. pr ruſt.* Non tamen remittit ſervitutem unus ſociorum altero invito. *arg. l. 34. ff. de ſerv. præd. ruſt.* Nec tutor aut maritus eam, quæ pupillari vel dotali prædio eſt debita. *l. 5. ff. de fund. dot. l. 3. §. pen. ff. de reb. eor. qui ſub tut.* (V, VI.)

4. Perit & ſervitus non utendo per decennium inter præſentes, vicennium inter abſentes; niſi ſervitutis uſus per annorum intervalla conceſſus ſit, alternis forſan annis; quo caſu ſemper vicennium requiritur. *l. 7. ff. h. t. l. pen. & ult. C. de ſervitut.* Videtur autem non uti etiam, qui utitur quidem, ſed non ut ſervitute. *l. ult. ff. h. t.* ut &, qui alio, quàm conſtituto tempore utitur, veluti, de nocte, cùm deberet uti de die. *l. 10. §. 1. ff. h. t.* Obſt. *l. 5. §. 1 ff. de aqua quot. & æſt.* Reſp. ibi uterque ſtatis temporibus aquam duxerat, neuter quidem pro ſe, ſed alter pro altero permutatis temporibus. Sufficit namque quòd vel is, cui ſervitus conceſſa, eâ uſus fuerit, vel alius prædii nomine, licèt vel prædo ſit. *l. 5. l. 20. & ſeqq. ff. h. t.* vel unus ex pluribus ſociis. *l. 5. 6. ff. h. t.* imò ſatis erit, quòd aqua in aquæductu per canalem ſponte fluxerit. *l. 12. ff. h. t.* (VII, IX, X.)

5. Quid, quòd quandoque non uſu ſervitus non amittitur; putà ſi prædium dominans vel in totum vel pro parte ad pupillum pertineat. *l. 10. ff. h. t.* vel iter ad ſepulchrum competat. *l. 4. ff. h. t.* vel urbanæ ſint ſervitutes, ad quarum amiſſionem præter non uſum concurrere debet factum ſervituti contrarium. *l. 6. ff. de ſervit. præd. urb.* nec tempora prædeceſſoris hìc proſunt ſucceſſori, ſed integro ſtatuto tempore præſcribentem in poſſeſſione libertatis fuiſſe neceſſe eſt. *l. 32. §. 1. ff. de ſerv. præd. urban.* niſi fortè id correctum ſit per *§. pen. Inſt. de uſucap.* Quòd ſi quis per longum tempus latiore vel anguſtiore actu uſus ſit, quàm ab initio conſtitutus erat, non ideo plus minusve juris eſt habiturus. *l. 2. l. 11. ff. h. t.* Ut nec major duci poteſt aquæ copia, ſi aquæductus idem pluribus conceſſus ſit, & jus ſuum non utendo unus amiſerit. *l. 16. ff. h. t.* (VIII, XI, XII.)

6. Reſoluto denique jure concedentis jus quoque ſervitutis reſolvi neceſſe eſt. *l. 11. §. 1. ff. h. t.* (XIII.)

LIBER IX.

TIT. I.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

1. DAmnum ab animalibus datum *pauperies* dicitur & definitur, *damnum ſine injuriâ facientis datum pr. Inſt. h. t.* Nocet verò animal vel ſecundùm, vel contra naturam. Secundùm naturam, dum in alieno gramen depaſcit: propter quod, ſi alio immittente contigerit, eſt ex lege Aquiliâ actio. *l. ult. C. ad leg. Aquil.* quandoque criminalis. *l. 2. C. de paſcuis publicis.* Si verò nullo immittente, locus eſt actioni de paſtu pecorum ex *l. 12. tab.* quæ datur domino agri adversùs animalis depaſcentis dominum ad damni & lucri ſperati reparationem. Quòd ſi glandes in vicini aream cadentes per illius vicini animalia conſumantur, in factum actio præſcriptis verbis eo nomine competit. *l. 14. §. ult. ff. de præſcript. verb.* (I, II.)

2. Cæterùm propter paſtum includere animal alterius haud licitum; quamvis expellere liceat ſine atrocitate. *l. 39. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Obſt. *l. 8. ff. de incend. ruin. naufr. l. 9. §. 1. ff. de damn. infect.* Reſp. leges illæ de rebus agunt inanimatis, quæ, cum ſine aliturâ aſſerventur, ac proinde non adeò deteriorationi ſubjectæ ſint ex retentione, retineri poſſunt. (III.)

3. Contra naturam nocere dicuntur animalia, dum manſueta feritatem quandam aſſumunt. Quòd, ſi inſtigatione alterius fiat, adversùs inſtigantem eſt ex lege Aquiliâ actio. *l. 1. §. 4. & ſeqq. ff. h. t.* Sin motu proprio, dum bos cornu petiit aut equus calce percuſſit, actio de pauperie eſt. *d. l. 1. §. 7. ff. h. t.* quæ vel directa eſt vel utilis. Directa ex lege. 12. tab. datur, ſi quadrupes, quæ gregatim ſub paſtoris imperio paſcitur, damnum dederit. Utilis verò, ſi animal naturâ quidem ferum ſed cicuratum vel bipes nocuerit. *l. 4. ff. h. t.* vel etiam animal ferum quod ab aliquo poſſidetur. *arg. l. 1. §. 10. ff. h. t.* (IV, V, VI.)

4. Utraque competit ei, cujus intereſt, ejúſque hæredibus. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* contra Dominum animalis, qui tempore

tempore actionis inſtitutæ animal jure dominii poſſidet, licèt damni dati tempore non poſſederit. *l.* 1. §. 12. *ff. h. t.* ut & contra eos, qui dolo poſſidere deſierunt, aut liti ſe obtulerunt, quaſi poſſiderent. *l.* 7. *l.* 8. *ff. de interrog. in jure fact.* Ad id, ut damnum reparetur, aut animal noxæ detur, exceptis nonnullis caſibus, quibus ceſſat noxæ dandi facultas, de quibus *ad titul. de noxal. act.* Quòd ſi liber homo læſus ſit, nec dolor, nec deformitas æſtimatur; ſed impenſæ in curationem factæ, & operæ quibus læſus caruit & cariturus eſt. *l.* 3. *ff. h. t.* [VII, VIII.]

5. Si quadrupes quadrupedem concitaverit, & altera perierit, ſi quidem ea, quæ aggreſſionem fecit, nulla actio eſt; ſin ea quæ aggreſſionem paſſa eſt; actio contra animalis aggredientis Dominum de pauperie nata eſt. *l.* 1. §. 9. & 11. *ff. h. t.* [V.]

6. *Moribus.* Pecus alienum in noſtro deprehenſum licet hodie includere ſtabulo publico ſeu dominico, donec damnum depaſtionis reparatum aut animal noxæ datum fuerit: noxæ namque deditione etiam moribus dominum liberari poſſe receptum eſt. Quòd ſi homo liber ab animali læſus ſit, etiam deformitatis & doloris habenda ratio.

TIT. II.

Ad Legem Aquiliam.

1. PEr Legem Aquiliam (cujus autor Aquilius Tribunus Plebis non Gallus Aquilius Juriſconſultus, variis notus formulis, *arg. l.* 39. *ff. h. t.* junct *l.* 2. §. 42. *ff. de Orig. juris*) derogatum eſt legibus anterioribus de damno injuriâ dato in genere agentibus, ut de eo agit Lex Aquilia; quo modo accipienda. *l.* 1. *ff. h. t.* non verò iis, quibus de hac vel illa peculiari tractabatur damni ſpecie. *arg l.* 1. *ff. arb. furt. cæſar.* Eâque coërcitum fuit damnum committendo, vel committendo ſimul & omittendo, non omittendo tantùm contingens. *l.* 13. §. 2. *ff. de uſufr.* I, II, III.)

2. Tria quondam (hodie duo) fuêre ejus capita. Primo cautum, ut ſi quis alienum hominem aliámve quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, injuriâ occiderit, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. *pr. Inſt. h. t. l.* 2. *ff. h. t.* Altero capite, quod in deſuetudinem abiit, de ſervo corrupto cautum fuiſſe probabile eſt.

Tertio

Tertio agitur de homine vel pecude vulneratis, aliis animalibus occiſis & omni cætero damno injuriâ dato, ut teneatur reus quanti res fuerit plurimi menſe retrorſum computato. §. 13. *& ſeqq. Inſt. h. t. l.* 27. §. 5. *ff. h. t.* (I, V, VI, VII.)

3. Hinc naſcitur actio ex lege Aquilia directa & utilis. §. *ult. Inſt. h. t.* cum qua tamen & accuſatio ex lege Cornelia propter occidentis dolum, non culpam, poteſt concurrere, ſic ut altera alteram haud tollat. *l.* 23. §. 9. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 4. *ff de publ. judic.* Reſp. *præjudicium fieri* ibi non aliud vult, quàm, ex judicio civili, quo prius finitum eſt, exemplum ſumi, ut judices in criminali judicio conſiderent probationes in civili ante adhibitas. (XXX.)

4. Directa competit Domino, ſi corpore & in corpus ſit damnum datum; utilis ei qui Dominus non eſt, cujus tamen intereſt, puta fructuario, bonæ fidei poſſeſſori, qui pene loco Domini ſunt; non item commodatariis & ſimilibus. *l.* 11. §. 8. 9. 10. *ff. h. t.* vero quòque Domino, ſi damnum non corpore datum ſit, ſed tantùm in corpus. §. *ult. Inſt. h. t.* quo reſpectu multum intereſſe dicitur, occidat, quis an mortis cauſam præbeat *l.* 7. §. 6 *ff. h. t.* quamvis in lege Corn. de ſicariis nihil interſit. *l.* 15. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Datur & utilis homini libero vulnerato, non directa, cum nemo ſit membrorum Dominus. *l.* 13. *ff. h. t.* licèt de facto, atque ita *naturaliter* cuivis liceat in ſuum corpus ſævire. *l.* 9. §. 7. *ff. de peculio.* Quòd ſi nec corpore nec in corpus ſit damnum datum, & tamen alteri nocitum, in factum actio prætoria eſt prodita. §. *ult. Inſt. h. t.* [X, XI.]

5. Dantur verò hæ actiones adversùs eum, qui damnum dedit, non contra hæredes, cum pœnales ſint; niſi lis cum defuncto ſit conteſtata, vel ex dolo defuncti quid ad hæredes pervenerit. § 9. *Inſt. h. t.* Nec conſiderandum, quod nonnunquam ex accidenti hæ actiones rei perſecutionem tantùm contineant, ut in caſu. *l.* 23. §. 8. *ff. h. t.* cum id in aliis quòque evenire poſſit pœnalibus actionibus, variis de cauſis. Quòd ſi plures damnum dederint, contra ſingulos in ſolidum ſic actio competit, ut unius præſtatione cæteri non liberentur. *l.* 11. §. 2. 4. *ff. h. t.* & pro ſingulis ſervis Dominus ſummo jure teneatur, cum familia ejus damnum dederit. *l.* 9 *ff. de juriſdict.* quamvis ex æquo & bono id quod in furto familiæ receptum eſt, ut nempe Dominus non ſingulorum, ſed omnium nomine teneatur juxta *l.* 1. *ff. ſi fam. furt. fec.* etiam ad damnum legis Aquiliæ porrectum ſit. *l.* 23. *ff. h. t.* (VIII, XII.)

6. Ten-

6. Tendunt ad id, quanti res fuerit plurimi anno, ex capite primo, vel menſe, ex capite tertio, retrorſum computato, non à tempore mortis ſed vulnerationis retro factâ computatione *l.* 21 §. 1. *l.* 51. §. 2 *ff. h. t.* æſtimatione faciendâ non ex peculiari affectu, ſed communi opinione hominum. *l.* 33. *ff. h. t.* deducto etiam eo, quod domino ex re corrupta ſupereſt, dum fortè corium bovis occiſi vel conflati poculi materiam poſſidet. *l.* 14. §. 2. *ff. de condict. furtiv.* Inſuper ad id quod intereſt, modò id ipſum certum ſit, ut in caſibus. *l.* 21. §. 2. *ff. h. t.* §. 10. *Inſt. h. t.* non item, ſi incertum: quâ ratione qui retia confregit, ad æſtimationem piſcium, qui capi fortè potuiſſent, non tenetur. *l.* 29. §. 3. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 33. *in fin. pr. ff. h. t.* ſed intelligenda de caſu, quo certum eſt, nos fuiſſe conſecuturos. Propter inficiationem autem in hâc lege lis creſcit in duplum. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* (VI.)

7. Quòd ſi alius vulneraverit, alius deinde intra annum occiderit occidens non vulnerati ſed integri ſervi præſtat æſtimationem. *l.* 23. §. 3. *ff. h. t.* Si unus lethaliter vulneraverit, alter mox occiderit, uterque de occiſo tenebitur, modò vulneratus ex primo vulnere certò certiùs fuiſſet periturus: quo modo intelligenda. *l.* 51. *pr.* & §. 2. *ff. h. t.* alioquin de vulnerato tantùm prior obligatus foret *l.* 11. §. 3. *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* Si plures eundem quidem ſervum percuſſerint; incertum tamen ſit, cujus ictu is perierit, omnes de occiſo tenentur ex Lege Aquilia. *l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* non item ex lege Cornelia. *arg. l. ult. ff. ad leg. Corn. de ſicariis.* [XI.]

8. Cæterùm non modò dolus coërcetur lege Aquilia, ſed & omnis culpa, etiam leviſſima. *l.* 44. *ff. h. t.* ut & imperitia, imprudentia, infirmitas, ex ratione legis 8. §. 1. *ff. h. t.* exempla paſſim obvia, præcipuè in *l.* 5. *in fin. l.* 8. 11. 31. *ff h. t.* §. 4. & *ſeqq. Inſt. h. t.* [XIII. & ſeqq.]

9. Caſus verò fortuitus nequaquam hìc præſtandus. Unde ſi naves occurſu mutuo læſæ ſint, nullâ apparente culpâ, ſuum quiſque damnum ſuſtinet. *l.* 29. §. 4. *ff. h. t.* Et ſi incendio res conſumptæ ſint, dominis pereunt, cum caſibus fortuitis in jure incendia annumerentur, *l.* 5. §. 4. *ff. commod. l.* 23. *ff. R. J.* §. 2. *Inſt. quib. mod. re contrah. obl.* idque quatenus latiùs ſerpentia damnum dant: nam ſi eorum ſpectemus initia, præſumuntur fieri culpâ inhabitantium. *l.* 3. §. 1. *ff. de offic. præf. vigil. l.* 11. *ff. de peric. & commod. rei vend.* Quamvis non protinus hic præſumenda ſit culpa inquilini, vel ejus, quem foco præpoſuit; cùm quiſque bonus credatur & diligens,

donec contrarium probatum fuerit. *arg. l.* 18. §. 1. *de probat. l.* 51. *ff. pro ſocio.* Quâ de causâ domino incumbit potius onus probandi, dum inquilini ipſius culpâ incendium contigiſſe contendit. *arg. l.* 23. *de probation.* (XIX, XX, XXI, XXIX.)

10. Non denique ex hâc lege reparandum damnum jure datum; puta vel ſui defendendi causâ. *§. 2. Inſt. h. t. l. 4. ff. h. t.* junct. *l. 9. ff. ad leg. Corn. de ſicar.* vel rerum ſuarum ſervandarum causâ: unde nautæ funes, in quas impulſa navis, præcidentes, ex hac lege non tenentur, cùm aliter explicare ſe non poſſent. *l.* 26. *§.* 3. *ff. h. t.* Nec is, qui vicinas ædes dejecit, ne ad ſuas incendium perveniat, ſi quidem ad ædes vicinas incendium pervenerit. *l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.* etenim ſi non eò pervenerit, dejiciens actione rei perſecutoria conveniri poteſt. *d. l. 7. §. 4.* at nequaquam hâc pœnali ex lege Aquiliâ. *l. 49. §. 1. ff. h. t.* (XXII, XXVIII.)

11. Cum actione ex lege Aquiliâ concurrere poteſt actio depoſiti, commodati, &c. quibus ſi priùs actum ſit, tollitur hæc actio, quantùm ad rem, non quantùm ad pœnam. *l. 7. §. 1. ff. commod.* Obſt. *l. 34. §. 4. in fin. ff. de obl. & act.* Reſp. dicitur, *ſimplo ſubducto locum non habere*; ſupple, quantùm ad illud ſimplum. (XXXI.)

12. *Moribus.* Actio ex lege Aquiliâ non pœnalis hodie, ſed rei perſecutoria eſt ad veram damni æſtimationem, quanti res valuit tempore damni dati ac ne ex inficiatione quidem creſcit in duplum. Ideóque non hæredibus tantùm, ſed & contra hæredes competit. Quòd ſi liber homo occiſus ſit, uxori & liberis actio datur, licèt hæredes non ſint, ad operarum defuncti æſtimationem. Si obortâ tempeſtate navis alteri navigio illiſa damnum dederit, illud hodie commune erit; ut & ſi extra tempeſtatis caſum illiſione damnum contigerit ſine culpâ nautarum. Incendii autem arcendi gratiâ regulariter ipſas quidem ædes igne jam correptas, at non vicinas, licet dejicere.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 35. de lege Aquiliâ.*

TIT. III.

De Dejectis & Effuſis.

1. INtereſt reipublicæ, ut tuta commeantibus via ſit. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* tuta verò non eſt, ſi quid illic dejiciatur, ponatur aut ſuſpendatur, quo læſio poſſit contingere. Hinc duplex

plex actio prodita. Prima eſt de dejectis & effuſis ex quaſi delicto, competens ei qui ex dejectione damnum paſſus eſt ejuſque hæredibus in perpetuum, contra inquilinum ſive proprias ſive alienas ædes gratis aut ex conducto inhabitantem, ex cujus cœnaculo quid dejectum. §. 1 *Inſt. de obl. ex quaſi delict. l.* 1. §. 9. *ff. h. t.* vel cecidit, cùm eſſet ſuſpenſum. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* licèt ipſe non dejecerit vel poſuerit. Non contra hæredes. *l.* 5. §. 5. *ff. h t.* Si plures ſimul unam domum inhabitent, ſi quidem diviſim, is ſolus conveniendus, ex cujus parte dejectum eſt: ſin pro indiviſo, ſinguli quidem tenentur, ſed unius præſtatione cæteri liberantur. *l.* 1. §. *ult. & ll. ſeqq. ff. h. t.* (I, II.)

2. Tendit ad id ut præſtetur duplum damni dati; niſi liber homo perierit, quo caſu actio popularis annalis eſt ad quinquaginta aureos; vel niſi homini libero nocitum; quo caſu ad impendia in medicos & chirurgos ac æſtimationem operarum, quibus læſus caruit & cariturus eſt, agitur; nullâ tamen cicatricum aut deformitatis habitâ ratione. *l.* 1. *pr. l.* 5. §. 5. *l. ult. ff. h. t. d.* §. 1. *Inſt. de obl. ex quaſi delict.* Nec refert dejectum ſit de die an de nocte, ex ædibus an ex navi, modò illac eo tempore, quo dejicitur, iter fieri. *l.* 6. *pr. &* §. *ſeqq. ff. h. t.* Proinde ſi quis dejecerit in eo loco, quo vulgus nunc demum incipit iter facere, cùm antea non ſoleret, ceſſat actio. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* [III, IV, V.]

3. Altera eſt actio de poſitis & ſuſpenſis popularis, competens cuivis ex populo & hæredi, non quâ hæredi, ſed quâ uni è populo. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* adversùs inquilinum, vel eum qui in ædibus vacuis quid poni vel ſuſpendi paſſus eſt. *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.* ad pœnam decem aureorum, ſive inquilinus ipſe poſuerit ſive alius. *l.* 5. §. 6. *ff. h. t.* modò ita quid poſitum aut ſuſpenſum ſit, ut & probabiliter cadere poſſit, & decidens nocere. *l.* 5. §. 10. 11. *ff. h. t.* Quòd ſi id, quod poſitum fuerat, jam ceciderit, actioni de dejectis vel ex lege Aquiliâ locus eſt. *l.* 1. §. 3. *l.* 6. §. *pen. ff. h. t.* (VI.)

4. Quoties autem inquilinus propter ea, quæ per alium dejecta vel ſuſpenſa ſunt, quid ſolvere coactus fuit, actione in factum contra ponentem vel dejicientem regreſſum habet. *l.* 5. §. 4. *ff. h. t.* (VII.)

5. *Moribus.* Actio de dejectis & effuſis non in duplum hodie, ſed tantùm ad damni reparationem eſt. De cætero propter hominem liberum vulneratum etiam hîc ut in lege Aquiliâ & pauperie, cicatricum & deformitatis habenda ratio;

propter eumdem verò occiſum uxor & liberi agunt ad id quanti Judici æquum videbitur, ob victum quem occiſus ſuis operis potuiſſet ipſis ſuppeditare.

TIT. IV.
De Noxalibus Actionibus.

1. NOxales actiones in genere ſunt, quæ competunt ex factis animalium & delictis ſervorum (olim etiam filiorumf. *§. ult. Inſt. h. t.*) ac quaſi delictis dominorum vera ſervorum delicta comitantibus. *l. 1. pr. l 5. §. 6. ff. de his qui effud. vel dejec.* Non tamen ex contractu vel quaſi, licèt dolus ſervi adſit; tunc enim magìs actioni de peculio locus eſt. *l. 49. ff. de obl. & act.* excepto caſu *l. 24. § 4 ff. de minor.* Non etiam ex crimine: ex quo ſervi ipſi accuſantur, & à dominis defenſi condemnantur. *l. 17. §. 18. ff. de ædil. edict. l. 2. C. de accuſation.* Nec ex delictis, quorum nomine populares actiones competunt. *l. 7. §. 3. ff. de juriſdict. l. 3. §. pen. ff. de ſepulch. viol.* Imò ne ex privatis quidem delictis noxæ deditio locum habet, quoties extra ordinem criminaliter agitur. *l. ult. ff. de privat. del.* (I, II, III.)

2. Sunt autem hæ actiones vel civiles vel prætoriæ, prout directarum origo ex civili aut prætorio jure fluxerit. *§. 4. Inſt. h. t.* licèt ipſa noxæ dandi facultas ex lege 12. tab. jam olim competierit, *pr. Inſt. ſi quadrup. paup.* Et dantur illis, quibus alioquin directæ ex delictis eſſent competituræ. Contra dominos ſervi vel animalis damnum dantis; & eos quidem noviſſimos, non priſtinos, cùm noxa caput ſequatur: niſi dolo malo, evitandi hujus judicii causâ poſſidere deſierint hi quondam domini; quo caſu in actoris arbitrio eſt, priſtinum an novum dominum convenire malit. *l. 24. 25. 26. ff. h. t. §. 5. Inſt. h t.* Si plures ſint domini, ſinguli in ſolidum conveniri poſſunt; & totum ſervum, non ſolam partem ſuam, defendunt, *l. 5. l 8. ff. h. t.* (IV, V.)

3. Finis harum actionum eſt, ut damnum reparetur, aut ſervus vel animal noxæ detur; ſic ut in liberatione ſit noxæ deditio. *§. 2. Inſt. h. t. §. 1. Inſt. de offic. jud.* Licèt enim ſervi contrahendo deteriorem nequeant reddere dominorum conditionem. *l. 133. ff. de reg. jur.* poſſunt tamen delinquendo; eatenus, ut noxæ dentur. *l. 1. §. 15. ff. de vi & vi armatâ.* Cujus deditionis effectus eſt, non tantùm quòd pleniſſima per

eam

eam contingat liberatio, ſed & quod animalis aut ſervi dominium tranſeat in eum cui noxæ datur. §.3. *Inſt. h. t.* modò noxæ dans ſit dominus. Etenim ſi bonæ vel malæ fidei poſſeſſor ſit, aut fructuarius, aut creditor, non plus juris transferre poteſt quàm ipſe habet. *l.* 54. *ff. de reg. jur.* adeóque nec dominium, quo reſpectu noxales actiones contra bonæ fidei poſſeſſores non dari Ulpiano placet in *l* 27. §. 3. *ff. de lege Aquil.* nec Obſt. *l.* 1. §. 1. *ff ſervo corrupt.* quippe quæ non de noxali, ſed ſervi corrupti actione agit, quæ dolum corrumpentis deſiderat. Interim dominus ſervum ita à non dominis noxæ datum vindicans exceptione repellitur, donec damnum reparaverit. *l.* 11. 12. 13. *l.* 27. §. 1. *l.* 28. *ff. h. t.* Quòd ſi ſervus ipſe novo domino damnum reſarcierit, liber fit. § 3. *Inſt. h. t.* (VI.)

4. Ceſſat autem noxæ deditio multis in caſibus, ſic ut dominus totum teneatur damnum reparare: veluti, ſi domino jubente vel ſciente nec prohibente, cùm id poſſet, damnum datum fuerit. *l.* 2. 3. *ff. h t.* Si ſervum ſuum eſſe, vel ſe poſſidere falsò negaverit. *l.* 21. §. 2. *ff. h. t.* ſi condemnatus quadrimeſtre ſpatium, condemnatis indultum elabi paſſus ſit. *l.* 20. §. 5. *ff. de petit. hæred.* ſi ſervus poſt litem conteſtatam ab alio occiſus ſit, nec dominus actori velit adversùs occidentem actiones cedere. *l.* 1. §. 16. *ff. ſi quadrup. paup.* ſi ſervus publicani in vectigalibus exigendis rapinam admittens non exhibeatur. *l.* 1 §. *ult ff. de publican.* Denique ſi dominus dolo malo ſervum poſſidere deſierit, ùt antè dictum. (VII.)

5. Quòd ſi ſervus ante litem conteſtatam extinctus ſit, nec noxæ deditio facienda, nec damni reparatio, etiamſi dominus ante ſervi interitum deſiiſſet eum dolo poſſidere, ſi modò in lite ſuſcipienda nullam moram fecerit. *l.* 26. §. 4 *ff. h. t.* idemque eſt, ſi pro derelicto ſervum habuerit. *l.* 38. *ff. h. t.* ut &, ſi ad eum, cui nocitum eſt, ſervus ante litem conteſtatam pervenerit; ſecus ſi poſt. *l.* 37. *ff. h. t.* In injuriâ quoque per ſervum illatâ dominus liberari poteſt ſervum exhibendo verberandum. *l.* 17. §. 4. *ff. de injur.* (VIII.)

6. Quòd ſi ſervus plura commiſerit delicta, & ex uno noxæ datus ſit ei, qui primus ſententiam obtinuit, reliquæ extinguuntur actiones noxales tam contra noxæ dantem quàm contra accipientem. *l.* 11 *ff. h. t.* ſi ſervus manumiſſus ſit, in ipſum manumiſſum directa datur actio. *l.* 5. *ff ſi ex noxal. cauſ. agatur. quemadm cav.* (IX.)

7. *Moribus*, ſi famulus hodie deliquerit in officio vel mi-

 niſterio,

miſterio, cui eum dominus præpoſuerat, dominus etiam ultra mercedem famulo debitam tenetur: in aliis caſibus extra officium non item. Quemadmodum nec pater in his regionibus regulariter ex filii ſui delicto ſolet conveniri; licèt in aliis quibuſdam locis ad pœnam ſolvendam condemnetur, eandem filio in legitimam imputaturus. Poteſt autem dominus moribus etiam liberari noxæ dando animal, licèt priùs illud ſuum eſſe negaverit.

* Adde *ex Cod. lib. 3. tit. 41. de noxalibus actionibus.*

LIBER X.

TIT. I.

Finium Regundorum.

1. ACtio finium regundorum (quæ ex lege 12. tab. coram tribus; ex lege Maniliâ coram uno arbitro ventilanda fuit) deſcribi poteſt quod ſit ſtricti juris (cùm nuſpiam bonæ fidei judiciis accenſeatur) duplex. *l. 13. ff. de judic.* mixta *§. 20. Inſt. de action. l. 1. ff. h. t. arg. l. 22. §. 4. ff. famil erciſc.* quâ contenditur inter confines de ſpatio quinque pedum ſeu finibus agrorum regundis & diſcernendis. (I, II, III.)

2. Eſt itaque in rem ſimul & in perſonam; in rem tamen principaliter, per conſequentiam in perſonam, cùm fieri poſſit, ut tantùm pro rei vindicatione fit, deficientibus præſtationibus perſonalibus: contra verò fieri nequeat, ut tantùm eſſet in perſonam, & præter perſonales præſtationes nihil vindicaretur ſeu veniret dividendum. Unde & ſi fundi, quorum nomine hoc, aut familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo judicium (quorum hac in re par ratio) competit, perierint aut alienati ſint, de præſtationibus perſonalibus non directum ſed tantùm utile datur judicium. *l. 1. l. 6. §. 1 l. 11 ff commun divid.* junct. *l. 9. C. commun. utr. judic.* (IV.)

3. Habet autem locum hæc actio in prædiis ruſticis confinibus, vel ſolo rivo privato diſtinctis. *l. 4. §. pen. l. 6. ff. h. t.* Non item, ſi via publica ſit intermedia, aut flumen. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* Ut nec in ædificiis: cùm & his contingere nequeat

queat finium confuſio. *l.* 4. §. *pen. ff. h. t.* Quamvis per inædificationem æque ac per implantationem fines agrorum turbari poſſint. *l.* 2. *ff. h. t.* (v.)

4. Datur confinibus, ſive domini ſint ſive fructuarii, ſive creditores pignus habentes, ſive emphyteutæ, ſive bonæ fidei poſſeſſores. *l.* 4. §. 9. *ff. h. t.* Non ſocio adversùs ſocium, confuſis terminis proprii & communis agri; ſed vel à communione recedendum; vel res propria alienanda, atque ita hoc agendum judicio. *l.* 4. §. 6. 7. *ff. h. t.* (vi.)

5. Instituitur contra confines, ad id ut fines regantur ac reſtituantur, aut, ſi id minùs commodum, novi conſtituantur per adjudicationem, condemnato eo, cui pars adjudicata eſt, in certam pecuniæ quantitatem. §. *pen. Inſt. de off. iud. l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Præſtetur etiam id quod intereſt, damnum reparetur dolo vel levi culpâ unius confinis datum, omnis utilitas reſtituatur, cæteræque ſolvantur præſtationes perſonales. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* (vii, viii.)

6. Poſſunt autem vel ſingulis, vel etiam pluribus pro indiviſo fines adjudicari; eò quòd non tam pluribus unius fundi dominis, quàm potius ipſi fundo ſit adjudicatio. *l.* 4. §. 5. *ff h. t.* Quamvis id in cæteris fieri nequeat diviſoriis judiciis, in quibus res non rebus adjudicantur ſed perſonis. §. 4. *Inſt. de off. iud.*

7. Cæterùm appellatione finium venit ſpatium quinque pedum, quod inter quemvis agrum relinqui debebat ab aratione liberum. *l. pen. C. h. t.* Probaríque fines poſſunt variis modis, puta, per teſtes & antiqua inſtrumenta, libros cenſuales. *l.* 11. *ff. h. t.* ocularem judicis inſpectionem, cognito ſitu foſſarum, lapidum, ſtipitum, quibus fines diſtingui ſoliti; utrâque parte citatâ ac præſente vel per contumaciam abſente. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t. l.* 3. *C. h. t.* Conſiderandi verò plerumque termini, qui fuerunt in poſtremâ venditione, niſi confinium conſenſu poſtmodum adhuc mutati fuerint. *l.* 1. 2. *C. h. t.* Et pendente hoc judicio neutri licitum ex finibus alterius quid uſucapere; adeò ut, qui contra fecerit, ſuperatus tantum agri modum admittat, quantum alteri adimere tentavit. *l.* 4. *C. h. t.* (ix, x.)

8. Ceſſat hæc actio annis triginta, ex quo primum contigit finium confuſio. *l. ult. C h. t. l.* 1. §. 1. *C. de annal. except.* qualeſcunque fundi fuerint. *arg. l.* 3. 4. 7. *C. de praſc.* 30. *vel* 40. *ann.* abrogatâ *l. ult. C. de fund. limit.* Quòd ſi quis cum agri vicini parte ſimul ipſum quoque quinq; pedum ſpatium poſſede-

rit, longi temporis præſcriptione excludi poteſt hæc actio. *l. 2. §. 6. l. 7. §. 1. ff. pro emptore* (XI.)

9. Præter hanc actionem quandoque criminale de termino moto judicium datur. *l. 4. §. 4, ff. h. t.* de quo latiùs ad tit. *ff. de termino moto.* Quanto autem ſpatio foſſæ, putei, inædificata, implantata, &c. à confinio remota eſſe debeant, vide *l. ult. ff. h. t.* (XII.)

* Adde *ex Cod. lib. 3. tit. 39. finium regundorum.*

TIT. II.
Familiæ Erciſcundæ.

1. ERciſcere familiam, eſt hæreditatem dividere; quam ſi teſtator non diſtribuerit, nec ipſi cohæredes inter ſe conveniant, judex dividit. Quòd ſi nonnulla à patre inter liberos diviſa ſint inæqualiter, pro virilibus tamen portionibus dividenda à Judice quæ indiviſa remanſerant. *l. 11. l. 21. C. h. t.* Obſt. *l. 32. ff. h. t.* Reſp. partes hæreditariæ ſæpe & viriles ſunt, præſertim in liberis; ut proinde hæc non pugnent. Eſt autem actio familiæ erciſcundæ *duplex, mixta, bonæ fidei, de hæreditate dividenda & præſtationibus perſonalibus.* (I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII.)

2. Datur iis, qui probare poſſunt ſe cohæredes eſſe; cùm inter ſolos cohæredes hoc conſiſtat judicium. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* uſque adeò, ut qui alium hâc actione conveniunt, eundem eo ipſo fateri cenſeantur cohæredem *arg. l. 1. ff. h. t.* Obſt. *l. 37. ff. h.* Reſp. intelligi poteſt de reo ad diviſionem provocato, qui reſpondens actori non videtur de ejus intentione confiteri. *l. 9. ff. de except.* licèt enim in *d. l. 37.* dicatur *agere*; tamen id ipſum de reo rectè intellexeris, cùm in duplicibus judiciis, quale & hoc, reus ſimul actor ſit. *l. 44. § 4. ff. h. t.* [IX, X.]

3. Nihil autem refert, ex teſtamento an ab inteſtato, jure civili an prætorio, directi an fideicommiſſarii hæredes ſint; quatenus utilis ſaltem fideicommiſſariis actio competit. *l. 2. l. 24. §. 1. l. 40. ff. h. t.* Ut nec intereſt, poſſideant, nec ne. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Nec, utrùm omnes, an quidam ex pluribus experiantur *l. 2. §. 4. ff. h. t.* ut tamen reliquis eo non præjudicetur, quo minus & ipſi poſtmodum agant. *l. 17. C. h. t.* Quòd ſi ex pluribus cohæredibus unus ſit mortuus, etiam ejus hæredibus hoc judicio experiundi poteſtas eſt; qui tamen omnes ſimul agere tenentur, aut unum ſimul procuratorem con-

conſtituere. *l.* 48. *ff. h. t. l.* 42. §. 6 *ff. de procurat.* quamvis plures cohæredes eundem nequeant procuratorem conſtituere, cum ipſi inter ſe hoc judicio contendunt. *d. l.* 42. §. 6. [XI, XII, XIII.]

4. Sunt tamen qui ad diviſionem provocare non poſſunt, quales pupilli, minores, prodigi, mente capti, aliique ſimiles; ſed hi provocationem tenentur expectare. *l. pen. C. de præd. & aliis reb. min ſine decr. non alien.* (XIV, XV.)

5. Tendit hæc actio ad id, ut res hæreditatis antea communes dividantur, ut fiant cujuſque propriæ pro parte diviſâ, ſi modò commodam recipiant diviſionem: alioquin adjudicationi locus eſt §. 4 *Inſt. de offic. jud.* Dividendæ verò res omnes hæreditariæ, ſive defuncti propriæ, ſive ei pignori datæ, vel penes eum depoſitæ, aut apud eum repertæ; imo & quæ per hoſtes aut per fures ſunt detentæ, de quibus aliiſque ex profeſſo egi *tract. de famil. erciſcunda cap. 7. & 9.* Non tamen hic dividendæ veniunt actiones ſeu nomina; eò quòd ipſo jure inter cohæredes diviſa ſunt, licèt Judex quandoque ſingulis ſingula nomina adjudicet. *l. 2. §. ult. l. 3. ff. h. t.* Similiter nec reales veniunt dividendæ ſervitutes. *l.* 25 §. 9. 10 *ff. h. t.* [XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII.]

6. Ceſſat hoc judicium, ſi ſemel eo actum ſit; nam ſi quid indiviſum remanſerit, judicio communi dividundo locus eſt *l.* 20. §. 4. *C. h. t.* Obſt. *l.* 1. *ff. h. t.* Reſp. ibi necdum hæc actio mota fuerat, ſed hæredes mutuo conſenſu res quaſdam diviſerant. Obſt. ſæpius agi poteſt hæreditatis petitione. *l* 9. *ff. de except. rei jud. l.* 10. *ff. de petit. hæred.* Reſp. actio familiæ erciſcundæ & naturâ & effectu ſemper univerſalis eſt; at petitio hæreditatis ſemper quidem naturâ univerſalis eſt; at non ſemper effectu. (XXX, XXXI.)

7. Ceſſat & annorum triginta lapſu, cum ſinguli ſeparatim, non in communi res hæreditatis tanto temporis ſpatio poſſederint. *l.* 1. §. 1. *C. de annal. except.* Non tamen ceſſat, ſi diviſionem teſtator prohibuerit, niſi ad certum tempus ſit facta prohibitio. *arg. l.* 14. §. 2. *ff. commun. divid.* Obſt. prohibere poteſt teſtator alienationem in perpetuum. *l.* 114. §. 14 *ff de legat.* 1. Reſp. alienationis prohibitio non inducit communionem, diſcordiarum & negligentiæ matrem; uti quidem diviſionis prohibitio. Obſt. *l. ult.* §. 3. *ff. de legat.* 2. *l.* 78. *ff. ad Senatuſc. Trebell.* Reſp. ibi teſtator non communionem ſed collationem præcipit. [XXXII, XXXIII.]

8. Cæterùm ſi enormis in diviſione læſio contigerit, etiamſi

judicis autoritate facta ſit, reſcindi poteſt. *arg. l. 11. C. de præd. & al. reb. minor. l. 16. C. de reſcind. vend. l. 2. C. de fide & iure haſt. fiſc.* Obſt. *l. 3. C. commun. utr. jud.* Reſp. verba *ſine judicio*, idem deſignant, quod, *temerè ſine deliberato conſilio.* Obſt. *l. 35. ff. h. t.* Reſp. ceſſat quidem indebiti condictio, quamdiu non eſt facta diviſionis reſciſſio: ſed non dicitur, denegandam eſſe ſententiæ & diviſionis ex errore & falſa cauſa factæ reſciſſionem. (XXXIV, XXXV, XXXVII, XXXVIII, XXXIX.)

9. Non poteſt autem cum hoc judicio concurrere crimen expilatæ hæreditatis *l. 1. C. h. t.* junct. *l. 1. C. de crim. expil. hæred.* Obſt. crimen hoc concurrere poteſt cum petitione hæreditatis. *l. 3. ff. expil. hæred* Reſp. qui pro hærede vel pro poſſeſſore poſſidet, non contrectat rem ſuam; hæres verò ſuam jure ſuo contrectat, ut videri nequeat in hoc crimen incidere. *arg. l. 5. ff. l. 4. C. eod.* Concurrere tamen cum hâc actione, actionem negotiorum geſtorum nihil impedit, ſi cohæres unus ſolus geſſerit communia ſibi & cohæredibus negotia individua; ſic ut electionem habeat, quâ velit actione experiri. *l. 3. C. de neg. geſt. l. 18. C. h. t.* Obſt. *l. pen. ff de reb. cred.* Reſp. agi tantùm poteſt negotiorum geſtorum actione, cùm cohæres geſſit commune negotium, ſed dividuum, quod per reliquos geri pro parte potuiſſet. (XL, XLI.)

10. *Moribus.* Licèt actiones æquè hodierno, ac Romano Jure, inter cohæredes diviſæ ſint ipſo jure, tamen ſi teſtator uni ex pluribus hæredibus ſoli totius æris alieni ſolutionem injunxerit, liberum erit creditoribus, ad evitandas litium ambages, ſolum eum qui oneratus eſt in ſolidum convenire. Alioquin quiſque pro ratâ emolumenti onus quoque æris alieni ſuſtinet; etiam tunc cùm alter mobilium alter immobilium, hæres eſt. Quod ſi hoc judicio nonnulla per errorem diviſa ſint, quæ dividi non debuerant, ſed jure præcipui penes unum remanere, is qui errore lapſus eſt, reſtitutionem poteſt impetrare: quamvis de cætero, ſi ſine dolo adverſarii læſio contigerit, non ſupra, ſed infra dimidium, apud nos reſcindi non ſoleat facta diviſio: ut in aliis reſciſſio adhuc eo caſu admittatur.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 36. familiæ erciſcundæ & tit. 38. communia utriuſque judicii, &c.*

TIT.

Tit. III.
Communi Dividundo.

1. **A**Ctio Communi dividundo eſt *mixta, duplex, bona fidei, quâ rem titulo plerumque particulari communem habentes, ſive eam poſſideant ſive non, petunt eam dividi, & præſtari præſtationes perſonales.*

2. Competit ergo illis qui rem pro indiviſo communem habent, ſive directi ſint domini, ſive utiles, ſive fructuarii, ſive bonæ fidei poſſeſſores Publicianam habentes, ſive creditores jus pignoris habentes ex miſſione poſſeſſionem. *l.* 7. *pr.* §. 1. 2. 6. 7. 8. 10. 12. 13. *ff. h. t.* non aliis creditoribus hypothecariis contra extraneum, licèt inter ſe plures hypothecarii de commodis rei obligatæ dividendis experiri poſſint; atque etiam ab extraneo ad rei communis ſibi obligatæ diviſionem provocari, adeò ut, ſi creditori bonâ fide licitanti res adjudicata fuerit, debitor eam adjudicationem ratam habere teneatur. *l.* 7. §. 6. 12. 13. *ff. h. t.* Ita nec illis datur hæc actio, qui realem ſervitutem inter ſe communem habent. *l.* 19. §. 2. *ff. h. t.* licèt pro ejus exercitio utile judicium dari poſſit. *l.* 4. *ff. de aqua quot. & æſt.* (I, II.)

3. Tendit ad id, ut fiat rerum ex honeſtâ causâ communium diviſio. *l.* 7. §. 4. *ff. h. t.* & præſtationes fiant perſonales, dum alter ſociorum damnum dolo vel levi culpâ dedit in communi, vel ſocio fuit impedimento, quo minus is quid ageret ad rei communis conſervationem. *arg. l.* 12. *ff. h. t.* vel dum alter ſolus fructus percepit aut impenſas fecit. *l.* 3. 4. *C. h. t.* §. 3. *Inſt. de obl. ex quaſi contract.* Cæterùm in ipſâ rerum diviſione faciendâ Judex potiſſimùm ſequetur ſociorum voluntatem. *l.* 21. *ff. h. t.* (III, IV.)

4. Ceſſat hæc actio, ſi convenerit, ne intra certum tempus à communione diſcedatur, non item ſi id actum, ut perpetua ſit communio, ùt dictum *tit. præced. l.* 14. §. 2. 3. *h. t.* Utì nec ceſſat, ſi ſemel actùm fuerit; cùm ſæpius hoc judicio experiri liceat. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* Non denique denegabitur ex eo, quòd fortè annis triginta ſocii rem communiter poſſederint: ſecus, ſi ſeparatim. *l.* 1. *C. de annal. except.* junct. *l.* 1. *C. de præſcr.* 30. *annor.* (V, VI.)

5. Invito autem uno ſocio nihil novi per alterum poteſt fieri in re communi, meliórque prohibentis eſt conditio: adeò

adeò ut, ſi quid novi per alterum ſocium altero invito factum ſit, is cogi poſſit ad id in priſtinum ſtatum reſtituendum. Quòd ſi extraneo quid novi faciente, alter ſociorum id paſſus ſit, cùm prohibere poſſet, opus quidem deſtruere haud cogitur: ſed hoc judicio tenetur ad damni inde dati reparationem. *l.* 28 *ff h. t.* Quin tamen ſocius invito ſocio de ſuâ parte poſſit diſponere, nequaquam dubium. *l.* 1. 2. *C. h. t. l.* 68. *ff. pro ſocio.* (VII.)

* Adde *ex Cod. libr.* 3. *tit.* 37. *communi dividundo.*

Tit. IV.
Ad Exhibendum.

1. Exhibere eſt facere in publico poteſtatem, ut ei, qui agit, experiundi ſit copia. *l* 2. *ff. h. t.* Actio verò ad exhibendum eſt perſonalis, in rem ſcripta, perpetua, arbitraria, quæ datur omnibus quorum intereſt peculiariter *l.* 13. *ff. b. t.* ex juſtâ & probabili causâ. *l. pen. ff h. t.* & ex jure in re; licèt poſtea perſonali non reali actione experiri velint; veluti pignoratitiâ, aut interdicto, aut furti, aut noxali judicio. *l.* 3. §. 3. *ſ.* 7. *l.* 12. §. 2. *ff h. t.* Modò actor omnia rei, de quâ agitur, argumenta dicat. *l.* 3. *ff h. t.* ac eius interſit & litis conteſtatæ & rei judicatæ tempore. *l.* 7. §. *ult. ff. h t* de eoque Judici conſtet, adhibitâ ſummariâ cauſæ cognitione; ad principale judicium rejectis illis quæ altiorem deſiderant indaginem, adeò ut Judex rem interim exhiberi jubeat. *l.* 3 §. 9. & 13. *ff. h. t.* facilè namque exhibitio injungitur poſſidenti, cùm ei non ſit gravis aut damnoſa, ſi actor in principali negotio probando defecerit. Quòd ſi plurium interſit, ſingulis experiundi poteſtas eſt. *l.* 3. §. 12. *ff. h t* (I, II.)

2. Convenitur hâc actione quivis poſſeſſor & detentor rei, ſive ſingularis perſona ſit ſive collegium. *l.* 3. § *ult. l.* 4. *l.* 5. *l.* 7. §. 3. *ff. h. t.* modò poſſideat tempore rei judicatæ. *l.* 7. §. 4. *ff. b t.* vel dolo poſſidere deſierit. *l.* 5. §. 2. *l.* 14. *ff h. t.* quandoque & ſine dolo, ſi res tali perierit caſu fortuito, quo non periiſſet, ſi ſtatim fuiſſet exhibita. *l.* 7. §. 5. *l.* 12. §. 4. *ff h. t.* Conveniuntur & hæredes ejus, qui dolo poſſidere deſiit, quatenus facti locupletiores. *l.* 12. §. *ult. ff. h. t.* (III.)

3. Tendit ad id, ut res exhibeatur; quæ tamen exhibitio quandoque reſtitutionem in ſe habet, quatenus exhibens ſæpe poſt factam exhibitionem cedit, nec principali judicio audet

audet contendere, cauſæ ſuæ diffidens. Quo modo intelligenda. *l. 9. §. pen. ff. h. t.*

4. Exhibenda verò res cum omni ſuâ causâ, id eſt utilitate, partu, fœtu, fructibus & acceſſionibus; *l. 9. §. pen. & ult. ff. h. t. §. 3. Inſt. de offic. jud.* etiam in eâdem causâ: quod non fit, ſi res exhibeatur medio tempore uſucapta, *l. 9. §. 6. ff. h. t. §. 3. Inſt. de offic. jud.* Secus quàm obtinet, ſi deteriorata exhibeatur; tunc enim ceſſante ad exhibendum actione locus eſt actioni ex Lege Aquilia. *l. 17. ff. h. t.* Quòd ſi quis in præſens exhibere nequeat, cautio ejus de re intra modicum temporis ſpatium arbitrio Judicis exhibendâ admittitur. *d. §. 3. Inſt. de offic. jud. l. 5. §. ult. l. 12. §. 5. ff. h. t.* Sin contumaciter nolit, aut dolo ſuo nequeat reſtituere, contra eum in litem juratur. *l. 3. §. 2. l. 5. §. 2. ff. h. t.* (IV, V.)

5 Obtinet autem hæc actio non in immobilibus, ſed ſolis mobilibus: etiam illis, quæ rebus alienis juncta ſunt: niſi ſit tignum ædibus alienis junctum. *l. 6. 7. ff. h. t.* quo tamen caſu extrinſecus ad exhibendum agi contra malâ fide jungentem, adeóque ad exhibendam tigni æſtimationem, nihil vetat. *l. 1. in fin. l. 2. ff. de tigno junct.*

6. *Moribus.* Per mandatum compulſoriale ſolent Judices exhibitionem injungere.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 42. ad exhibendum.*

LIBER XI.

TIT. I.

De Interrogationibus in jure faciendis & Interrogatoriis Actionibus.

1. NE actor plus petendo peccaret, & ſuperfluis probationibus lis protelaretur, interrogationes olim factæ in jure ante litem conteſtatam, veluti, an & pro quâ parte hæres eſſet, an ſervum poſſideret, &c. *l. 1. 7. 8. ff. h. t.* idque vel per Prætorem vel per adverſarium. *l. 1. §. 1. l. 11. §. 9. ff. h. t.* Et hoc in actionibus in perſonam obtinuit, non in rem, exceptâ hæreditatis petitione. *l. 11. C. de petit. hæred. l. 1. ff. h. t. l. 73. ff. de rei vind.* Obſt. *l. 20. §. 1. ff. h. t.* Reſp.

Reſp. ibi interrogatur is, cum quo non agitur, ſocius nempe rei conventi reſpectu fundi communis; quo innoteſcat, quæ fundi pars ad reum pertineat; ut in eam non defenſam actor mittatur. (I, II.)

2. Rogatus autem reſpondere tenetur, niſi juſtam ipſe dubitandi cauſam habeat. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* vel interrogetur de facto alieno. *l.* 9. §. 3. *l.* 19. *ff. h. t.* imo & de ſuo rogatus facto, tempus deliberandi rectè petit, ne temerè reſpondeat. *l.* 5. *ff. h. t.* ſuâ enim reſponſione ſibi præjudicat, ſive verè ſive falsò reſponderit. *l.* 4. 7. 8. *ff. h. t.* modò juri & naturæ rei conſentanea ſit, & juſta non ſubſit erroris cauſa. *l.* 11. §. 8. 10. *l.* 14. *ff. h. t.* Si rogatus contumaciter reſpondere noluit, ſilentium contra eum interpretari oportet *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* ſi verò generalius aut dubiè reſpondeat, iterum rogari poteſt. *arg. l.* 9. §. 6. *ff. h. t.* V, VI, VII, VIII, IX.)

3. Ex reſponſione quæ ad interrogationem ſecuta eſt, (vel etiam ſine prævià interrogatione. *l.* 9. *pr. ff. h. t.*) actio datur interrogatoria, quaſi ex ipſo contractu ſeu negotio principali; quæ proinde non nova actio eſt, ſed nova qualitas actioni principali accedens. *l.* 11. §. 9. *ff. h. t.* Obſt. confeſſus pro condemnato habetur, ut non ſit danda hæc actio. *l.* 1. *ff. de confeſſ.* Reſp. id verum ſi de principali negotio confeſſus ſit; non item ſi quædam præliminaria fateatur; veluti ſe hæredem eſſe: ulterius enim eo caſu probandum actori incumbit, defunctum debuiſſe, legaſſe, &c. [III, X.]

4. Sed jure novo hæ in jure interrogationes non obtinent, eò quòd actorem oportet inſtructum venire, non inſtructionem à reo petere. *l.* 1 *ff. h. t.* Ut tamen judex poſſit adhuc & interrogationes facere & ad reſpondendum cogere, quoties id æquitas poſtulat. *l. pen. ff h. t.* [IV.]

5. *Moribus.* Nonnunquam pendente lite concipiuntur ab uno litigantium poſitiones ſeu articuli, ad quos per judicem examinatus adverſarius reſpondere cogitur per verbum *credit* vel *non credit.* Ejúſque reſponſa pro veris habentur, donec contrarium probatum fuerit.

TIT. II.

De quibus rebus ad eundem Judicem eatur.

1. NE dividatur cauſæ continentia, dum plures diverſis in locis agunt aut conveniuntur, omnes quandoque ad eundem

eundem Judicem ire oportet; quales ſunt ſocii, cohæredes, confines, de hæreditate, rebus aut finibus communibus contendentes, & contutores ad rationum redditionem conventi. *l.* 1. 2 *ff. h. t. l.* 5. *C. arbitr. tut.* (1.)

2. Ex eâdem ratione proprietatis & poſſeſſionis cauſam apud eundem judicem terminari neceſſe eſt. *l.* 10. *C. de judic.* licèt enim poſſeſſio nihil habeat commune cum proprietate, quatenus magna inter utriuſque naturam & effectus eſt differentia. *l.* 12. §. 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* in ordine tamen judiciorum ſibi invicem cohærent; in quantum finis judicii poſſeſſorii plerumque initium eſt petitorii. (11.)

3 *Moribus.* Ita demum plures ad eundem judicem vocari poſſunt, ſi ſaltem mediatè ſubſint eidem judici: alioquin in alio degentes territorio ad ſuum ordinarium judicem vocandi.

Tit. III.

De Servo Corrupto.

1. Actio de ſervo corrupto eſt perſonalis, prætoria competens domino & ejus hæredibus in perpetuum, *l.* 13. *ff. h. t.* ut & jus pignoris, uſusfructûs aliúdve ſimile habentibus. *l.* 9. §. 1. *l.* 14. §. 3. 4. *ff. h. t.* non tamen bonæ fidei poſſeſſori. *l.* 1. §. 1 *ff. h. t.* Contra eum qui mores ſervi dolo corrupit, ſuadendo vel laudando atque ita augendo ſervi malitiam, aliiſque modis. *l.* 1. §. 3. *l.* 2. *ff. h. t.* licèt corrumpens ſit dominus aut fructuarius ſervi corrupti, aut creditor cui ſervus fuit pignori obligatus. *l.* 9. §. 1. *l.* 14. §. 3. 4. *ff. h. t.* vel putaverit hominem eſſe liberum, cujus mores corrumpebat. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Non tamen contra bonæ fidei poſſeſſorem. *d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* nec contra hæredes. *d. l.* 13. *ff. h. t.* Ad id ut præſtetur duplum damni corrumpendo dati, & rerum quas ſervus fugiens ſecum abſtulit. *l.* 10. *ff. h. t.* aut in quibus damnum dedit. *l.* 14. §. 6. 7. *ff. h. t.* non earum, quas, dum in fugâ erat, furto ſuſtulit, aut in quibus poſtea quâdam quaſi conſuetudine peccavit. *l.* 11. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* Quod, ſi uxor ſervum corruperit, in ſimplum tantum actio hæc competit. *l. ult. ff. h. t.* [1.]

2. Cæterùm hæc actio non infamat. *l.* 5. §. 1. *l.* 6. *ff. de obſeq. parent. & patr. præſt.* licèt enim turpis actio dicatur in *l.* 56. *ff. pro ſocio*, quatenus doli vel fraudis mentionem habet, non tamen ideo infamans eſt: pluréſque turpes, famoſæ pauciores

ciores ſunt actiones. Obſt. *l. 3. pr. ff. h. t.* Reſp. *notare* non ſemper eſt idem, quod infamare, ſed quandóque idem deſignat quod coërcere, & facere ut quis teneatur ac obligatus ſit. *d. l. 3 ff. h. t.* (II.)

3. Non etiam merè pœnalis eſt, ut præter duplum ſupereſſet rei perſecutio; ſed magis pœnalis mixta, ut duplo inſit ipſa res. *l. 14. §. 5. ff. h. t.* Multò minùs eſt tantùm rei perſecutoria, neque id dictat *l. 13. §. 1. l. 14. ff. h. t.* cum in ea hæc actio non aſſimiletur hæreditatis petitioni, ſed magis petitio huic actioni de ſervo corrupto; ſic ut & ipſa hæreditatis petitio hoc caſu pœnalis ſit. [III, IV.]

4. Eſt & actio utilis de ſervo corrupto, patri accommodata ob corruptos mores filiif. aut filiæf. adversùs corrumpentem in id quod intereſt. *l. 14. §. 1. ff. h. t.* quæ & ad maritum videtur extendenda propter corruptos uxoris mores agere volentem. *arg. l. 2. ff. de liberis exhib.* etiam à DD. ad ſubditorum, monachorum, aliorúmque, mores corruptos producta eſt. [V.]

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 2. de furtis & ſervo corrupto.*

TIT. IV.

De Fugitivis.

1. FUgitivus eſt, *qui fugæ causâ extra domum domini moratur eâ mente ne redeat.* Error dicitur, *qui frequenter ſine causâ vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumptis ſeriùs domum redit. l. 17. pr. §. 3. & §. 14. ff. de ædil. edict.* Quiſquis autem fugitivum celaverit dolo malo, jure Pand. furti tenetur. *l. 1. ff. h. t.* ſed jure novo* ſervus fugitivus cum altero tali, vel viginti ſolidis præſtandus eſt; vel cum duobus aliis aut ſolidis quadraginta propter repetitam occultationem. *l. 4. C. h. t.* Si tamen celatus fuerit ſervus fiſcalis, cum duodecim argenti libris reſtituendus eſt, quas qui non habet in ære, in pelle luet *l. 4. l. pen. C. h. t.* Nec fugitivi reſtitutionem impedit, quod is in arenam ſeſe dederit. *l. ult. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 1. de ſervis fugitivis, &c.*

Tit. V.

De Aleatoribus.

1. Ludi apud Romanos vel liciti fuerunt, vel illiciti. Liciti in quibus ars dominatur, & de virtute certamen eſt. *l.* 2. §. 1. *l.* 3 *ff. h t.* quales quinque recenſentur in *l.* 1. *& ult. C. h. t.* Illiciti ſunt, in quibus ſors prædominatur, qualis alearum ludus. *l. ult. C. h. t.* cujus variæ pœnæ ſunt: nam qui domum ad ludendum præbuit, ſi pulſatus, damnum aut injuriam paſſus ſit, nec pœnalem nec rei perſecutoriam habet actionem. *l.* 1. *pr. &* §. 3. *ff h. t.* licèt colluſoribus hæc paſſis actio detur. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Nec tamen ita quisque ad delinquendum invitatur, ſed magis ad delictum vindicandum: cùm enim ad coërcendum hunc ludum propter frequentiam non ſufficeret prætor reliquique magiſtratus, ſinguli ad id puniendum autoritate publicâ per edictum prætoris fuerunt armati: eo ferè modo, quo id contingit in tot. tit. & præcipuè in *l. ult. ff. quod quiſque jur. in alter. ſtat.* (I, II, III.)

2. Inſuper domus in quâ luſum eſt, publicatur *l. ult. C. h. t.* pecunia in aleâ amiſſa repetitur per ludentem aut patrem vel dominum, aut defenſorem civitatis, qui in publicos uſus eam erogabit, vel denique per quemvis è populo, intra annos quinquaginta. *l.* 1. *C. h. t.* Quòd ſi filiusf. aut ſervus quid in aleâ lucratus fuerit, pater vel dominus tenentur reſtituere, quatenus ad eos inde pervenerit. *l. ult.* §. 1. *ff. h. t.* Adhæc cogens alterum ad ludendum vel mulctatur, vel in latumias aut vincula publica ducitur, prætoris arbitrio. *l.* 1. §. *ult. ff h. t.* Et ſi contractus in aleâ geſtus ſit, non præſtanda eſt rei, de quâ contractum, evictio. *l.* 2. §. 1. *ff. quar. rer. act. non dat.* (III, IV, V, VII.)

3. Alea ſpecies eſt olla ſeu urna fortunæ, vulgo *Loterye*, ut & ſponſio de futuris dubiis: eſt enim mutua ſtipulatio conditionis de re, cujus dubius eſt eventus: & in quâ non eſt de virtute certamen; ac proinde illicita, *l.* 3 *ff. h. t.* Obſt. valent ſtipulationes conditionales. *l* 108. *ff. de verb obl.* Reſp. non tamen valet reciproca iſta ſtipulatio, per quam fit ſponſio; eò quòd in aleæ ſpeciem cadit; quæ prohibita. Obſt. *l.* 17. §. *ult. ff. de præſcript. verb.* Reſp. intelligi poteſt de illâ ſponſione in quâ de virtute certamen eſt, propter verba. *ult. d. l.* 17. (VIII, IX.)

K 4. Mori-

4. *Moribus.* Aliquanto mitiùs hodie cum alcatoribus agitur; nam nec receptatoribus eorum impunè furtum aut injuria infertur; nec domus in qua luditur, publicationi ſubjacet; nec id quod in aleâ amiſſum ac ſolutum eſt, repetitur, niſi dolus in ludo ſit adhibitus. Si quid tamen in aleâ amiſſum ac nondum ſolutum ſit, peti nequit, nec is, qui ſciens alteri ad ludendum credidit, id poteſt repetere; nec de ſponſionibus (exceptis aſſecurationibus) jus dici ſolet, ſi qui ſuper ſponſione litigare velint.

* Adde *ex Cod. libr. 3. tit. 43. de Aleatoribus.*

TIT. VI.

Si Menſor falſum modum dixerit.

1. MEnſor in finibus regundis aliiſque multis negotiis adhibetur ac modum ſeu menſuram renuntiat; próque eo ſalarium recipit, non mercedem, cum hîc non ſit locatio. *l.* 1. *ff. h. t.* Si tamen falſus modus renuntiatus fuerit, actio in factum prætoria ſubſidiaria datur in perpetuum. *l.* 4 *ff. h. t.* illis quorum intereſt, ſive emptores ſint ſive venditores & eorum hæredibus ad id quod intereſt. *l.* 3. §. 1. *&* 5. *ff. h. t.* Contra menſorem falſum modum dolo vel latâ culpâ renuntiantem, non levi, niſi mercedem acceperit, nec leviſſimâ. *l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* ſive per ſe ſive per alium renuntiaverit: ex ſubſtituti enim dolo tenetur. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Nec refert, menſor machinarius ſit, an aliùs; nec utrùm propter Judicium an aliter fuerit adhibitus. *l.* 3. §. 4. *l. ult.* §. 1. *ff. h. t.* nec denique, utrùm in agris, an in aliis rebus menſurandis aut calculo ineundo fefellerit; atque hinc eſt quod & operum redemptores, calculatores, architecti ac ſimiles hâc actione teneri poſſunt. *l.* 5. §. *ult. l.* 6. 7. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Non aliter tamen conveniendus hâc actione menſor, quàm ſi læſus aliâ actione conſequi nequeat ab alio, id quod intereſt, cum hæc ſubſidiaria ſit. *l.* 3. §. 2. 3. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* alioquin læſus potius ex empto vel indebiti condictione aget, utrâ voluerit. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t. l.* 18. §. 3. *ff. de dolo.* Sic nec huic actioni locus erit, ſi menſor non renuntiaverit, ſed tantùm menſus fuerit. *arg. l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Si tamen dolo malo renuntiationem protraxerit, & inde læſus fuerit emptor aut venditor, actio de dolo dari poteſt. *l.* 5. *pr. ff. h. t.* ubi pro *liberetur* legendum eſſe *læderetur*, ſuadet legis ſenſus. [III, IV.]

TIT.

TIT. VII.

De Religioſis & ſumptibus Funerum, & ut Funus ducere liceat.

1. LOcus Religioſus eſt, in quo cadaver, aut præcipua ejus pars, puta caput, eſt reconditum perpetuæ ſepulturæ causâ. *l.* 39. 44. *ff. h. t.* ſi modò quis intulerit in locum proprium, aut alienum domino permittente, vel communem locum purum ſocio conſentiente. §. 9. *Inſt. de rer. diviſ.* quandoque & eo invito; ſi ſocius ipſe ſepeliendus ſit, alio loco commodo deſtitutus. *l.* 41 *ff. h. t.* Quibus omnibus in caſibus locus deſinit eſſe in commercio, ſive homo liber ſive ſervus illatus ſit. *l.* 2. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* ut tamen is, qui locum religioſum fecit, alteri per legatum aut actum inter vivos concedere poſſit mortui inferendi jus. *l.* 14. *C. de legatis.* (I, IV.)

2. Si commune pluribus ſepulchrum ſit, in illud unus reliquis invitis mortuum inferre non prohibetur. *d.* §. 9. *Inſt. de rer. diviſ.* Sunt autem ſepulchra loca ſupulturæ deſtinata: eaque vel *hæreditaria* ſunt, quæ quis ſibi hæredibúſque ſuis; vel *familiaria*, quæ quis ſibi & familiæ ſuæ conſtituit. *l.* 5. 6. *ff. h. t.* Cæterùm cenotaphium puris potius quam religioſis locis fuit annumeratum. *l.* 6. §. *ult. ff. h. t. l.* 6. *in fin. l.* 7. *ff. de rer. diviſ.* (II, V.)

3. Quòd ſi quis mortuum intulerit in locum, in quem inferendi jus non habebat, locus quidem ipſe religioſus non fit. *l.* 6. §. 6. *ff. commun. divid.* non tamen loci dominus oſſa inde ſine Principis aut Pontificis autoritate poteſt eruere: alioquin injuriarum tenetur. *l.* 8. *ff. h. t.* Sed potius ob talem illationem prodita eſt in factum actio *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* perpetua, hæredibus & in hæredes competens ad id ut cadaver tollatur, aut loci pretium præſtetur. *l.* 7. *ff. h. t.* quâ experitur dominus loci & fructuarius. *arg. l.* 2. §. 7. *ff. h. t.* & ſocius. *l.* 6. §. 6. *ff. commun. divid.* Obſt. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. quæritur ibi generaliter an ſocius ob illationem ſocio teneatur; & dicitur eum teneri familiæ erciſcundæ vel communi dividundo judicio, non tamen excluſâ hâc in factum actione, quam etiam dari, aliunde conſtat ex *d. l.* 6 §. 6. quo modo & actio pro ſocio hìc poteſt concurrere. *l.* 39. *ff. pro ſocio.* Non tamen bonæ fidei

 poſſeſſori

poſſeſſori aut creditori, cui fundus oppignoratus, hæc actio competit. *l. 2. §. 1. & ult. ff. h. t.* (III.)

4. Poteſt & inferens in locum alienum quandoque ad pœnam pecuniariam condemnari, etiam modicè coërceri, ſi dolo malo intulerit, præcipuè in locum publicum. *l. 2. §. 2. in fin. l. 8. §. 2. ff. h. t.*

5. Defunctum autem regulariter funerare tenetur hæres, *l. 12. §. 4. l. 14. §. 2. ff. h. t.* vel is cui id mandaverat defunctus; qui ſi ceſſet, amittit relicta ſibi eum in finem, ut funeraret; aut ſi jam acceperit, à prætore extra ordinem ad funerandum cogitur. *l. 12. §. 4. d. l. 14. §. 2. ff. h. t.* Quòd ſi nullus eorum ad quos funus pertinet, illud curet, atque ita extraneus cadaver ad ſe non pertinens pietate ductus ſepelierit ſuis impenſis, habet actionem funerariam ſubſidiariam, aliis demum actionibus ceſſantibus conceſſam. *l. 14. §. 12. ff. h. t.* Quæ eſt actio bonæ fidei ex quaſi contractu, ſpecies ſcilicet actionis negotiorum geſtorum. *l. 14. §. 9. & 13. ff. h. t.* competens ei qui in funus impendit aut impendi mandavit; ſoli enim mandanti datur hæc actio, non mandatario, niſi pupillus mandaverit ſine tutoris autoritate. *l. 13. §. 15. ff. h. t.* ſi modò impenderit animo repetendi, non donandi ſeu pietatis intuitu. *l. 14. §. 7. 9. ff. h. t.* Contra hæredem ejus, cujus funus ductum, licèt id hæres ipſe prohibuiſſet. *l. 14. §. 3. ff. h. t.* aut licèt ſumptus faciens ab initio ſe hæredem eſſe credidiſſet, atque ita ſuo nomine defunctum funeraſſet. *l. 32. ff. h. t.* etiam contra maritum quatenùs ſaltem facere poteſt, ſi uxor ejus ſepulta ſit, cui nec dos erat, nec hæres exstiterat. *l. 28. ff. h. t.* aut etiam quatenùs dotem maritus lucratus eſt, licèt tunc uxor hæredes habeat. *l. 16. 17. ff. h. t.* (VII, VIII.)

6. Datur hæc actio ad id, ut reſtituantur impenſæ, ſine quibus honeſtè duci funus non poterat: neque enim immodicè, nec etiam nimis parcè impendendum, ſed pro facultatibus & dignitate defuncti. *l. 12. §. 5. l. 14. §. 3. 4. §. 6. ff. h. t.* etiam ſi forſan aliter præcepiſſet defunctus; quippe cujus judicio haud ſtandum eſt, ſi illud ridiculum aut ſtolidum appareat. *l. 14. §. 5. ff. h. t. arg. l. 113. §. ult. ff. de legat. 1.* Nec in hanc actionem veniunt ſumptus in morbum, ſed tantùm in funus facti. *arg. l. 14. §. 6. ff. h. t.* Obſt. *l. 4. C. de petit. hæred.* Reſp. ibi impenſas in morbum defuncti factas compenſari quidem poſſe per hæreditatis poſſeſſorem, aſſeritur; at non eas, hâc actione funerariâ peti poſſe, quæ adeò privilegiata eſt, ut ea agens omnibus aliis ſive chirographariis ſive hypothecariis

thecariis præferatur creditoribus. *l. pen. ff. h. t.* junct. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* (IX, X, XI, XII, XIII, XIV, XV.)

7. Quòd ſi privatus nullus ſit, qui funus curat, magiſtratûs officium eſt procurare, ut defunctus funeretur ex pecuniâ rebusve hæreditariis, ne cadavera maneant inſepulta. *l.* 12. §. *ult. l.* 13. *ff. h. t.*

8. *Moribus.* Nulla propriè loca religioſa apud nos eſſe, & ſepulchra alienari poſſe ad inſtar aliarum rerum in commercio conſtitutarum, *tit. de rer. diviſ.* dictum. Unde & cadavera ex ſolo œconomorum templi conſenſu de loco in locum transferri poſſe receptum eſt. Licèt autem maritus ex ſtatuto vel pacto partem dotis lucretur, ſoli tamen mulieris hæredes in ſolidum ferre tenentur funeris impenſas. Cæterùm ad ſumptus funeris non pertinet impenſa in veſtem lugubrem conjugis ſuperſtitis; quippe quam de ſuo potiùs ſuperſtes conjux in Hollandiâ comparat. Veniunt tamen in actionem funerariam privilegiatam hodie ea quoque, quæ occaſione morbi poſtremi medicis ac chirurgis debentur, ſi de concurſu & prælatione inter creditores quæſtio ſit.

* Adde *in Cod. libr.* 3. *tit.* 44. *de religioſis & ſumptibus funerum.*

Tit. VIII.

De Mortuo inferendo & Sepulchro ædificando.

1. Si quis prohibitus ſit à quoquam inferre mortuum in eum locum in quem inferendi jus eſt, poteſt agere actione in factum contra prohibentem ad id quod intereſt, ſi in alium locum cadaver intulerit. *l.* 8. §. *ult. l.* 9. *ff. de relig.* quæ actio nec hæredi nec contra hæredem, inter prohibentem tamen & prohibitum ipſum perpetuò datur. *d. l.* 9. *ff. de relig.* Sed ſi alius fortè commodus ad inferendum mortuum locus ſepelienti non ſuppetat, liberum ei eſt protinus experiri interdicto prohibitorio. *d. l.* 8. §. *ult. d. l.* 9. quo caſu prætor vim fieri vetat mortuum inferenti. *l.* 1. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Utile tamen hoc interdictum nonnunquam & illis datur, qui jure mortuum inferendi ſunt deſtituti; veluti nudis proprietariis aut ſociis contra ſocios aut fructuarios, tum favore religionis, tum quia in interdictis non ita plenè, ſed

tantùm ſummariè examinantur cauſæ merita. *l. 43. ff. de religioſ.* Quòd ſi quis ſepulchrum quidem habeat, viâ verò ad illud careat, officio Judicis vicini cogi poſſunt, ut vel precario vel juſto pretio viam concedant volenti mortuum inferre. *l. 12. ff. de religioſ.* (II, III.)

3. Eſt & interdictum de ſepulchro ædificando, quod ei accommodatur, qui in ſuo loco ſepulchrum ædificat: eique vim fieri vetat prætor. *l. 1. §. 5. ff. h. t.* ſive reficere velit, ſive planè de novo ædificare. *l. 1. §. pen. ff. h. t.* Quòd ſi cadaver jam illatum ſit, Pontifices ſtatuere debent, quo uſque ſalvâ religione refectio permittenda ſit. *l. ult. §. 1 ff. h. t.* (IV.)

LIBER XII.

TIT. I.

De Rebus creditis, ſi certum petatur & de Condictione.

1. Contractus in genere eſt *conventio de re dandâ, faciendâ vel præſtandâ; cui ſubeſt obligandi cauſa ex ſuâ naturâ.* Sunt verò contractus vel *nominati* quibus *certum ac ſpeciale nomen eſt à jure impoſitum*: vel *innominati*, de quibus libr. 19. Nominati rurſus aut re conſtant, aut verbis, aut litteris, aut conſenſu. Re conſtantes ſunt, *ad quorum perfectionem eſt neceſſaria rei traditio*; atque inter eos ordine primum eſt mutuum: *contractus ſc. juris gentium ſtricti juris re conſtans, quo res fungibilis alteri datur eâ lege, ut idem in genere reſtituatur.* Licèt enim mutuum non ſit contractus utrimque obligatorius, non tamen ideo à contractuum ſerie eliminandum; quippe unà cum ſtipulatione exceptum à deſcriptione contractuum, quæ eſt in *l. 19. ff. de verb. ſign.* [I, II, III.]

2. *Res fungilis* (circa quam mutuum verſatur) in jure noſtro dicitur, quæ pondere, numero vel menſurâ conſtat, & functionem ſeu permutationem recipit in ſuo genere, ſic ut alia res ſimilis fungatur vice rei datæ: veluti vinum, oleum, frumentum, &c. Hujuſmodi verò res in mutuo per appenſionem, adnumerationem vel admenſurationem tradi atque ita in mutuatarium transferri neceſſe eſt: cùm ſola conventio de adnumerando mutuo mutuum non faciat. *l. 30. ff. h. t.*

3. Quamvis autem traditio ad hujus contractûs perfectionem deſideretur, non tamen præcisè veram intervenire neceſſe eſt; ſed & ficta ſufficit, veluti ſi convenerit inter deponentem & depoſitarium, ut nummi antea depoſiti in poſterum ſint mutui. *l.* 9. *§ ult. l.* 10. *ff h. t.* Vel ſi rogatus mutuam dare pecuniam corpus aliquod dederit roganti vendendum, eâ lege ut pecuniam inde redactam haberet mutuam. *l.* 11. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 19. *ff. de praſcript. verb.* Reſp. ibi res quidem erat vendenda tradita, ac vendita, ſed pretium rei non erat roganti numeratum. Atque ideo non motuum ſed alius contractus erat. Obſt. *l.* 34. *verſ. his argumentum. ff. mandati.* Reſp. ibi etiam roganti mutuum res quidem erat vendenda tradita; ſed non erat hoc inter dantem rem vendendam & accipientem actum, ut pretium inde redactum mutuum eſſet; licèt rem vendendam tradens voluerit pretium inde proveniens mutuum dare vendenti, adeóque minus eſt in conventione quæ proponitur in *d. l.* 34. quàm in eâ quæ eſt in *d. l.* 11. Quin & ficta cenſebitur ad mutuum contrahendum interceſſiſſe traditio, ſi Procurator, qui nummos à domini debitoribus exegerat, cum domino præſente non abſente conveniat, ut nummi exacti deinceps penes ſe mutui ſint. *l.* 15. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 34. *pr. ff. mandati.* Reſp. ibi caſus proponitur, quo inter dominum & procuratorem *abſentem* per *epiſtolam* ita convenerat; quo in caſu ficta traditio concipi non poterat, cum nec vera inter abſentes fieri potuiſſet *arg. l.* 43. *§.* 2. *ff. de furtis.* (IV, V, VI.)

4. Mutuum dare poteſt dominus liberam habens rei illius, quam dat, adminiſtrationem: vel alius domini nomine: quo caſu domino nummorum obligatio ex mutuo acquiritur. *l.* 2. *C. per quas perſon. cuique acquir. arg. l.* 4. *C. ſi cert. pet.* Quin imo, ſi dominus ſuos nummos tanquam ad Titium pertinentes Titii nomine mutuos dederit, ſive ſciente Titio ſive ignorante, mutuum tamen contractum videbitur & condictio Titio quæſita. *l.* 9. *§.* 8. *ff. h. t.* (VII.)

5. Non tamen mutuum dare poteſt pupillus ſine tutoris autoritate. *§.* 2. *Inſt. quib. alien. lic. l.* 19. *§.* 1. *ff. h. t.* nec præſides eorúmque miniſtri, qui ad tempus, non perpetuò, funguntur officio. *l* 33. 34. *ff. h. t.* nec etiam quiſquam nummos alienos ſuo nomine ſine domini voluntate. *l.* 13. *ff. h. t.* quippe quos extantes dominus vindicare poſſet; bonâ fide conſumptos condictione repetere, de conſumptis malâ fide ad exhibendum agere. *l.* 11. *§. ult. ff. h. t.* vel etiam conſumptos condicere,

ceſsâ per eum qui dedit condictione. *l. 2. C. ſi cert. pet.* quæ danti erat ex conſumptione quæſita. *l.* 13. *ff. h. t.* [VIII, IX.]

6. Accipere mutuum poſſunt omnes, qui & obligari: etiam Univerſitates ac Civitates per ſuos Adminiſtratores. Ut tamen hæ non aliter obligentur ex mutuo per Adminiſtratores accepto, quam ſi probetur mutuum in rem earum verſum eſſe; alioquin ipſi potius Adminiſtratores ſuo nomine eſſe conveniendi. *l. 27. ff. h. t.* Obſt. *l.* 6. §. 1. *ff. de negot. geſt.* Reſp. *nullâ actione* ſc. negotiorum geſtorum, de quâ ibi quæſtio erat, conveniri poſſunt. Sed nec Præſides prohibiti mutuum accipere. *l.* 34. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 16. *C. ſi cert. pet.* Reſp. agit de Judice, coram quo litigatur, qui videretur hoc modo corrumpi. (XI, XII.)

7. Effectus mutui ex parte dantis eſt dominii translatio: in mutuo enim corporum datorum alienationem contingere expeditum eſt. *pr. Inſt. quib. mod. re contrah obl. l.* 41. *in med. ff. h. t.* Unde & dubitatum fuit, an mutuum eſſet, ſi tibi pecuniam donaſſem, ut eam mihi crederes, túque credideris; eò quòd nummi, quos donaveram, ut reciperem, non videbantur alienati: *arg. l.* 55. *ff. de ſolut.* adeóque nec mutui. Sed benignè receptum fuit tale mutuum valere. *l.* 20. *ff. h. t.* nec obſt. *d. l.* 55. *ff. de ſolution.* ea enim obtinet, ſi nulla ad accipientem utilitas perveniat; alioquin dominium etiam breviſſimo temporis ſpatio tranſire atque redire poſſe, ſi quæ inde naſcatur utilitas, apparet ex *l.* 58. *ff ſolut. matrim.* quo modo & in caſu propoſito utilitas in eo eſt, quòd accipiens ex donato, iterúmque mox mutuo dans, obligationem ſibi ex mutuo acquirit. (XIV.)

8. Ex parte accipientis mutui effectus eſt, quod ſeſe danti mutuatarius obliget, & ex eâ obligatione naſcatur certi condictio. *pr. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* licet & ex aliis cauſis, quibus certum petitur [id eſt, de quo apparet quid, quale & quantum ſit. *l.* 6. *ff. h. t.*] competat. Quæ quidem ex mutuo condictio actio perſonalis ſtricti Juris eſt, competens mutuanti ſi dominus nummorum fuerit; nam ſi alienos dederit, dans non niſi poſt eorum conſumptionem condictione uti poteſt; niſi ſtipulatus eſſet ſibi eos reſtitui, quo caſu etiam iis exſtantibus ex ſtipulatu ageret. *l.* 56. §. 2. *ff. de fidejuſſ. l.* 13. *ff h. t. l.* 2. 7. *C. ſi cert. pet.* adversùs mutuatarium, & ſi plures ſint, contra ſingulos pro ratá, licèt uni tantùm numeratio facta eſſet. *l.* 5. *C. ſi cert pet.* Ad id ut tantumdem, ſeu res eadem in genere ejuſdem bonitatis & quantitatis reſtituatur, non plus quàm datum eſt, licèt id pacto actum eſſet, ut plus redde-

redderetur, veluti pro decem aureis mutuo datis undecim reciperentur. *l.* 11. *ſ.* 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 48. *ff de pactis.* Reſp. valet pactum rerum traditioni adjectum quatenùs valere poteſt, non ad agendum ſed excipiendum: quâ ratione fieri poteſt, ut minùs quàm datum eſt in mutuo reſtituatur, dum id actum, ut pro decem mutuo datis novem reddantur. *d. l.* 11. *ſ.* 1. *ff. h. t.* (XV, XVI, XVII.)

9. Reſtituenda verò in mutuo ſimul & ſemel tota quantitas: neque enim particularem ſolutionem, ſeu per partes factam, creditor invitus tenetur admittere, niſi id actum ſit. *l.* 41. *ſ.* 1. *ff. de uſuris. l.* 9 *C. de ſolution* aut pars debiti liquida ſit, pars illiquida, qui caſus eſt in *l.* 21. *ff. h. t.* Obſt. *l. ult. ff. quid mod. pign. vel hypoth. ſolv.* Reſp. ibi diverſa erant debita. Obſt. *l.* 4. *ſ.* 6. *ff. de ſtatu lib. l.* 4. *C. de collat. fund. patrimon.* Reſp. exceptiones ſunt favore libertatis, & ut ſubleventur tributis onerati. (XXI.)

10. Eſt & reſtituenda res ejuſdem generis, non aliud pro alio, niſi creditori conſentienti. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Pecuniam tamen nemo regulariter reſtituere tenetur in eâdem monetâ, niſi id actum ſit, ſed alios æquè probos ſeu idem valentes dando liberatur, veluti aureos pro argenteis & vice versâ *arg. l.* 65. §. 1. *ff de verb. obl.* junct. *l.* 94. *ſ.* 1. *ff. de ſolution.* modò caveatur, ne damnum patiatur mutuans, fortè nimium minutâ monetâ redditâ, vel aliter *l.* 99 *ff. de ſolution.* Quòd ſi monetâ vel in materia, id eſt bonitate intrinſecâ, vel in valore extrinſecus autoritate publicâ impoſito mutata fuerit, id totum periculo & commodo debitoris ſeu mutuatarii cedere putem; ſic ut valore ſingulorum nummorum aucto pauciores, eo vero diminuto plures mutuanti reddere teneatur; cùm non corpora ſed quantitates in pecuniâ ſpectentur. *arg. l.* 94 §. 1. *ff. de ſolut. l.* 1. *ff. de contrah. empt.* niſi aliud tempore mutui dati actum ſit. *arg. l.* 3 *ff. h. t.* Obſt. *l.* 22. *ff. de ſolution.* Reſp. mutuans non patitur hoc modo damnum; cùm eandem quantitatem, quæ ſola in nummis quâ nummis conſideratur, recipiat, licèt diverſæ formæ vel materiæ corporibus inhærentem: præcipuè, cùm ex pluribus monetæ ſpeciebus una tantùm mutata eſt, reliquis in ſuo manentibus. (XVIII, XXII, XXIII, XXIV, XXV.)

11. Quòd ſi res ejuſdem bonitatis haberi nequeant, vel mutuantis interſit ob moram factam eaſdem res in genere non reddi, æſtimatio præſtanda eſt, de qua *ad tit. de condict. tritic.*

12. Eſt & mutuum aliquod præſumptum: cùm quis chirographo confeſſus eſt, ſe mutuam accepiſſe pecuniam ſpe fu-

turæ numerationis, quæ tamen ſecuta non eſt. Atque tunc præſumptioni tali, pro ſcripturæ veritate militanti, opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ intra biennium opponenda, ex quo ſcriptum eſt: quo caſu privilegiata erit, onus probandi rejiciens in actorem, qui numerationem dicit eſſe ſecutam. *l.* 14. *C. de non num. pecun.* Quæ omnia & tunc obtinebunt, cum ſine ſcripturâ coram teſtibus quis numerationem, quæ non eſt ſubſecuta, confeſſus fuerit: eò quòd non tam ſcripturæ, quam confeſſioni numerationis exceptio opponitur, *arg. l.* 9. 10. *C. de non num. pecun* §. 2. *Inſt. de except.* nec aliâ de causâ in *Inſt. tit. de litter. obl.* ſcripturæ fit mentio, quàm quia ut plurimum confeſſiones hujuſmodi in ſcriptis, rariùs ſine ſcripto fiunt. (XXX, XXXI.)

13. Quòd ſi is, qui chirographum poſſidet, intra biennium ex eo non experiatur, ſic ut exceptio nequeat opponi non agenti; chirographum ipſum condicendum eſt, ſi præſens ſit poſſeſſor ejus. *l ult. C. de condict. ex lege.* ſin abſens ſit aut latitet, adversùs eum querela coram Judice interponenda, per quam perpetua redditur hæc privilegiata exceptio. *l.* 14 §. 4. *C. de non num. pecun.* (XXXI.)

14. Extra hos caſus privilegiata quidem poſt biennium evaneſcit exceptio: ſimplex tamen ſive doli ſi non numeratæ pecuniæ exceptio, cui ex communi exceptionum naturâ cohæret onus probandi, non deneganda videtur ei, cui numeratio facta non eſt. *arg. l.* 3. *C. de non num. pecun.* junct. *l.* 5. §. *ult.* & *l.* 2. §. 3. *ff. de doli mal. & met. except* præſertim cum exceptio defenſionis ſpecies ſit, jure naturæ nulli adimenda. Obſt. *l.* 8. 14. *C. de non num. pec.* Reſp. illæ & aliæ plures ll. de privilegiatâ exceptione intelligendæ, quippe de quâ agit toties ille tit. Obſt. locus non eſt jurijurando poſt biennium. *d. l.* 14. § 3. Reſp. id ſingulare, quia jusjurandum extraordinarius probandi modus eſt; ſed ideo reliquæ probationes ordinariæ non ſunt excluſæ. (XXXIII, XXXIV.)

15. Ceſſat tamen exceptio hæc, ſi quis jam ſolverit partem debiti ſcripturâ comprehenſi. *l.* 4. *C. de non num. pecun.* nec obſt. *l.* 2. *C. de tit.* neque enim illic mutuatarius quicquam reſtituerat, ſed conquerebatur de majori quantitate chirographum conſcriptum eſſe, quàm quæ verè numerata erat. Ceſſat &, ſi quis tranſactionis causâ pecuniam promiſerit. *l.* 11. *C. eod.* ſi argentario ſcripſerit ſeu confeſſus ſit ſibi numeratum eſſe *nov.* 136. *c.* 5. Nec locum habet in depoſito & apochis publicarum functionum (in privatorum apochis per

dies

dies triginta huic exceptioni locus eſt) *l.* 14. §. 1. 2. *C. eod.* Denegatur quoque, ſi confeſſio facta ſit ex causâ antecedente, vel ſi pro antecedente debito pignus fuerit conſtitutum, quibus in caſibus ipſe confeſſus probare tenetur, ſibi pecuniam non eſſe numeratam. *l.* 5. *l.* 13. *C. eod.* Non tamen ceſſat per renuntiationem; quippe quæ eâdem fit facilitate, quâ confeſſio; niſi diverſis temporibus ſæpius quis renunciet. *arg. l.* 22. *C. ad Senatuſc. Vellejan.* (XXXII.)

16. Quòd ſi quis numerationem factam neget, & mendacii convincatur, in duplum tenetur. *auth. contra C. eod.*

17. *Moribus.* Si decem mutuo dentur, ut undecim reddantur, undecim peti poſſunt, cum hodie ex nudo pacto detur actio; niſi ita excederetur legitimus uſurarum modus. Convenienter autem antedictis, apud nos exceptionem non numeratæ pecuniæ non tantùm poſt biennium opponi, ſed & per jurisjurandi delationem probari poſſe judicatum eſt. Cenſent etiam probandi onus incumbere ei, qui numerationem confeſſus eſt, licèt intra biennium exceptioni renuntiaverit. Non obſtante tamen hâc exceptione, proviſionalis ſolutio ei, qui ſuum agnovit chirographum, interim injungi ſolet.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 1. *de rebus creditis & jurejurando tit.* 2. *ſi certum petatur. tit.* 30. *de non numeratâ pecuniâ.*

TIT. II.

De Jurejurando ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali.

1. JUsjurandum eſt *religioſa Divini Nominis invocatio in teſtimonium veritatis.* Quod præſtant, qui, quid agant, intelligunt: vel in ſua vel in alterius animâ; veluti procuratores in animâ domini. *arg. l.* 9. §. *pen. ff. h. t.* Idque per Deum, non deaſtros. Proinde, ſi quis jusjurandum improbatæ religionis detulerit, nihil agitur, licèt juratum ſit. *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* ſed ſi quis jusjurandum ſimpliciter detulerit, adverſarius autem ſuperſtitioſum ex ſuâ religione præſtiterit, ei ſtandum erit. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Potuit tamen quis de Jure Romano jurare per genium aut ſalutem Principis. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t. l.* 2. *C. h. t. de reb. cred. & jurejur.* ut & per caput, per ſalutem ſuam

ſuam aut filiorum. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. 5. *ff. h. t.* quibus in caſibus videtur per Deum juraſſe. *l.* 33. *ff. h. t.* & adſtringet hujusmodi jusjurandum eos, qui hæc ſuperſtitioſa probant ac venerantur. *d. l.* 5. *pr. d. l.* 33. *ff. h. t.* Cæterùm Chriſtianos vel ſimpliciter jurare, vel tactis Sacroſanctis Evangeliis, moris fuit. *nov.* 74. *c.* 5. *nov.* 124. *c.* 1. [I, II.]

2. Eſt autem jusjurandum vel *aſſertorium* vel *promiſſorium*. Promiſſorium dicitur, quod futura negotia concernit, ut major iis firmitas accedat: quale eſt Tutorum, Curatorum, Subjectorum, Vaſallorum, Judicum, Advocatorum, Militum, aliorúmque: ut & pactis ac conventionibus aliiſque ſimilibus appoſitum jusjurandum: quod de Jure Romano ſequitur naturam actûs cui apponitur, nec confirmat ea, quæ per invalida aut nulla aut infirmanda ſunt. *l.* 7. § 16. *ff. de pact. l.* 5. *C. de legib.* (excepto caſu *l.* 1. *& auth. ſacramenta pub. C. ſi adverſ. vend. & l.* 7. *ff. de oper. libert.*) Obſt. *l.* 41. *C. de tranſact.* Reſp. ibi non ex jurejurando, ſed vel ſtipulatione vel contractu innominato, quo firmata erat tranſactio, actio datur, niſi quis malit & hìc exceptionem ſtatuere. Obſt. *l.* 8. *ff. de condit. inſtitut. l.* 26. *ff. de condit. & demonſtrat.* Reſp. ibi jusjurandum tantùm conſideratur tanquam conditio *ſine quâ non*, ut loquuntur; uti & in *l.* 39. *ff. h. t. l.* 6. *C. commun. utriuſque jud.* (IV, V, VI.)

3. Aſſertorium jusjurandum eſt, quod præſentia vel præterita reſpicit negotia. Et vel *veritatis* eſt, vel *affectionis in litem*, de quo tit. ſeq. Aſſertorium veritatis vel à teſtibus præſtatur, de quo alibi: vel à partibus; & hoc rurſus vel *voluntarium eſt*, vel *judiciale*, vel *neceſſarium*, juxta hujus tit. inſcriptionem. Voluntarium dici poteſt, quod pars parti defert vel refert extra judicium; idque vel ex conventione, quo caſu delatum adverſario referri nequit. *l.* 17. *ff. h. t.* vel ſine præviâ conventione: quo caſu referri quidem poteſt, ſed is, cui relatum eſt, ad jurandum cogi nequit, cùm necdum aditus ſit Judex, qui cogat. [VII.]

4. Judiciale eſt, quod pars parti defert vel refert in Judicio, accedente interlocutoriâ Judicis Sententiâ. *l.* 12. §. 1. *C. h. t.* quod fieri poteſt vel ab actore vel à reo, ante & poſt litem conteſtatam uſque ad ſententiam. *l.* 12. *C. h. t.* licèt jam teſtes & inſtrumenta producta ſint, ſed nihil iis probatum. *l.* 35. *ff. h. t. l.* 12. *C. eod. l. ult. C. de fideicommiſſ.* Obſt. *l.* 4. *C. de edend. l.* 2. *C. de probat.* Reſp. Actor in probatione tum demum cenſetur defeciſſe, cùm nec per jusjurandum probare potuerit. *arg. l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* (VII.)

5. De-

5. Deferunt autem hoc jusjurandum voluntarium ac judiciale omnes liberam habentes rerum adminiſtrationem; domini, tutores, curatores, procuratores generale cum liberâ, vel ſpeciale mandatum habentes. *l.* 17. §. 2. 3. *ff. h. t.* defenſores civitatum & collegiorum, ſi ad id mandatum habeant. *l.* 34. §. 1. *ff h. t.* Non pupilli ſine tutoris autoritate. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* nec illi, qui cùm priùs detuliſſent jusjurandum, illud necdum acceptatum revocarunt, probationibus confiſi, ſi iterum poſtea deferre velint. *l.* 11. *C. h. t.* nec ſervi in dominorum præjudicium, ſi liberâ careant peculii adminiſtratione. *l.* 5. §. 2. *ff. de peculio.* eam enim ſi habeant, æquè domino prodeſſe vel nocere poſſunt deferendo jusjurandum, ac filiif. ſuo patri. *l.* 20. 21. 22. *ff. h. t.* Minores annis 25. ſi curatore deſtituti illud adverſario detulerint, reſtitutionem petere non vetantur. *l.* 9. §. 4. *ff. h t.* Obſt. *auth. ſacramenta pub. C. ſi adverſ. vend.* Reſp. illa denegat reſtitutionem jurantibus, at non jusjurandum deferentibus. (VII, XI, XII.)

6. Defertur verò omnibus, cujuſvis ſexûs & ætatis, etiam impuberibus, quatenus id ratum eſt, quod juraverint. *l.* 26. *ff. h. t.* at non ad eum effectum, ut pupillus, cui delatum eſt, vel jurare tenetur vel jusjurandum referre, qui ſenſus eſt. *l.* 34. §. 2. *ff. h. t.* Non procuratoribus, defenſoribus aut hæredibus de domini vel defuncti facto. *l.* 34. §. 3. *ff. h. t. l.* 12. *C. h. t. arg. l.* 9. §. 3. 4. *l.* 19. *ff. de interrog. in jure fac.* ſi tamen delatum ſit, & hi jurare parati ſint, valebit quod juratum eſt. *l.* 9. §. 6. *arg. l.* 23. *ff. h. t.* (IX.)

7. Cæterùm locum habet hæc delatio in omnibus cauſis civilibus perſonalibus & realibus, rei perſecutoriis & pœnalibus, etiam famoſis *l.* 3. §. 1. *l.* 9. §. 2. *l.* 28. §. 5. 6. 7. *pen. ff. h. t.* non in criminalibus, ob metum perjurii. (X.)

8. Delatum autem ab adverſario jusjurandum vel præſtandum eſt regulariter, poſtquam deferens ipſe priùs de calumnia juraverit. *l.* 34. §. 4. *ff. h. t.* vel referendum; cùm turpitudinis manifeſtæ ſit nec jurare velle nec jusjurandum referre. *l.* 28. *ff. h. t.* Neque neceſſe eſt ut & referens jusjurandum calumniæ priùs præſtet: nec ei rurſus poteſt id, quod ipſe retulit; ſed qui detulit, poſt relationem præcisè jurare tenetur; alioquin cauſâ cadit. *l.* 34. §. 7. *ff. h. t.* (XIII.)

9. Sunt tamen in Jure caſus, quibus jusjurandum delatum referri nequit, ſcilicet, ſi is, cui id delatum, vel ſolus meliùs noverit negotium, de quo diſceptatur. *l.* 11. § 2. *ff. de act. rer. amot.* Sunt & juſtæ cauſæ ob quas id, quod defertur, nec præſtan-

præſtandum eſt nec referendum : puta ſi de calumniâ deferens jurare nolit. *l.* 34. §. 4 *ff. h.t.* Si jam plenè probatum ſit; eò quòd jusjurandum ob defectum probationum receptum eſt. Si delatum ſit ei, qui in eo loco non ſortiebatur forum competens. *l.* 35. §. *ult. ff. h. t.* Denique ſi deferens non habuerit deferendi jus. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* (XIV, XV.)

10. De cætero quisquis delatum nec præſtare nec referre vult, à judice condemnandus eſt; ita tamen, ut ei ſuperſit appellationis remedium, dum fortè minùs rectè ſibi jusjurandum delatum exiſtimat. *l.* 12. §. 2. *C. de rebus credit.* ceſſante hoc in caſu ratione appellationis denegandæ; cùm tranſactum non videatur, ubi non eſt juratum. Quòd ſi de jurandi modo inter litigantes haud conveniat, Judex partes interponens arbitrari ſolet, quo modo jurandum ſit. *l.* 34. §. 5. *ff. h. t.* [XVI.]

11. *Neceſſarium* jusjurandum eſt, quod ob defectum probationis Judex, parte etiam non petente, defert actori vel reo. *l.* 31. *ff. h. t.* idque in cauſis civilibus, non criminalibus, in quibus quæſtioni locus eſt, & luce meridianâ clariores deſiderantur probationes. *l. ult. C. de probat.* ac perjurium meritò metuitur. (XXVII, XXVIII, XXIX.)

12. Eſt verò hoc *neceſſarium* ſecundùm DD. vel *ſuppletorium*, quod Judex defert ei qui ſemiplenè vel ſaltem non plenè probavit, cum illa probatio non eſſet per præſumptiones eliſa, vel *purgatorium*, quod Judex ei defert, contra quem nonnullæ leviores militant præſumptiones, ut ſe ab iis liberet. Nec hîc præſtandum calumniæ jusjurandum; cùm adverſarius non deferat, & in Judice deferente ceſſet calumniæ ſuſpicio.

13. Effectus jurisjurandi voluntarii & judicialis præſtiti, vel, cum ſuſceptum eſſet, per adverſarium remiſſi [*l.* 8. *C. h. t.*] eſt, quod reo, qui juraverit, competat exceptio jurisjurandi. §. 4. *Inſt. de except.* niſi ad judiciale acceſſerit inſuper Judicis ſententia, quo caſu magis utilis danda rei judicatæ exceptio. *l.* 8. *C. de reb. cred.* Obſervandum enim ſententiam quidem poſt judiciale jusjurandum plerumque ſequi. *l.* 34. §. *ult. ff. h. t.* non tamen id neceſſitatis eſſe; cum ipſum jusjurandum tranſactionem & deciſionem abunde contineat. *l.* 2. *l.* 31. *ff h. t. l.* 56. *ff. de re jud* tranſactio verò litem cæptam dirimat ſine ſententiâ ſubſequente. *arg. l.* 2. *ff. ſi quis caut. in jud. ſiſt.* [XVII.]

14. Quòd ſi jus ſuum jurejurando actor aſſeruerit, in factum actionem ex jurejurando, vel ſecutâ ad judiciale condemnatione,

tione, utilem rei judicatæ actionem eſt habiturus. *l.* 8. *C. de reb. cred. l.* 9. §. *ult. ff h. t.* §. 11. *Inſt. de action.* Nec poſtmodum inquiritur, an debeatur, ſed id tantùm, an juratum ſit, ſive verè ſive falsò. *d.* §. 11. *Inſt. de act. d.* §. 4 *Inſt. de except.* Sic ut nec appellationi locus ſit, nec propter inſtrumenta noviter reperta aut perjurii prætextu reſcindatur jusjurandum. *l.* 31. *in fin. ff h t. l. pen.* §. 1. 3. *C. h. t. l.* 21. *ff de dolo.* Obſt. pejerans in dolo eſt, qui ſic ei prodeſſet. Reſp. poteſt quis etiam errore ſine dolo pejerare: & ſi dolo perjurium ſit præſtitum, forſitan ex causâ doli fiet reſciſſio. *arg. l.* 19. *C. de tranſact.* junct. *l.* 2. *ff h. t.* Si tamen non inſpectis teſtamenti tabulis quis ſibi quid legatum eſſe juraverit, iis verò poſtea inſpectis nihil relictum inveniatur, nihil quoque jurans ex eo conſequetur perjurio. *l. ult. C. h. t.* & ſi quis fraudulenter jusjurandum debitori ſuo in fraudem creditorum detulerit, exceptione doli creditores fraudati contra jurantem utì poſſunt. *l.* 9. §. 5. *ff. h. t.* (XVIII, XXV.)

15. Hæc autem in factum actio ſemper in perſonam eſt, cum ex quâdam conventione naſci videatur. *l.* 26. §. 2. *ff. h. t.* ac proinde non contra quoſvis rei, de quâ juratum, poſſeſſores, ſed inter eos ſolos, inter quos juratum eſt, competit. *l.* 9. *in fin. l.* 10. *l.* 11 *ff. h. t. l.* 7. §. 7. *ff. de Public in rem act.* idque in ſimplum, etſi negotium, de quo juratum eſt, tale ſit, ut inficiatione lis creſcat in duplum. *l.* 30. *ff. h. t.* Quamvis de cætero hæc actio ſit tantùm adjectitia qualitas priſtinæ actionis ſive in rem ſive in perſonam competentis. *d. l.* 9. *in fin l.* 10. 11. *ff. h. t. l.* 7. §. 7. *ff. de Publ. in rem act.* quàm & ideo nec novat nec tollit jusjurandum præſtitum, ſed magìs hanc in factum actioni priſtinæ adjicit. *l.* 7. §. 7. *ff de Publ. act. l.* 13. §. 3 5. *ff. h. t. l.* 25 §. 1. *ff. de conſtit. pecun.* adeò ut impropriè ad novationis ſpeciem jusjurandum referatur in *l.* 26. §. 2. *ff. h. t.* nec alio fortè ſenſu quàm quatenus nova qualitas actioni ante competenti accedit. [XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV.]

16. Neceſſarii jurisjurandi effectus eſt, quod vim probandi in judiciis obtineat, & ad illud ſequi debeat Judicis ſententia; ex quâ deinde actio & exceptio directa rei judicatæ datur. Ut tamen admiſſa ſit hîc appellatio, & propter perjurium ac inſtrumenta noviter reperta impetretur reſciſſio. *l* 31. *ff. h. t.* (XXX.)

17. Licèt autem de perjurio nullo modo in voluntario vel judiciali juxta ante dicta, & difficiliùs in neceſſariò jurejurando quæratur: licèt inſuper pejerans per Principis venera-

nerationem læſæ Majeſtatis reus non ſit. *l. 2. C. h. t. l. 2. C. ad leg. Jul. Majeſt.* non tamen ideo perjurium extra omnem pœnam eſt. *l. 22. ff. de dolo.* nam & infamiâ notatos perjuros legimus. *l. 41. C. de tranſact.* & extra ordinem verberatos, criminis falſi & ſtellionatûs reos poſtulatos, ac ad damnum perjurio aliis illatum reparandum condemnatos. *l. 13. C. de teſtibus. l. ult. ff. ſtellionatus.* ulterioribus pœnis interim Deo ultori relictis. *l. 2. C. h. t.* (XXXII.)

18. *Moribus.* Nullum hodie admittitur jusjurandum extrajudiciale, ſed tantùm judiciale; ita ut pars parti quidem deferat vel referat, ſed tamen non ante delatio illa rata ſit, quàm ſi eam judex approbaverit. Cúmque ita moribus delatio jurisjurandi non à merâ partium voluntate, ſed ſimul à concurrente Judicis autoritate & arbitrio dependeat, non mirum, quòd etiam hodie de perjurio in tali caſu, æquè ac in jurejurando per Judicem ſimpliciter delato, quæri poſſit, & à ſententiâ ad tale jusjurandum latâ appellari, ſaltem mediante reſtitutionis auxilio, ſi ex inſtrumentis noviter repertis clarè de perjurio doceri poſſit; ne perjurus aliàs ex ſuo ſcelere lucrum ſentiat: qui inſuper extra ordinem pro modo admiſſi arbitrio Judicis coërcetur.

Cæterùm apud nos vix eſt, ut permittatur, jusjurandum veritatis aut credulitatis in animâ domini per procuratorem præſtari. Jusjurandum autem per actorem reo delatum in materiâ furti aut ſimilis delicti, ac ab eo præſtitum (quod nempe illud haud commiſerit) privatam quidem actoris intentionem perimit, at non accuſationem ad pœnam publicam per Fiſci Advocatum alióſque ſimiles inſtituendam; quæ non obſtante jurejurando moveri poteſt. Quòd ſi quis jusjurandum detulerit, & necdum acceptatum revocaverit, iterum illud referre poteſt, impetratâ prius in integrum reſtitutione.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 1. de rebus creditis & jurejurando.*

TIT. III.

De in Litem jurando.

1. JUsjurandum in litem in genere eſt, quo propter dolum aut culpam adverſarii non reſtituentis aut exhibentis, aut non ſolventis, aliquis rem ſuam aut ſibi debitam æſtimat. *l. 2. §. 1. l. 3. ff. h. t.* Et vel veritatis eſt vel affectionis. Veritatis jusjurandum in litem eſt, quod à Judice defertur actori,

ri, ſi res culpâ rei perierit aut deterior facta ſit, vel etiam dolo in Judiciis ſtricti Juris. Eóque res æſtimanda ex communi hominum opinione, quanti verè eſt, ſeu quanti verè intereſt actoris: ac in omnibus bonæ fidei arbitrariis & ſtricti Juris actionibus locum habet. *l.* 5. *pr.* & §. *ult. ff. h. t.* etiam quandoque in rebus fungibilibus. *l.* 3. *ff h. t.* Si tamen deferente Judice actor jurare declinet, ipſe Judex æſtimabit. *arg. l.* 71 *ff. de rei vind.* imo, ſi Judex ſatis commodè æſtimare poſſit, non rectè jusjurandum defert actori. *l.* 4. §. *ult. l.* 5. §. *ult. l.* 6. *ff. h. t.* (I.)

2 Affectionis jusjurandum in litem dicitur, cùm ob dolum aut contumaciam adverſarii non reſtituentis, res in Judicium deducta æſtimatur ab actore ultra verum pretium *l.* 1. *ff. h. t. l.* 2. *C. h. t. l.* 68. *ff. de rei vind.* ob levem planè culpam huic jurijurando locus non eſt. *l* 4. §. *ult. l.* 5. §. 3 *ff. h. t.* excepto fortè caſu in tutore, favore pupilli in *l. pen. C. h. t.* Eſt autem hoc deferendum à Judice *l.* 4 §. 1. *ff h. t.* actori, qui dominus eſt, vel ſaltem ſuo nomine litem eſt conteſtatus: non procuratori. *l.* 7 *ff h t.* nec impuberi Pubes, ſi velit, jurare poteſt, ut & tutor: qui tamen ſi jurare noluerit, eo nomine pupillo non tenetur. *l.* 4. *ff. h. t.* Mater ne volens quidem pro pupillis ad hoc jusjurandum admittitur. *d. l.* 4. & hæres de ſuâ, non defuncti, affectione jurat. (II, III.)

7. Juratur autem contra doloſum aut contumacem, non contra hæredes ex contumaciâ dolove defuncti, cùm hoc jusjurandum contumaciæ pœnam contineat. *l.* 8. *ff. h. t.* niſi lis cum defuncto ſit conteſtata. *l.* 4 *C. h. t.* Habétque locum in omnibus Judiciis bonæ fidei & arbitrariis, in quibus de reſtituendo vel exhibendo agitur, ſive in rem ſive in perſonam. *l.* 2. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 68. *ff. de rei vind.* Vide *l.* 7. *ff ſi ſervit. vind. l.* 16. §. 3. *ff. de pign. & hyp. l.* 18. *de dolo.* Non in aliis, velut emptione, & contrariis commodati, depoſiti, ſimilibúsque Judiciis, in quibus non venit res reſtituenda. *l.* 5. *ff. depoſiti.* Nec denique in ſtricti Juris actionibus. *arg. l.* 5 *pr.* & *l.* 6. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 5. *in fin h. t.* Reſp. agit de jurejurando veritatis, non affectionis. Obſt. *l.* 9. *ff. h. t.* Reſp. etiam ibi de ſimplici æſtimatione, quæ ex veritate, non affectione fit, quæſtio eſt. Obſt. *l.* 8. §. 1. *l.* 9. *ff. de act. rer. amot.* Reſp. eadem ſolutio eſt, & in *l.* 9. legendum, *invictum non ſuo pretio*, &c. [IV, V.]

4. Jurari verò poteſt hîc in infinitum: quanquam & judici liberum eſt vel ab initio certam præfigere quantitatem, in-

tra quam juretur; vel quia hîc de perjurio, licèt non facilè, quæri poteſt. *l. ult. ff. h. t.* etiam minoris poſteà condemnare reum, nec ſequi jusjurandum; imo & planè abſolvere. *l. 4. §. 2. 3. l. 5. §. 1. 2. ff. h. t.* Obſt. *Nov. 82. c. 10.* Reſp. ibi de jurejurando veritatis, quo declarantur litis impenſæ, agitur. [VI.]

5. Cæterùm ſi reus dolo fecerit, quo minùs poſſit reſtituere, hoc jusjurandum omnino neceſſarium eſt: ſed ſi rem poſſidens eandem reſtituere contumaciter detrectet; in Judicis eſt arbitrio, utrùm actori hoc velit jusjurandum deferre, an jubere rem auferri manu militari. *arg. l. 5. §. 1. ff. h. t.* junct. *l. 68. ff. de rei vind.* Et ſi propter dolum deſinentis poſſidere jam præſtita fuerit æſtimatio jurejurando determinata, jurans tamen ſolventi actiones præſtare non cogitur, nec ſolvens contra poſſeſſores Publicianam habet actionem. *l. 63. 69. 70. ff. de rei vind* (VII.)

6. *Moribus.* Jusjurandum in litem affectionis hodie vix obtinet, &, ſi res reſtituenda manu militari auferri nequeat, dum fortè dolo poſſeſſoris periit, ſolent plerúmque Judices id quod intereſt ex bono & æquo ipſi æſtimare ac ſtatuere.

* Adde *ex Cod. l. 5. tit. 53. de in litem jurando.*

TIT. IV.

De Condictione causâ datâ causâ non ſecutâ.

1. Condictio in genere eſt omnis actio perſonalis, vindicationi oppoſita §. 15. *Inſt. de action.* cujus ſpecies eſt condictio hæc causâ datâ causâ non ſecutâ; actio nempe perſonalis, quâ id quod ob cauſam futuram (non præteritam) datum vel collatum vel accepto latum eſt, repetitur, quia ea cauſa non eſt ſecuta. *l. 10. 14. ff. h. t. l. 52. ff. de condict. indeb.* modò cauſa expreſſa ſit, non in mente retenta. *l. 7. C. h. t.* Competens danti & hæredibus contra accipientem & hæredes ad rei datæ reſtitutionem cum fructibus & acceſſionibus *l. 12. ff. h. t.* non uſuris ex mora. *arg. l. 1. C. de condict. indeb.* I, II, III)

2. Cauſa autem non ſequitur, vel quia alter præſtare non vult, cum poſſet; eoque caſu locus eſt huic condictioni, modò elapſum ſit tempus præfixum. *l. 3. §. 2. ff h. t.* vel quia præſtare

præſtare non poteſt, nec per eum ſtat, quo minus poſſit; quo caſu hæc quidem ceſſat condictio, ſed tamen condictioni ex pœnitentiâ locus eſt, etiam ſæpe poſt interitum rei, quæ viciſſim danda, vel in quâ aliquid faciendum erat. *l.* 3. §. 2. 3. *l.* 5. §. 1. 2. *l. ult. ff. h. t.* in contractibus enim innominatis à datione incipientibus, qui & hujus tituli fundamentum ſunt, licita eſt pœnitentia, quamdiu res eſt integra. *l.* 5 *ff. h. t.* adeò ut ad hæredes tranſeat pœnitendi facultas. *arg. l.* 37. *ff. de acquir. hæred.* (IV.)

3. Integra verò res videtur etiam, cùm res viciſſim præſtanda caſu periit, ſed tali, quo, etſi nihil datum eſſet ut viciſſim ea daretur, fuiſſet peritura, atque ita dominus idem damnum fuiſſet paſſurus. Secus quàm obtineret, ſi occaſione dationis accipiens in re viciſſim præſtanda caſum ſit paſſus, veluti ſi accipiens ut ſervum manumittat, profectus ſit ad Præſidem ad eum manumittendum, aliàs non profecturus, & ita ſervus à latronibus in itinere occiſus ſit: neque enim tunc condictioni ullo modo locus eſt. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 10. *C. h. t.* Reſp. vel limitanda eſt ex *d. l.* 5. §. *ult.* vel dicendum, ceſſare quidem condictionem causâ datâ, de qua in *d. l.* 10. ſed non ideo protinus excluſam quoque eſſe pœnitentiam. *arg. l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* (V.)

4. Quòd ſi datum ſit ob cauſam impoſſibilem, aut ea talis eſt naturâ, aut moribus. Si naturâ, idque ſciverit dans, ceſſabit repetitio; ſin ignoraverit, condictioni locus erit. *arg. l.* 53. *ff. de reg. jur. l.* 8. *C. h. t.* Obſt. *l.* 31. *ff. de oblig. & act.* Reſp. reſtringenda eſt ad contractus nominatos, in quibus nondum dominium datione translatum erat. Sed ſi moribus ſeu jure ſit cauſa impoſſibilis, & hoc ipſum dans ignoraverit, ſi quidem errore juris, ceſſabit repetitio. *arg. l.* 7. 9. *ff. de jur. & fact. ignor. l.* 10. *C. eod.* ſin facti ignorantia, condictio dati non deneganda; quo modo intelligenda. *l.* 1. 5. 6. 9. *C. h. t.* [VII, VIII.]

5. *Moribus.* Contractus innominati non admittunt hodie pœnitentiam; ac proinde etiam ceſſabit condictio ex capite pœnitentiæ, licèt res adhuc integra ſit.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 6. *de condictione ob cauſam datorum.*

Tit. V.

De Condictione ob turpem vel injuſtam cauſam.

1. Condictio ob turpem cauſam eſt actio perſonalis ſtricti juris, quâ repetitur quod datum eſt ob factum continens turpitudinem ex parte accipientis, licèt jam turpe factum ſubſecutum fuerit, veluti ſi quis pecuniam alteri dederit, ne is delinquat, vel ut reſtituat ad quod reſtituendum jam ante erat obligatus. *l.* 1. §. 2. *l.* 2. *pr.* & §. 1. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* Competens ei qui dedit, contra accipientem, & hæredes quatenùs ad eos pervenit, ad id ut res, vel ſi ea perierit, æſtimatio ejus reſtituatur, unà cum fructibus & acceſſionibus, non uſuris. *l.* 4. *C. h. t.* (I.)

2. Denegatur tamen hæc condictio, ſi vel ſolius dantis ſit turpitudo, ut in caſu. *l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* vel ſimul dantis & accipientis, quo refer, ſi quis Judici dederit, ut pro ſe judicaret, licèt in bonâ cauſâ. *l.* 2. § *ult.* *l.* 3. *ff. h. t.* meliórque his in caſibus, velut in pari turpitudine, eſt conditio poſſidentis. *l.* 3. *l.* 8. *ff. h. t.* Quod tamen non impedit, quo minus fiſcus poſſidenti turpe lucrum extorqueat; *auth. novo jure. C. de pœna jud. qui male jud. arg. l.* 32. §. *ult. ff. de donat. inter vir. & uxor.* vel etiam tertius, cujus intereſt, ob turpem cauſam non eſſe datum. *l.* 4. § *ult.* *l.* 5. *ff. h. t.* (II, III.)

3. Condictio ob injuſtam cauſam eſt actio perſonalis, quâ repetitur id quod datum eſt ob cauſam, nullam quidem turpitudinem ſpecialem continentem, ſed tamen Jure civili improbatam. *l.* 6. 7. *ff. h. t. l.* 3. *C. de condict. ex lege.* (IV.)

4. Quòd ſi ex turpi vel injuſtâ cauſâ promiſſio tantùm facta ſit, exceptio opponi, vel cautio ſeu chirographum condici poteſt. *l.* 1. *C. h. t.* etenim ex chirographo, quo promiſſio ob turpem cauſam comprehenſa, ſummo quidem jure actio datur, ſed exceptione eliditur. *l.* 8. *ff. h. t.* *l.* 134 *ff. de verb. oblig.* Obſt. *l.* 5. *C. h. t.* *l.* 26. *ff. de verb. oblig.* Reſp. actio non datur cum effectu, atque ita effectu inſpecto non valet quod actum eſt. (V, VI.)

⋆ Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 7. *de condictione ob turpem cauſam & tit.* 9. *de condict. ex lege & ſine cauſâ vel injuſta cauſa.*

Tit.

Tit. VI.
De Condictione Indebiti.

1. Condictio indebiti eſt actio perſonalis, ex quaſi contractu. *§. pen. Inſt. de obl. ex quaſi contr.* §. 1. *Inſt. quib. mod. re contrah. obl.* quâ repetitur indebitè ſolutum. Quæ ut locum habeat, requiritur primò, ut & naturaliter & civiliter indebitum ſit, quod ſolutum eſt; nam ſi naturaliter ſit debitum, licèt civiliter indebitum, ceſſabit condictio. *l.* 64. *ff. h. t.* Quòd ſi ex die incerto an extiturus ſit aut ſub incerta conditione debitum, ante ejus exiſtentiam ſolutum ſit, condici poteſt ante diei talis aut conditionis eventum, non poſt. Sed ſi dies certus ſit, vel dies aut conditio incerta quidem quando extitura ſit, certum tamen eam quandoque extituram, ſolutum ante diem condici nequit, nec interuſurium peti, quippe quod ſequitur rei principalis debitæ naturam. *l.* 13. 16. 17. 18. 56. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Quòd ſi quis ſummo quidem Jure civili debeat, ſed exceptione perpetuâ tutus ſit, adhuc condictioni locus erit, ſi modò exceptio in excipientis favorem, non in odium alterius principaliter introducta ſit. *l.* 26. §. 3. *l.* 40. 43. *ff. h. t.* (exceptis caſibus in *l.* 33. *ff. h. t. l.* 49. §. 1. *ff. de fidejuſſ.*) Obſt. *l.* 28. *l.* 60. *ff. h. t.* Reſp. in *l.* 28. videtur ſciens indebitum ſolviſſe in verbis *ſponte ſuâ*; cui non datur repetitio. Et in *l.* 60. *ff. h. t.* caſus eſt, quo quis ſolverat ante ſententiam; adeòque eo tempore, quo & naturaliter & civiliter erat debitum: qualem ſolutionem, ſemel rectè factam, enervare non poterat poſtea perperam ſubſecuta Judicis abſolutio. Quòd ſi pars ſoluti ſit debita, pars indebita, ſola repetenda pars indebita. Unde qui alternativè duas res promiſerat, ſi utrámque ſolverit, condicit eam quam vult, electionem enim habet. *l. pen. C. h. t.* rejectâ Ulpiani ſententiâ, quæ eſt in *l.* 26. §. *pen. in fin. ff. h. t.* (IV, V.)

3. Secundò ad hanc condictionem requiritur, ut ignorans ſolverit ignoranti indebitum, nam ſi ſciens ſcienti vel ignoranti dederit indebitum, donaſſe videtur. *l.* 53. *ff. de reg. jur.* quo pertinet caſus *l.* 2. *C. de fideicommiſſ.* Si ſolvens dubitet, an debeat, adhuc repetitioni locus eſt. *l. ult. C. h. t.* unde & id quandoque expreſsâ conventione cavebatur, *ut redderetur ſi appareret indebitum. l.* 2. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 50. *ff. h. t.* Reſp.

 ibi

ibi nihil de reddendo cautum erat, & ſciebat ſolvens nihil deberi [VI.]

4. Tertiò deſideratur, ut quis ignorantiâ facti probabili ſolutionem fecerit: nam ſi juris ignorantiâ id contigerit, repetitio ceſſat. *l.* 2. 3. 10. *C. de jur. & fact. ignor. l.* 9. *C. ad leg. Falcid.* Obſt. *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *l.* 23. §. 2. *l.* 54. *ff. h. t.* Reſp. in omnibus his legibus facilè termini habiles concipi poſſunt, ut non juris, ſed facti ſit ignorantia. Obſt. *l.* 1. *ff. ut in poſſeſſ. legat. &c.* Reſp. exceptio eſt; benignè receptum illud, ut ſervetur defuncti voluntas. Obſt. *l.* 7. 8. *ff. de jur. & fact. ignor.* Reſp. ibi de *damnis amittendæ rei* agitur; at hîc per ſolutionem res jam amiſſa eſt. [VII.]

5. Competit autem hæc actio ſolventi, ejúſque hæredi, & domino, cujus mandato procurator ſolvit. *l.* 6. *l.* 12. *ff. h. t.* non procuratori aut tutori, ſi pupilli vel domini nomine ſolverint *l.* 6. §. *ult. l.* 57. *ff. h. t.* nec ei, qui debitum alienum nomine debitoris ſolvit. *l.* 44. *ff. h. t.* ſecus ſi ſuo nomine, quaſi ipſe fuiſſet debitor. *l.* 19. §. 1. *l.* 65. §. *ult. ff. h. t. arg. l.* 47. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 5. *C. de petit. hæred.* Reſp. non repetit ibi ſolvens, quia non de ſuo, ſed de rebus potiùs hæreditariis videtur ſolviſſe; unde & deducit ex hæreditate, quam reſtituit. *d. l.* 5. [VIII, IX, X.]

6. Datur contra accipientem, & ejus hæredes, etiam pupillum quatenus eſt factus locupletior. *arg. l.* 13. §. *ult. l.* 14. *ff. h. t.* non contra eos, quibus ſolutio profuit. *l.* 49. *ff. h. t.* Ad id ut res cum acceſſionibus & fructibus, non item uſuris, reſtituatur *l.* 15. *ff. h. t. l.* 1. *C. eod.* adeò ut & poſſeſſionem alienæ rei indebitè ſolutam quis poſſit condicere, licèt elapſum ſit tantum tempus, quo res potuiſſet uſucapi. *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* [XI, XII, XIII.]

7. Cæterùm probatio, indebitum eſſe quod ſolutum eſt, incumbit actori; niſi reus negaverit ſolutionem ſibi factam eſſe, & mendacii convictus ſit; vel actor ſit miles, minor, mulier, aut ruſticus, qui onus probandi rejiciunt in adverſarium. *l.* 25. *ff. de probat.* [XIV.]

8. Ceſſat hæc condictio, ſi ſolutio facta ſit ex cauſis, in quibus lis inficiatione creſcit in duplum. §. *ult. Inſt. de obl. ex quaſi contract.* ut & ſi quid datum ſit ex causâ tranſactionis vel rei judicatæ; niſi evidens ſit in tranſactione calumnia. *l.* 65. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. *C. eod.* Etiam ceſſat in caſu *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* non tamen generali renuntiatione. *l. ult.* §. 3. *ff. h. t.* [XV, XVI, XVII, XVIII, XX.]

9. Sed

9. Sed & ex adverſo caſus ſunt, quibus licèt naturalis ſubſit obligatio, ſolutum tamen condici poteſt, puta, ſi mulier ex ſuâ interceſſione ſolverit. *l.* 40. *ff h t.* ſi quis absque inſinuatione donaverit ultra quingentos aureos. *l.* 21. §. 1. *ff. de donation.* ſi legata ultra dodrantem hæres ſolverit, *l.* 9. *ad leg. Falcid.* (XVII.)

10. *Moribus.* Si quis ſciens indebitum acceperit, vix eſt ut hodie furtum faciat; adeóque non condictione furtivâ, ſed magis indebiti nudâ repetitione conveniri poteſt. Et quia ex inficiatione lis hodie non ſolet in duplum creſcere, etiam non ceſſabit indebiti condictio in depoſito miſerabili, vel damno legis Aquiliæ, & ſimilibus, quibus de Jure Romano lis ex inficiatione creſcebat in duplum.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 5. *de condictione indebiti.*

Tit. VII.

De Condictione ſine causâ.

1. Condictio ſine causâ eſt actio perſonalis, quâ repetitur res apud alium ſine causâ exiſtens, licèt antea cauſa ſubfuerit. Et vel generalis eſt, quæ cum aliis condictionibus concurrere poteſt, *l.* 1. *ff. h. t.* vel ſpecialis, quæ tunc locum habet, cum aliis locus non eſt: veluti ad repetendum chirographum, quo quis ſe obligavit, cùm pecunia numerata non eſſet, vel numerata quidem, ſed rurſus reſtitutâ. *l.* 2. 4. *C. de condict. ex lege.* ut & ſi quid datum ſit ob talem cauſam, quæ ipſo Jure nulla eſt, etiamſi tunc & dantis & accipientis concurrat turpitudo. *l. ult. ff. h.t.* (1, II.)

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 9. *de condict. ex lege & ſine causâ.*

LIBER XIII.

Tit. I.

De Condictione Furtivâ.

1. Condictio furtiva [quæ in odium furum introducta eſt, §. 14. *Inſt. de act.* & locum habet ſi res necdum vindicata vel novatio facta ſit, *l.* 10. 17. *ff. h.t.*] eſt actio perſonalis ex delicto, rei perſecutoria ex parte

 acto-

actoris, pœnalis ex parte rei, competens ei, qui & tempore furti facti, & quo actio intendatur, dominus eſt: nam ſi alterutro tempore res furtiva ad alium pertinuerit, hæc actio non datur. *l.* 10. §. 2. 3. *l.* 11. *ff. h. t.* multóque minùs ſi agere volens neutro tempore dominium habuerit; qualis commodatarius, depoſitarius. *l.* 14. §. 16. *ff. de furtis.* & fructuarius reſpectu fructuum, qui adhuc pendentes per prædonem ablati. *l.* 12. §. 5. *ff. de uſufr.* creditor tamen pignore ſurrepto, incerti condictionem habet. *l.* 12. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Datur contra furem, etiam uxorem, cum non infamet. *l.* 3. §. 2. *ff. de act. rer. amot. l.* 36. *ff. de obl. & act.* & furis hæredes licèt infantes. *l.* 2. *ff. h. t.* in ſolidum pro portione hæreditariâ, licèt nihil ex re furtivâ ad eos pervenerit. *l.* 9. *ff. h. t.* Obſt. *l. ult. C. rer. amot.* junct. *l.* 6. §. 4. *ff. eod.* Reſp. ſenſus *d. l. ult.* eſt, quod ſi plures hæredes ſint, ſinguli teneantur pro portione hæreditariâ, ſeu pro eâ parte quæ ad eos pervenit, non ex re furtivâ, ſed ex hæreditate furis. Obſt. *l.* 4. §. *ult. l.* 10. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* Reſp. per *furti condictionem* ibi deſignatur actio furti; in verbis enim *damni injuriæ furti condictio* vocabulum *condictionis* non ad furtum tantùm, ſed & ad damnum ac injuriam referendum, quatenus generaliter omnem in perſonam actionem ſignificat. §. 15. *Inſt. de act.* Contra patrem furis vel dominum non ultra competit, quam quatenus ad eos pervenit. *l.* 4. *l. pen. ff. h. t. l.* 3. §. 12. *ff. de pecul. l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. de act. rer. amot.* ſed nullo modo contra eum, qui abſque contrectatione, vel ope tantùm, vel ſolo juvit conſilio, *l.* 6. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 53. §. 2. *ff. de verb. ſignif.* Reſp. locum habet, ſi cum ope concurrat ipſius rei contrectatio. Quòd ſi plures ſimul contrectando furtum fecerint, contra ſingulos in ſolidum actio datur, ſed unius præſtatione cæteri liberantur. *l.* 1. *C. h. t.* de cætero nihil intereſt utrùm proprietatis, an uſûs vel poſſeſſionis furtum ſit factum. *l.* 16. *ff. h. t.* [IV, V, XII.]

3. Tendit ad id, ut reſtituatur res ſurrepta vel ſpecies inde facta; *l.* 13. *ff. h. t.* unà cum fructibus perceptis & percipiendis. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* ac eo quod intereſt. *l.* 3. *ff. h. t.* aut ſi res interierit, præſtetur æſtimatio, quanti ea unquam plurimi fuerit, à tempore furti facti, licèt impenſâ furis ſit melior facta. *l.* 8. *pr.* & §. 1. *l.* 13. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 2. §. 3. *ff. de privat. delict.* Reſp. tempus judicii accipiendi in fure idem eſt cum tempore moræ; cùm protinus fur cogi poſſit judicium accipere. (VI, VIII.)

4. *Mori-*

4. *Moribus.* Non tantùm domini, ſed & omnes alii, quorum intereſt, repetunt à fure rem ſibi ablatam.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 8. de condict. furtivâ.*

TIT. II.
De Condictione ex Lege.

1. CONdictio ex lege eſt actio perſonalis nata ex obligatione civili per legem novam, id eſt lege 12. tabul. poſteriorem, introducta, cui non eſt adjectum certum nomen aut forma actionis. *l. un. ff h. t.* veluti in donatione ex *l. 35. C. de donat.* ut & in *l. 30. C. de inoff. teſt. l. 1. C. h. t. l. 27. §. ult. l. 28. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 2. C. de debit. civit. §. 24. 25. Inſt. de Action.* (1, 11.)

Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 9 de condictione ex lege, &c.*

TIT. III.
De Condictione Triticariâ.

1. COndictio triticaria, forſan à tritico ſic dicta, eſt actio prætoria perſonalis, quâ rei cujuſvis corporalis vel incorporalis quomodocumque debitæ ex contractu vel delicto æſtimationem præſtandam eſſe contenditur. *l. 1. ff. h. t.* & quia pecunia numerata non æſtimatur ſed æſtimat, hinc ea ſola in hanc actionem non venit. *d. l. 1.* (1.)

2. Hæc verò condictio non planè actio videtur, ſed magis veteris actionis adjectitia qualitas: & ideo vel bonæ fidei vel ſtricti Juris vel arbitraria dici poteſt pro naturâ actionis principalis, quâ res ipſa petenda fuiſſet. Proinde ſi ea fuerit bonæ fidei, hæc quoque talis erit, & in æſtimatione facienda ſpectandum rei judicatæ tempus. *l. 3. ff. h. t.* ſin illa ſtricti Juris ſit, etiam hæc ejuſdem conditionis erit, ac in æſtimanda re litis conteſtatæ tempus attendendum. *l. 4. ff. h. t. arg. l. 3. §. 2. ff. commodat.* non, quòd præciſè litis conteſtatæ vel rei judicatæ tempora conſideranda ſint; ſed potius totum illud ſpatium, quod inter moram & litem conteſtatam aut ſententiam interceſſit; ut ita ſua cuique mora, & non alteri noceat. *arg. l. 37. ff. mandati. l. 8. §. 1. ff. de condict. furtiva.* ex quo fundamento explicandæ plures aliæ leges; puta *l. 22. ff. de reb. cred. l. 12. §. 1. ff. quis caut. in jud. fact. l. 59. ff. verb. obl. l. 37. pr. ff. mandati. l. 22. ff. obl. & act. l. 28. ff. novation.* [11, 111, IV.]

Tit. IV.

De eo quod certo loco dari oportet.

1. Si quis ſe certo loco ſoluturum promiſerit, ſummo Jure alibi in ſtricti Juris negotiis conveniri nequit. Ne tamen inutilis fiat promiſſio, introducta eſt ex æquitate *actio de eo quod certo loco l.* 1. *ff. h. t.* quæ eſt prætoria arbitraria in perſonam, quâ res negotio civili ſtricti Juris certo loco præſtanda alibi petitur, factâ tamen mentione loci, ne plus loco petatur. §. 33. *Inſt. de action.* ut Judex pro locorum diverſitate pluris vel minoris rem condemnet; cùm alibi facilior, alibi difficilior ſit rei vel etiam ipſius pecuniæ præſtatio. *l.* 2. *§. ult. l.* 3. *ff. h. t.* Quòd ſi ex negotio bonæ fidei res certo loco debeatur, huic actioni locus non eſt. *l.* 7. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Datur contra eum, qui certo loco dare promiſit, ſi ibi non det tempore conſtituto; vel, ſi nulla temporis ſit facta mentio, intra tale tempus, quo commodè ad locum deſignatum pervenire poterat. *l.* 2. §. 6. *ff. h. t. l.* 137. §. 2. *ff. de verb. obl.* etiam contra fidejuſſorem ex morâ propriâ. *l.* 8. *ff. h. t.* non ex morâ debitoris principalis; licèt ex morâ principalis ad uſuras teneatur in ſtipulatum deductas in caſum moræ, ſi in omnem cauſam fidejuſſerit: eſt enim inter uſuras & id quod intereſt hâc actione petendum ratio differentiæ in eo, quòd in ſtricti Juris Judiciis (de quibus hîc agitur) uſuræ conſiderentur non ut acceſſoriæ, ſed tanquam novum debitum ex novâ ſtipulatione, ad inducendam in ſtrictis Judiciis uſurarum obligationem neceſſariâ; id verò quanti intereſt, tantùm ſit acceſſorium unius debiti ſeu obligationis. Unde & ſolutâ parte principalis debiti, id quod intereſt tantùm peti poteſt reſpectu partis adhuc perſolvendæ; cum tamen uſuræ in ſtipulatum deductæ etiam poſt ſortem ſolutam peti poſſint, qui plenus ſenſus eſt. *l.* 8. *ff. h. t.* (III.)

3. Quòd ſi duo loca alternativè promiſſioni adjecta ſint, velut *Epheſi aut Capuæ centum*, debitoris electio eſt, in quo velit loco ſolvere, ſed eo ceſſante, creditoris eſt electio, in quo ex duobus locis velit petere, etiam ſine alterius loci mentione. *l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* & ſi facta ſit alternatio rerum & locorum, ut *centum Capuæ vel equum Epheſi*, creditor, ceſſante promiſſore, non modò loci, ſed & rei electionem habet propter locum. *d. l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* ſed ſi extra duo loca, promiſſioni

ni alternatim adjecta, creditor alibi petere velit, utriuſque loci facienda mentio. *d. l. 2. §. 2. ff. h. t.* [IV.]

4. Conveniendus autem promiſſor non in alio quocunque loco, ſed eo tantùm, in quo ſortiretur quoque forum competens, ſi loci adjectio facta non eſſet, ne alioquin durioris ſit conditionis quàm illi, qui ſine loci mentione promiſerunt; quales tantùm in foro competente conveniuntur. *arg. l. 19. §. ult. ff. de judiciis.* ſic ut in *l. 43. ff. judic.* & *l. 16. §. 1. ff. conſtit. pecun.* vocabulum *ubique* deſignare videatur omnia ea loca, in quibus ex generali legum diſpoſitione actiones intentari poſſunt. [V.]

5. Præcipuè verò in æſtimando eo quod intereſt inquirendum, in cujus gratiam adjectio loci facta ſit: etenim, ſi actoris cauſâ, etiam maximè ejus habenda ratio, ut conſequatur quanti intereſt; ut tamen reus ex æquitate plerumque ſit abſolvendus, ubi cautionem de re in loco deſtinato perſolvendâ præſtiterit. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* Sin rei promiſſoris gratiâ, id maximè curandum, ne ille in damno verſetur, licèt fortè in morâ ſit, & ſui copiam non faciat in loco adjecto. *l. 2. pr. ff. h. t.* [VI.]

6. Quòd ſi quis alibi extra locum appoſitum rem debitam acceptaverit, id quod intereſt ultra nequit exigere. *l. 8. l. ult. in fin. ff. h. t.* Obſt. *l. 2. §. 7. ff. h. t.* Reſp. ibi ſolutio facta erat adjecto, & non ſecundùm formam ſtipulationis in ipſo loco conſtituto: ac proinde non ipſo jure, ſed tantùm exceptione tutus erat ſolvens: cui poſt ſolutionem ita factam excipienti opponi jure poterat replicatio, quòd adjectus ſolutioni alio loco contra formam ſtipulationis acceptans creditoris jus reſpectu ejus quod intereſt immutare non potuerit. Invitus tamen creditor cogi nequit, ut alio quàm convento loco promiſſum acceptet, niſi ſimul id quod intereſt præſtetur. *l. pen. ff. h. t.* Obſt. *l. 137. §. 2. ff. de verb. obl.* Reſp. debitor ubique quidem ſolvere poteſt, ſed volenti creditori. [VII.]

7. Cæterùm temporis adjectio non facit, actionem dari arbitrariam, ut quidem loci mentio, licèt id quod intereſt, ibi ex morâ peti poſſit. *l. 4. ff. h. t.* nam nec Judex arbitratur, utrùm actoris an rei interſit reſpectu temporis, ſed ſolùm conſiderat quanti interſit actoris: nec ſecundò actor prohibetur poſt tempus agere ſummo jure, uti alio loco quis agere prohibitus eſt; ſic ut in tempore non militet eadem actionis arbitrariæ ex neceſſitate introducendæ ratio. [VIII, IX.]

8. *Moribus.* Si quis certo loco ſe daturum promiſerit, non

poteſt

poteſt ibi conveniri, niſi illic inveniatur aut bona habeat, quæ arreſto graventur, licèt fori privilegio renunciaſſet, & ſe ſpecialiter Judicis illius juriſdictioni ſubjeciſſet. Quòd ſi quis plus loco petat, reus ab inſtantiâ abſolvitur,& actor in expenſas condemnatur.

* Adde *ex Cod. libr. 2, tit,* 18. *ubi conveniatur, qui certo loco dare promiſit.*

Tit. V.
De Conſtituta Pecunia.

1. CONſtitutum eſt conventio prætoria citra ſtipulationem, quâ quis promittit ſe ſoluturum, quod ipſe vel alius debet, ídque inter præſentes vel abſentes, nuncio, litteris. *l.* 14. §. 3. *l.* 5. *ff. h. t.* Quòd ſi quis, cùm ſtipulari vellet, non ſervaverit formam ſtipulationis, id quod actum eſt non valet jure conſtituti. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 8. *ff. de acceptil. l.* 27. §. 9. *ff. de pact.* Reſp. ibi agitur de liberatione, quæ favorabilior. (I, II.)

2. Conſtituere poſſunt omnes, qui poſſunt obligari. Illis, quibus aliquid eſt debitum, non alteri pro altero, ne procuratori quidem, ſic ut alteri, quàm ei cui conſtitutum eſt, quæreretur obligatio. *l.* 5. §. 2. & 5. 6. *ff. h. t.* exceptis tutoribus, curatoribus, actoribus, & eo, qui magìs nuncii ac miniſtri quàm procuratoris munere fungitur. *l.* 5. §. 7. *l.* 15. *ff. h. t.* Poteſt tamen Titio conſtitui quod Mævio eſt debitum, eo conſentiente, ita ut ipſi Titio quæratur actio. *l.* 5. §. 2. 6. *ff. h. t.* (III, X.)

3. In conſtitutum deduci poteſt omne debitum, ſive corporalium ſive incorporalium. *l.* 2. *C. h. t.* in totum vel pro parte: minùs enim, quàm eſt debitum, conſtitui poteſt, non plus, & quod excedit, non debetur, ac ſolutum condicitur. *l.* 11. 12. 13 *ff. h. t.* niſi quis ſciens plus conſtituerit, & ſolverit; donaſſe enim videtur. *arg. l.* 53. *ff. de reg. jur.* Nec refert purum ſit an conditionale. *l.* 19. *ff. h. t.* an in diem, adeò ut in diem debens poſſit conſtituere, ſe vel ſtatim vel citeriore die, id eſt, maturiùs ſoluturum. *l.* 3. *in fin. l.* 4. *ff. h. t.* Utì nec intereſt, utrùm naturale tantùm ſubſit debitum, an naturale & civile ſimul, modò tale ſit, quod per exceptionem elidi nequit. *l.* 1. §. 7. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* (IV, V, VI, VII.)

4. Quòd ſi is debeat, qui ab hoſtibus captus eſt, hoc quoque

que debitum conſtitui ab alio, nihil impedit, cùm maneat obligatio, non obſtante captivitate, reſpectu bonorum captivi quæ ad eundem redeuntem reverſura Jure poſtliminii. *l.* 11. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 47. *ff. de fidejuſſ.* Reſp. alia in deportato ratio eſt, cujus bona cum oneribus ita fiſco cedunt, ut nulla contra deportatum obligatio vel quantùm ad perſonam vel quantùm ad bona ſuperſit. (VIII.)

5. Ubi autem in univerſum deficit principale debitum, non valet conſtitutum, nec erronea conſtituentis confeſſio ei obeſt. *l.* 5. §. 2. *l. ult. ff. h. t. l.* 2. *C. eod.* ut tamen ſufficiat ad conſtituti validitatem, quòd principalis ſubſit obligatio, cujus reſpectu & fidejuſſores & pignora, licèt non promiſſa, rectè conſtituuntur. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* Quodque ea ſubfuerit tempore conſtituti celebrati, licèt poſtea evanuerit, antequam exiſteret conditio conſtituto appoſita, dum fortè conſtitutum erat conditionale. *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.* (IX.)

6. Hinc naſcitur actio de conſtitutâ pecuniâ, competens ei, cui conſtitutum eſt & hæredi; contra conſtituentem & hæredem. Si plures conſtituerint, diviſionis beneficio locus eſt. *l. ult. C. h. t.* Si quis dixerit *dabitur à me & Titio*, pro parte dimidiâ (ſed ſi ita, *à me aut Titio*, in ſolidum conſtituens tenetur: nullo verò modo obligatus videbitur, ſi imperſonaliter dixerit *ſatisfiet aut. ſi quando. C. h. t.* quamvis aliud in ſtipulatione ſervetur, in quâ, cùm præcedat ſolennis interrogatio, faciliùs fieri poteſt applicatio verbi *ſatisfiet. arg. l.* 1. §. 2. *ff. V. O.* quàm ubi interrogatio haud antecedit, ut eſt conſtitutum (XI.)

7. Tendit ad id ut præſtetur quod conſtitutum ſeu promiſſum eſt; ut tamen induciæ modicæ, non minùs decem dierum, ad ſolvendum, etiam purè conſtituenti ſint indulgendæ. *l.* 21. §. 1. *ff. h. t.* Singulare autem eſt in conſtituto, quòd ſi creditor tempore faciendæ ſolutionis in morâ fuerit acceptandi totum debitum oblatum; vel etiam ante diem conſtituto appoſitum recuſaverit oblatum, nullam juſtam habens recuſandi cauſam, poſtmodum ultra nequeat ex conſtituto agere, eique ſola principalis actio ſuperſit. *l.* 17. 18. *ff. h. t.* cum alioquin mora prior per poſteriorem purgari poſſit. (XII.)

8. Qui autem pro alio conſtituit & ſolvit, exemplo fidejuſſorum habet mandati vel negotiorum geſtorum actionem. *arg.* §. 6. *Inſt. de fideiuſſ. l.* 20. §. 1. *ff. mandati.*

9. *Moribus.* Conſtituti & ſtipulationis eadem hodie vis eſt, cùm ex omni nudo pacto ſerio prolato actio detur: adeóque

que pro alio conſtituens effectu à fidejuſſore non differt.
* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 18. de conſtitutâ pecuniâ.*

Tit. VI.
Commodati vel contra.

1. COmmodatum eſt contractus bonæ fidei re conſtans, quo res alteri gratis ad certum tempus & modum utenda traditur, eâ lege ut finito uſu vel tempore reſtituatur in ſpecie. Commodari autem poſſunt res mobiles, immobiles, & incorporales, ut habitatio. *l. 1. ff. h. t. l. 12. §. 2. ff. de uſufr. l. 17. ff. de praſcr. verb.* propriæ & alienæ. *l. 15. ff. h. t.* non fungibiles, niſi dicis causâ ad oſtentationem fortè. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. h. t.* (I.)

2. Hinc commodati actio naſcitur, directa & contraria. Directa datur commodanti, etiam furi vel prædoni. *l. 15. ff. h. t.* licèt his non detur actio furti pœnalis; cujus diverſa ratio eſt. *l. 12. §. 1. ff. de furtis.* Contra commodatarium ejúſque hæredes finito tempore vel uſu. Contra pupillum tamen & furioſum non aliter, quàm ſi is locupletior inde factus ſit, licèt jam pubes factus dolum commiſerit. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* quem tamen propter dolum poſt pubertatem commiſſum ad exhibendum conveniri poſſe, probabile eſt. *arg. l. 2. ff. h. t.* junct. *l. 131. ff. de reg. jur.* Si pluribus res commodata ſit, contra ſingulos in ſolidum actio datur. *l. 5. §. ult. ff. h. t.* niſi *communi periculo* plures rem utendam acceperint, id eſt, ut periculum rei inter eos eſſet diviſum, quo caſu ſinguli pro parte tantùm conveniendi. *l. 21. §. 1. ff. h. t.* (II, III.)

3. Tendit hæc actio directa ad id, ut reſtituatur res commodata cum acceſſionibus. *l. 5. §. 9. ff. h. t.* vel ſi perierit, ejus præſtetur æſtimatio. *l. 17. §. ult. ff. h. t.* aut id quod intereſt, ſi facta ſit deterior. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* ſive dolo ſive quâvis culpâ commodatarii: nam & leviſſimam præſtare tenetur ex ratione. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* niſi aliud actum ſit. Quòd ſi utriuſque gratiâ, tam commodantis quàm commodatarii, contractus hic celebratus fuerit, tantùm levis; ſi ſolius commodantis causâ, ſolus dolus & lata culpa præſtanda venit. *l. 5. §. 10. l. 18. pr. ff. h. t.* Caſus planè fortuitus in re commodatâ domino nocebit, non commodatario; quippe qui caſum non præſtat, niſi ita convenerit, vel culpa præceſſerit, vel res æſtimata ad uſum conceſſa fuerit. *l. 5. §. 3. ff. h. t.*

h.t. l. 1. *Cod. eod.* §. 2. *Inſt. quib. mod. re contrah. obl.* Annumerandum verò caſui factum quoque tertii. *l.* 19. *ff. h. t.* junct. *l.* 41. *ff. locati.* Obſt. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. agit de damno per correum ſeu concommodatarium, non extraneum dato. (IV, V, VI, VII.)

4. Contraria actio commodatario datur adversùs commodantem, ad id quod ei abeſt ex vitio rei commodatæ, dum ſervus, qui fur erat, aut dolia mucida, quibus vinum corruptum, à ſciente ad uſum conceſſa ſunt. *l. pen. ff. h. t.* ut & ad impenſas graviores in rem commodatam factas, non modicas, quas cum uſu commodatarius penſare & ipſe ferre debet. *l.* 18. §. 2. *ff. h. t.* Etiam ad pretium recuperandum, quod commodatarius commodanti loco rei amiſſæ præſtiterat, ſi ea poſtmodum in commodantis reverſa ſit poteſtatem. *l.* 17. §. *ult. ff. h. t.* Ut tamen commodantis electio ſit, an rem an pretium velit reſtituere. *d. l.* 17. §. *ult.* niſi commodatarius non hâc actione contrariâ agere, ſed pretium condicere malit condictione ſine causâ; quo caſu rem recipere non cogitur. *l.* 2. *ff. de condict. ſine causâ*, vel è contrario rem malit utiliter vindicare, velut emptione translatam; quo caſu pretio non tenetur contentus eſſe. *l.* 63. *ff. de rei vind.* Denique etiam ad id quod intereſt commodatarii, ſi uſus ei ante tempus ſit ablatus ſive ab extraneo ſive ab ipſo commodante. *l.* 17. §. 3. *ff h. t.* Nec commodantem excuſabit, quod doceat, ſe re commodata ante tempus ex inopinatâ causâ ad proprios uſus indigere; id enim licèt in locatione obtineat. *l.* 3. *C. de locat.* ad commodatum tamen nequaquam trahendum eſt: cùm conductor uſu carens mercedem retineat, at commodatarius nihil ſibi retinens graviùs damnum ſubeat; ut proinde ſit diſpar ratio. [VIII, IX.]

5. Cæterùm hæc omnia quæ commodatarius contrario petit judicio, etiam jure compenſationis ſibi ſervare poteſt, ſi viciſſim ob damnum in re commodata datum quid debeat. *l.* 18. §. *ult. ff. h. t.* quamvis corporum ipſorum commodato conceſſorum retentionem non poſſit exercere, qui ſenſus eſt legis ult. *C. h. t.* (X.)

6. *Moribus.* Commodatarium hodie prætextu debiti cujuscunque rem ſibi commodato datum retinere poſſe receptum eſt; dum Judicis autoritate rem commodatam arreſto gravat: licèt verùm ſit, arreſtum præſtitâ cautione relaxari poſſe.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 23. *de commodato.*

TIT

Tit. VIII.

De Pignoratitia Actione.

1. Pignus eſt contractus bonæ fidei re conſtans, quo creditori res traditur in ſecuritatem crediti, eâ lege, ut ſoluto debito idem in ſpecie reſtituatur. Pignori dari poſſunt res omnes mobiles, immobiles, incorporales, propriæ, non alienæ, de quibus latiùs ad tit *quæ res pign. dari poſſ.* [I.]

2. Cæterùm ex pignore actio naſcitur pignoratitia directa & contraria. Directa datur debitori, vel ei, qui pignus dedit, contra creditorem, non tertium poſſeſſorem cum quo non eſt contractum: ad id ut reſtituatur pignus & creditor præſtet dolum ac levem culpam. *l. 23. ff. de reg. jur.* non leviſſimam, niſi ſolius creditoris gratiâ pignus contractum ſit, atque ita ſimile ſit commodato. *l. 13. §. 1. ff. h. t. §. ult. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* multóque minùs caſum fortuitum *d. §. ult. Inſt.* niſi id actum ſit expreſsè vel tacitè: ut & in *l. 6. C. h. t.* Inſuper ut reſtituantur fructus rei pignoratæ, licèt fortè prædo rem de facto pignori dediſſet. *l. 22. §. 2. ff. h. t.* niſi pactum antichreſios adjectum fuerit, ut ſc. fructus creditori cederent in vicem uſurarum quo caſu, ſi quidem expreſſum ſit pactum antichreſios & incertus fructuum proventus, nihil reddendum ex fructibus, licèt illi legitimum excedant uſurarum modum. *l. 17. C. de uſuris.* ſin tacitum fuerit, vel etiam in expreſſo certus ſit fructuum proventus, id quod ſupra legitimas uſuras ex fructibus pignoris redactum eſt; domino pignoris eſt reſtituendum. *arg. l. 14. C. de uſuris. l. 8. ff. in quib. cauſ. pign. tac. contrah.* (II, III, IV, V.)

3. Quòd ſi creditor pignus jam diſtraxerit, ad id, quod ſupra debitum ex pignore redactum eſt, hæc actio directa pignoratitia debitori datur; nec liberatur creditor debitorem emptori delegando. *l. 42. ff. h. t.* Obſt. *l. 24. §. 2. ff. h. t.* Reſp. non aliud illâ l. dicitur, quàm, creditorem ſuo periculo poſſe mandare actiones debitori contra emptorem, ſi debitor expectare nolit, donec creditor ab emptore pretium conſecutus fuerit. (IV.)

4. Non aliter tamen huic actioni directæ locus eſt, quàm ſi integrum debitum creditori ſolutum ſit, aut aliter ei ſatisfactum, non ſi pro parte. *l. 9. §. 3. ff. h. t.* licèt debitum perſonale inter plures debitoris hæredes diviſum eſſet ipſo jure,

&

& unus eorum partem ſuam jam perſolviſſet. *l.* 1. 2. *C. de luit. pign.* Pro ſorte tamen ſuâ obligatum pignus, eâ ſoluta, pro uſuris à creditore retineri nequit. *l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* quæ non eſt correcta per *l. un. C. etiam ob chirograph. pec. pign. ret.* Satisfactum autem creditori videtur, ita ut pignoratitiâ hâc debitor pignus recuperare poſſit, ſi ei volenti aliud pignus loco prioris, aut fidejuſſores animo liberandi pignus dati fuerint; non verò eo invito. *l.* 9. §. 3. *ff. h. t. l.* 6. §. 1. *ff. quib. mod. pign. ſolv.* niſi evidens ſit, ſine diſpendio creditoris hoc poſſe fieri. *arg. l.* 38. *ff. de evict.* (VI.)

5. Quandoque tamen, & antequam ſolutum creditori vel ſatisfactum fuerit, hæc actio debitori competit: puta, ſi creditor pignore abutatur, vel impediat, quo minus debitor in re pignoratâ utatur jure ſuo, ad id quod intereſt. *l. ult. ff. h. t.* (VIII, IX)

6. Contraria actio creditori datur contra debitorem: ad recuperandas impenſas neceſſarias *l.* 8. *ff. h. t.* etiam utiles, ſi non ſint ipſi debitori nimis graves. *l.* 25. *ff. h. t.* & ad damnum reparandum, creditori ex re pignoratâ datum. *l.* 31. *ff. h. t.* ac denique, ut id, quod intereſt, præſtetur, ſi æs pro auro, vel res alteri jam obligata, aut aliena, pignori data ſit creditori ignoranti. *l.* 1. §. *ult. l.* 9. *l.* 16. §. 1. *ff. h. t.* (X, XI.)

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 24. *de pignorat. action.*

LIBER XIV.

TIT. I.

De Exercitoria Actione.

1. MAgiſter navis dicitur, ad quem quotidiana navis cura ſpectat, ſive liber homo, ſive ſervus ſit. Exercitor verò, ad quem quotidianus quæſtus pertinet. Quâ occaſione prodita eſt actio exercitoria prætoria perpetua ex contractu magiſtri vel ſubſtituti, competens iis, qui cum magiſtro contraxerunt vel cum ſubmagiſtro, etiamſi eum invito exercitore magiſter ſubſtituerit. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* & eorum hæredibus: non tamen illis, qui contraxerunt cum nautis. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Contra

exercitorem, & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum, quamvis unius præſtatione cæteri liberentur. *l. 1. §. ult. 2. 3. ff. h. t.* Niſi ſinguli per ſe navem exerceant ſine magiſtro; quo caſu ſinguli tantùm pro rata conveniendi *l. 4. pr. ff. h. t.* Quòd ſi exercitor ſit filiusfamilias, ipſe quidem conveniri poteſt. *l. 1. §. 22. ff. h. t.* ſed nihilominus contra patrem quòque actio dari poteſt in ſolidum, ſi conſenſerit; de peculio, ſi conſenſus deſit. *l. 1. §. 19. 20. ff. h. t.* (I, II, III, IV, V.)

2. Datur ad id, ut perſolvatur quod magiſtri vel ſubſtituti contractu comprehenſum eſt, ut ex ſupradictis manifeſtum eſt: ſi modò ejus rei gratiâ magiſter contraxerit, cui fuit præpoſitus, etiam ſi poſtea creditum inutiliter conſumpſerit. *l. 1. §. 9. ff. h. t.* modò etiam navigatio tale ac tantùm creditum deſideraverit: nam ſi ad navim armandam, quæ jam armata erat, quis crediderit, nihil ab exercitore recuperat; aut ſi plus juſto crediderit, id ſolum repetit, quatenus credi neceſſe erat. *l. 1. §. 7. 8. l. ult. ff. h. t.* niſi in pretiis rerum magiſter creditorem dolo decepiſſet: tunc enim in ſolidum tenetur exercitor. *l. 1. §. 10. ff. h. t.* Quòd ſi plures ejuſdem navis magiſtri ſint, ſi quidem diviſis officiis ſint præpoſiti, non ultra obligatur exercitor, quàm quatenus quiſque eorum intra officii terminos contraxit. Sin conjunctim, ex ſingulorum contractu conveniri poteſt, niſi in iis conſtituendis id actum ſit, ne unus ſine altero contrahat. *l. 1. §. 13, 14. ff. h. t.* (VI, VII.)

3. Poteſt & actione directâ conveniri exercitor. *§. ult. Inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt.* poteſt quoque ipſe magiſter, ſi homo liber ſit. *l. 1. §. 17. ff. h. t.* licèt ex adverſo exercitor convenire nequeat eum, qui cum magiſtro contraxit, niſi in ſubſidium, cùm à magiſtro ſuum nequit conſequi. *d. l. 1. §. 18. ff. h. t.* [VIII.]

4. *Moribus.* Nec exercitores ſinguli hodie in ſolidum tenentur ex facto magiſtri; nec omnes exercitores ſimul ultra æſtimationem navis & eorum, quæ in navi ſunt obligantur, adeóque liberari poſſunt à ſolidi præſtatione tum exercitores tum inſtitorem præponentes ſolvendo id, quod communiter in ſocietate habere comperiuntur.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 25. de inſtitoria & exercitoria actione.*

TIT.

Tit. II.

Ad Legem Rhodiam de Jactu.

1. Celebres navigandi peritiâ Rhodienſes de rebus nauticis leges varias tulerunt; quas Romani tanquam æquas probarunt; eam præcipuè quæ de jactu agit. Quâ cautum, ut ſi ob tempeſtatem merces quædam navis levandæ gratiâ jactæ fuerint, damnum ex rebus ſalvis pro ratâ reparetur. Æquum ſc. viſum fuit, ut contribuant, qui per jacturam alienarum ſuas conſervarunt. *l. 1. l. 2. pr. & §. 2. ff. h. t.* nec obſt. *l. 14. ff. de præſcr. verb.* cùm propter jactum non teneatur, quod tantùm innuit, *d. l. 14.* ſed quia res ſuas ſalvas habet; quibus non ſalvis ex jactu non eſſet obligatus. [I, II.]

2. Jactui autem æquiparatur, ſi jacturæ occaſione merces aliæ detectæ atque ita aquæ aſperſione corruptæ ſint: nam & corruptionis nomine dominis mercium corruptarum contribuendum eſt, ſi plus ſit in damno ſeu corruptione, quàm in contributione: etenim ſi plus ſit in contributione, quàm eſt in damno per aſperſionem illato, ipſi mercium corruptarum domini adhuc aliis, quorum res projectæ, pro ratâ contribuunt. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* Sed & jacturæ ſimile eſt, ſi merces quædam in ſcapham conjectæ ſint, ut navis portum faciliùs intraret, & ſcapha perierit. *l. 4. ff. h. t.* [III, IV.]

3. Nulla interim actio prodita eſt domino mercium jactarum contra ſalvatarum dominos, ſed ipſe potius contra navis magiſtrum actione locati conducti experitur, ut is à cæteris contributionem exigat vel retentione mercium vel actione conducti. *l. 2. ff. h. t.* Si tamen magiſter actiones mercium jactarum domino cedere velit, audiendus videtur. *arg. l. 51. ff. de peculio.* cùm non teneatur præſtare ut cæteri ſolvendo ſint. *arg. l. 2. §. 6. ff. h. t.* [II.]

4. Contribuunt autem omnes, quorum res per jactum aliarum mercium ſalvatæ ſunt, etiam dominus navis. *l. 2. §. 2. ff. h. t.* imò & ipſe mercium projectarum dominus; quippe cui pro ratâ tantò minus tribuitur, quantùm cæteris ex contributione deceſſit ſeu abeſt. [XII, XIII, XIV.]

5. Non aliter tamen contributioni locus eſt, quàm ſi navis ipſa ſalva ſit, & juſtum ſine culpâ nautæ ſubfuerit periculum; ac denique ex conſenſu ac voluntate merces projectæ ſint aliudve damnum rebus illatum periculi communis evitandi gratiâ, non vi aut caſu.

6. Proinde non contribuendum,ſi navis non obſtante jactu poſtmodum alio loco perierit. *l. 4 pr. & §. 1. ff. h. t.* Nec, ſi ipſa navis violentiâ tempeſtatis damnum ſenſerit; quamvis aliud obtineat, ſi communis periculi removendi causâ navis armamenta dejecta ſint. *l. 3. l. 5. §. 1. l. 6. ff. h. t.* Nec, ſi piratæ res quasdam per vim abſtulerint: ſecus quàm obtinet,ſi rebus quibuſdam datis, navis cum mercibus redempta ſit. *l. 2. §. 3. ff. h. t.* Nec denique ſi jactus ſit factus ob culpam magiſtri plus juſto navem onerantis. (IX, X.)

7. Æſtimandæ autem in contributione res omnes & jactæ & ſalvæ,exceptis eſculentis in navi conſumendis & liberis corporibus. *l. 2. §. 2. ff. h. t.* & jactæ quidem, quanti emptæ ſunt: ſalvæ verò quanti venire poſſunt. *l. 2. §. 4. ff. h. t.*(XV.)

8. Quòd ſi poſt jactum res quædam recuperentur,eatenus exoneratur contributio; vel ſi jam facta, contributum pro ratâ repetitur. *l. 2. §. pen. ff. h. t.* neque enim per jactum amittitur dominium. *l. 2. §. ult. l. 8. ff. h. t.* niſi res tales projectæ ſint,quæ protinus aſperſione aquæ corrumpuntur *l 43. §. 11. ff. de furtis.* Sed ſi poſt navis interitum ex projectis nonnulla ſuperſint ſalva,fortè per urinatores extracta,vel dum ſcapha ſalva eſt, in quam merces conjectæ, ipsâ nave nihilominus ſubmersâ, nulla horum omnium nomine facienda contributio illis,quorum res cum nave perierint: licèt ex adverſo ex rebus quæ cum nave perierant poſt jactum, iterúmque per urinatores extractæ fuerant,contribuendum ſit dominis rerum projectarum. *l. 4 pr. & §. 1. ff. h. t.* (IX.)

9. *Moribus.* Res tam jactæ quàm ſalvæ tanti hodie æſtimantur, ubi de contributione quæſtio eſt, quanti vendi poſſunt in loco deſtinato,deducto naulo & aliis impenſis. Bona autem naufragorum apud nos priſtinis dominis reſtituenda ſunt, ut & in tempeſtate navis levandæ gratiâ ejecta: quæ tamen, ſi domini intra annum & ſex ſeptimanas vindicare neglexerint, fiſco cedunt. Quamvis in Angliâ, Galliâ, Hiſpaniâ aliisque locis hæc protinus à fiſco occupentur, duriore conſuetudine.

TIT. III.
De Inſtitoriâ Actione.

1. INſtitor dicitur, qui tabernæ vel officinæ eſt præpoſitus, ſive liber homo,ſive ſervus,ſive maſculus,ſive fœmina, ſive

ſive pubes, ſive impubes. *l.* 7. 8. *ff. h. t.* Ab hoc appellata eſt actio inſtitoria, exercitoriæ in plerìſque ſimilis; competit enim ei, qui cum inſtitore contraxit, & ita fidem præponentis videtur ſecutus; contra præponentem & hæredes. *l.* 15. *ff. h. t.* & ſi plures præpoſuerint, contra ſingulos in ſolidum. *l.* 13. §. *ult. l.* 14. *ff. h. t.* Si pupilli præpoſuerint autore tutore, in ſolidum; ſed deficiente autoritate, tantùm quatenus locupletiores facti conveniuntur. *l.* 9. 10. *ff. h. t.* Si filiif. præfecerint aut ſervi, domino vel patre permittente, dominum patrémve non in ſolidum, ſed tributoriâ actione reddent obligatum. *l.* 1. §. 20. *ff. de exercit. act.* (I, II.)

2. Datur ad id, ut præſtetur quod inſtitoris contractu comprehenſum eſt: modò contractum fuerit ejus rei gratiâ cui præpoſitus eſt inſtitor. (III.)

3. Eſt autem vel directa vel utilis: directa locum habet, ſi toti negotiationi inſtitor ſit præpoſitus; utilis verò, ſi tantùm actui, puta receptioni pecuniæ, fructibus colligendis & diſtrahendis. *l.* 16. *l. pen. ff. h. t.* vel ſi deliquerit. *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.* vel contractum ſit cum inſtitore poſt mortem præponentis, licèt præponentem mortuum eſſe non ignoraverit, qui cum inſtitore contraxit; ídque negotiationis favore contra mandati naturam quod morte mandantis extinguitur. *l.* 17. §. 2. 3. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 41. *ff. de reb. cred.* Reſp. ibi agitur de præpoſito pecuniæ fœnebri, in quo non militat ille negotiationis favor. (III, IV.)

4. Poteſt tamen & ipſe inſtitor, ſi homo liber ſit actione directâ conveniri. *arg. l.* 7. §. 11. *ff. ad Senatuſc. Maced.* ídque durante adhuc officio; non eo finito, niſi inſtitor inſuper ſe ut fidejuſſorem obligaverit. *l. ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 49. *ff. mandati.* Reſp. obſtrictus eſt Inſtitor poſt officium depoſitum, non ad id, ut ipſe conveniatur; ſed tantùm, ne contra ſuum factum veniat: qui ſenſus eſt *d. l.* 49. (VI, VII.)

5. Ceſſat hæc actio; ſi præponens palam affixâ tabernæ tabellâ prohibuerit cum inſtitore contrahi. Si tamen vel inſtitor tabellam corruperit aut amoverit, vel ipſa tabella propter vetuſtatem aut aliter legi non potuerit, & ita cum ignorantibus inſtitor adhuc contraxerit, præponentis damnum erit, ìſque obligabitur. *l.* 11. §. 3. 4. 5.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 25. *de inſtit. & exercit. act.*

TIT. IV.
De Tributoria Actione.

1. TRibutoria actio locum habet, cùm filiusfam. aut ſervus in merce peculiari negotiatus eſt permittente patre vel domino; non item eo ignorante aut jubente, quibus caſibus actio de peculio aut quod juſſu potiùs movenda foret. Si ſervus pupilli vel furioſi ſit, tutoris aut curatoris patientia requiritur: ſi plurium dominorum, ſcientia & patientia ſingulorum eſt neceſſaria; alioquin ignorantes de peculio, ſcientes ſoli hâc tributoriâ tenentur. *l. 3. pr. &* §. 2. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Habet autem locum in omnis generis negotiatione. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* modò in merce peculiari exerceatur. *l.* 5. §. 4. *ff. h. t.* Et datur illis, qui in merce peculiari crediderunt, eorúmque hæredibus, contra patrem vel dominum & eorum hæredes, quatenus ad eos pervenit. *l.* 7. §. *ult. l.* 8. *ff. h. t.* ad id ut pater vel dominus faciat æqualem mercis peculiaris aut pretii inde redacti diſtributionem. *l.* 5. §. 11. *ff. h. t.* §. 3. *Inſt. quod cum eo qui in al. pot.* Quòd ſi ſervus aut filiusf. ſeparatas negotiationes aut tabernas habeant; etiam cujuſque negotiationis aut tabernæ creditores ſeparatim in tributum vocandi. *l.* 5. §. 15. 16. *ff. h. t.* (III, IV.)

3. Conventus autem hâc actione pater vel dominus, ipſe diſtribuere non cogitur, ſi nolit; ſed potiùs arbiter à prætore dandus eſt, qui dividat. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Et ſi iniquè ſit facta diſtributio, ſi quidem dolo diſtribuentis, is de ſuo læſis creditoribus hoc damnum reparat. *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 8. *ff. h. t.* Reſp. ſenſus eſt ob dolum diſtribuentis non dari famoſam de dolo actionem, ſed hanc tributoriam. Si verò ſine dolo minus ſit alicubi tributum quàm æquum erat, læſus non contra diſtribuentem, ſed eos qui plus juſto acceperunt, regreſſum habet; cùm ſinguli cavere teneantur, ſe reſtituturos pro ratâ, ſi alii emerſerint. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* (V, VI.)

4. Cæterùm in hac actione pater & dominus non ſunt potiores reliquis creditoribus; ſed par eorum cum reliquis creditoribus cauſa eſt, ſalvo tamen cuique ſuo privilegio vel hypothecâ. *l.* 1. *l.* 5. §. 8. & 18. *ff. h. t.* licèt enim peculium regulariter poſſint adimere. *l.* 8. *ff. de pecul.* non tamen in necem aliorum creditorum. *l.* 21. *ff. de pecul.* Nec refert, ante an

poſt

poſt negotiationem in merce peculiari pater aut dominus filiorum aut ſervorum creditores facti ſint, ex quacunque causâ. *l.* 5. §. 7. 8 *ff. h. t.* [IV.]

5. *Moribus.* Si m. rcator pluribus in locis tabernas habeat; hodie non ad ſingulas tabernas cujuſque tabernæ creditores ſeparatim, ſed ad omnes tabernas omnes promiſcuè creditores in tributum vocari, probabiliùs quidam eſſe cenſent; ſed contrarium adſtruxi in *Comment. h. t. num.* 7. 8.

TIT. V.

Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.

1. Filiusf. licèt patrem obliget de peculio, tamen & ipſe obligatur; quamvis in eum, quamdiu filiusf. eſt, & nihil proprium habet, executio non dirigatur. *l.* 39. *ff. de obl. & Act.* Sed tunc potiùs, cùm factus eſt paterfam. ſive ſponte, ſive juſſu patris contraxerit: in ſolidum quidem, ſi patri ex teſtamento vel ab inteſtato vel ex fideicommiſſo vel per querelam inofficioſi hæres extiterit. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* non ultra verò quàm facere poteſt, ſi patri non ſucceſſerit, vel ex minimâ tantùm parte; vel cùm ſucceſſiſſet, alteri reſtituere rogatus ſit, ſic ut competentiæ gaudeat beneficio, & meritò, cùm ex hujuſmodi contractibus exiguum lucrum plerumque ſenſerit. *l.* 2. 3. 5. §. *ult. ff. h. t.* [I, II.]

2. Non tamen ex hoc beneficio filiusfam. priùs deducit æs alienum aliis debitum creditoribus, quibuſcum jam ſui juris factus contraxerat: adversùs quos etiam non gaudet hoc beneficio, licèt ea tantùm poſſideat, quæ ex hoc beneficio ſibi ſervavit, cùm per eos conveniretur, quibuſcum in poteſtate adhuc conſtitutus contraxerat. *l.* 49. *ff de re judic.* Obſt. *l.* 3. *in fin. ff. h. t.* Reſp. dicitur *eorum qui, poſtquam ſui juris factus eſt, cum eo contraxerunt rationem habendam*; non eo reſpectu, quaſi deducendum eſſet, quod ipſis eſt debitum; ſed potiùs, quòd, poſtquam illi, qui cum eo adhuc filiof. conſtituto contraxerunt, occupando ſibi jam acquiſiviſſent quatenus filius conventus facere poterat, nihilominus actionem de eo, quod adhuc ex beneficio competentiæ ſupereſt, habeant illi, qui cum eo ſui juris facto contraxerant: quorum proinde rectè dicitur *haberi ratio*, in quantum exceptione com-

petentiæ excludi nequeunt. Inter ipſos autem creditores, quibus adhuc in poteſtate conſtitutus inceperat debere, occupantis aut privilegiati conditio melior eſt. *l. 3. ff. h. t.* (III.)

3. Cæterùm hoc beneficium hæredibus non datur. *l. 4* §. 3. *ff. h. t.* nec locum habet, ſi filius ex delicto conveniatur. *l. 4.* §. 2. *ff. h. t.* aut ſe dolo patremfam. dixerit contractûs tempore *l. 6. ff. h. t.* nec etiam poſt longum tempus poſt multos annos, ex quo filius ſui Juris factus eſt: niſi causâ cognita. *l. 4. §. 4. ff. h. t.* [IV.]

4. *Moribus.* Si liberi adhuc in patriâ poteſtate conſtituti (annis nempe 25. minores) contraxerint, ex ſuo contractu in ſolidum conveniri poterunt, licèt à paterna abſtineant hæreditate; niſi reſtitutionis implorent auxilium dum ætatis lubrico ſe lapſos in contrahendo docent.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 26. quod cum eo, qui in alienâ poteſtate, eſt negotium geſtum eſſe dicetur, vel de peculio ſive quod juſſu aut in rem verſo.*

TIT. VI.

De Senatuſconſulto Macedoniano

1. SEnatuſconſulto Macedoniano, [dicto à Macedone improbo fœneratore, qui incertis nominibus mutuum filiisf. dabat, ut redderent, ſi patri ſupervixiſſent, poſt ejus obitum] cautum fuit, ne filiisf. credatur mutua pecunia. *l. 1. ff. h. t.* Quamvis & ante hoc SConſultum illud jus magnâ ex parte apud Romanos receptum eſſet, Tacito aliiſque id teſtantibus. Si quis contra SConſultum crediderit, nec ab ipſo filiof. nec à patre ejus poteſt repetere, repellendus oppoſitâ Macedoniani exceptione. *l. 1. ff. h. t.* etiam poſt ſententiam, ad impediendam ejus executionem. *l. 11. ff. h. t.* Nec refert utrùm privatus mutuum dederit, an civitas. *l. 15. ff. h. t.* Obſt. minoribus opponi nequit hæc exceptio, quorum tamen Jure gaudet civitas. *l. 11. §. ult. ff. de minor.* junct. *l. 4. C. quib. ex cauſ. majores. l. 3. C. de Jure reipubl.* Reſp. gaudet in caſibus in Jure expreſſis, non in omnibus. Nec ſoli filio vel patri ejus prodeſt hæc exceptio, ſed & hæredibus ac fidejuſſoribus; niſi donandi animo interceſſerint aut patris voluntate. *l. 9. §. 3. ff. h. t.* (I, III.)

2. Pecuniæ autem appellatione hîc quidem propriè *numerata* tantùm venit; attamen & aliæ res, ſi in Senatuſconſulti

ſulti fraudem datæ ſint. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* Nomine verò filiifam. hîc omnes continentur, qui in poteſtate ſunt, maſculi vel fœminæ, primi vel ulterioris gradûs. *l.* 9. §. 2. *l.* 14. *ff. h. t.* (II.)

3. Ceſſat multis caſibus hæc exceptio, puta in caſtrenſi peculio. *l.* 1. *in fin. l.* 2. *ff. h. t.* Si pater ipſe fuiſſet daturus. *l.* 7. §. 13. *ff. h. t.* Si juſſus aut conſenſus patris adſit. *l.* 2. *l.* 4. *C. h. t.* Si inſtitorio nomine filiusf. mutuum acceperit. *l.* 7. §. 11. *ff. h. t.* Si in rem patris ab initio accepta ſit; ſecus ſi poſtea tantùm verſa. *l.* 17. *ff. h. t. arg. l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* Si ſe patremfamilias dolo dixerit & ignoranti perſuaſerit. *l.* 1. *C. h. t.* Si omnium opinione pro patref. ſit habitus; non, ſi à quibuſdam tantùm; veluti ſi, cum duo creditores eſſent, alter eorum ſciverit, alter ignoraverit, eum eſſe filiumfam. *l.* 3. *l.* 7. §. 7. *ff. h. t.* Si pupillus aut minor aut filiusfamilias mutuum dederit. *l.* 3. §. 2. *ff. h. t. l.* 11. §. *ult. ff. de minorib.* Si promiſſio quidem mutui facta filiof. ſed numeratio contigerit eo tempore quo jam ſui juris erat. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. h. t.* Si pater, vel ipſe filius jam paterf. factus, ſolverit vel totum mutuum vel partem ejus; ad reliquum enim omnino tenetur. *l.* 7. §. *pen.* & *ult. ff. h. t. arg. l.* 4. *C. de non numer. pecun.* ſecus quàm obtinet, ſi pignus datum ſit; quo caſu mutuum tantùm uſque ad pignoris quantitatem repeti poteſt; cum enim pignus ſolummodo acceſſio quædam ſit, ultra valorem ſuum non potuit mutuum confirmare. Quòd ſi filius ſolverit adhuc in ſacris paternis conſtitutus, ipſe quidem nummos ſolutos haud repetit; ſed pater eos extantes, ut ut filiof. donatos, vindicat, conſumptos malâ fide condicit, & ad eam malam fidem reſtringenda lex. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* ſi enim bonâ fide conſumpti ſint, ceſſat repetitio; de quâ conſumptione bonâ fide factâ intelligenda. *l.* 14. *ff. de reb. cred.* (IV, V, VI, VII, VIII, IX.)

4. Non tamen ceſſat hæc exceptio, ſi filiusf. ei renuntiaverit, cum enim non in ejus favorem, ſed in odium fœneratorum & patris utilitatem introducta ſit. *l.* 40. *ff. de condict. indeb.* fruſtra filiusf. renuntiaret juri alieno. Quòd ſi per creditorem ſuum, cui exceptionem poterat opponere, alteri delegari, ſe paſſus ſit, ipſe quidem exceptione deſtitutus erit adverſùs eum, cui delegatus eſt; æquè ac cariturus eſſet indebiti condictione, ſi ſolviſſet. *l.* 19. *ff. de novat.* Sed non ideò patri nocitura eſt delegatio, quo minùs ipſe hâc exceptione utatur. *arg. l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* (X.)

5. *Moribus.* Exceptio Macedoniani hodie non habet locum, ſi mutuum filiof numeratum adhuc extſet, vel in ipſius, aut patris utilitatem ſit converſum. Ut nec, ſi filius poſt annum 25. mutuum acceperit, cum eâ ætate pro patrefam. habeatur. Quod ſi 25. annis minor ſit, nuptias tamen jam contraxerit, mutuum accipiens efficaciter obligabitur; cùm per matrimonium ſui juris factus eſſe cenſeatur. Non etiam danda hæc exceptio, ſi filiusf. id eſt minor 25. annis vectigalium conductor ſit, aut mercator, atque ita mutuum acceperit: licèt ei deneganda non foret hoc caſu reſtitutio in integrum propter minorennitatem. Quòd ſi quis hanc exceptionem in judicio opponere neglexerit, poſt ſententiam eam opponi non poſſe cenſent Pragmatici, niſi appellatum fuerit.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 28. *ad Senatuſconſultum Macedonianum.*

LIBER XV.

Tit. I.

De Peculio.

1. Peculium eſt patrimonium filiif aut ſervi à rationibus dominicis vel paternis ſeparatum. Quòd in filiisf. ex lege quadruplex eſt, caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, adventitium, idque vel plenum vel minus plenum, & profectitium. In ſervis verò ſimplex eſt, idque ex mera domini voluntate non nudis verbis, ſed re vel per traditionem veram aut fictam declaratâ. *l.* 4. §. 8. *ff. h. t.*

2. Poſſunt autem in peculio eſſe omnis generis res, mobiles, immobiles, incorporales, etiam veſtimenta. *l.* 25. *ff. h. t.* licèt ex ſolâ veſtis datione non incipiat primitus naſci peculium. *l.* 40. §. 1. *ff. h. t.* Ut & ea quæ dominus ſervo debet *l* 7. §. *pen. ff. h. t.* niſi peculium legatum fuerit. §. 20. *Inſt. de legatis.* (II, III.)

3. Reſpectu omnis peculii ſervorum prodita eſt actio de peculio, ut & intuitu profectitii filiorumfam. quod patri quæritur. §. 1. *Inſt per quas perſ. cuique acquir.* licèt filiusf. in eo hoc juris habeat, quòd, occupatis a Fiſco bonis pater-

nis

nis pro debito, peculium filiof. ſeparetur, quia durat patria poteſtas. *l.* 3. §. 4. *in fin. ff. de minor.* Obſt. *l.* 1. §. 4. *ff. quand. de pecul. act. annal. eſt.* Reſp. agit de caſu, quo bona patris ob crimen erant publicata. (III.)

4. Eſt autem actio de peculio perpetua, perſonalis, in rem ſcripta ex contractu vel quaſi filiif. aut ſervi, non ex delicto niſi filiusf. inde ad pecuniam condemnatus ſit. *l.* 3. §. 12. *ff. h. t.* competens iis, qui cum filiof. aut ſervo contraxerunt; etiam fructuariis qui cum ſuo ſervo fructuario, proprietarii nomine contrahente, contraxerunt, deducto tamen priùs eo quod penes fructuarium eſt ex peculio. *l.* 37. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 118. *ff. de V. O.* Reſp. agit de ſervo fructuario qui non nomine proprietarii, ſed ex re ipſius fructuarii qui fructuario promittit. (VII.)

5. Datur contra patrem, & cujuſque ætatis aut ſexûs dominum, ac quosvis peculii poſſeſſores, ſive hæredes ſint ſive legatarii, ſive alii ad quos peculium pervenit. *l.* 3. §. 2. *l.* 27. §. 2. *ff. h. t.* Et ſi plures domini ſint, contra ſingulos in ſolidum. *l.* 27. §. *ult. ff. h. t.* pro parte tamen tantùm contra ſingulos, ſi plures uni domino hæredes extiterint, vel plures ſint peculii poſſeſſores, & ſeparatim partes peculii, (non communiter totum) poſſideant. *l.* 14. §. 1. *l.* 15. *l.* 29. *l.* 30. §. 1. *ff. h. t.* Quin imo, ſi alius proprietatem ſervi, alius uſumfructum habeat, fructuarius in negotiis ex re ſua vel operis ſervi profluentibus de peculio conveniendus eſt, proprietarius in aliis *l.* 2. *ff. h. t.* excuſſo tamen priùs fructuario, in ſubſidium de peculio tenetur proprietarius & vice verſâ. *l.* 19. §. 1 *l.* 37. §. *ult. ff. h. t.* (VIII.)

6. Tendit ad id, ut præſtetur, quatenus eſt in peculio; quod inſpicitur tempore rei judicatæ. Sic ut hæc actio locum habeat, licèt tempore litis conteſtatæ nihil inveniatur in peculio, ſi modò termini habiles ſint, ut ante ſententiam quid in peculio eſſe poſſit. *l.* 30. *ff. h. t.* *l.* 7. §. 15. *ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur.* ſecus, ſi nec ſit in peculio, nec ultra poſſit acquiri. *l.* 50 *ff. h. t.* (IX.)

7. Cenſetur autem eſſe in peculio, quod ſupereſt deductis iis quæ domino aut patri & illis, quos hi in ſua poteſtate habent, quorum negotia gerunt, debentur; ut hîc potior patris & domini quàm reliquorum creditorum cauſa ſit. *l.* 9. §. 2. *& ſeqq. ff. h. t.* Si plures ſint hæredes unius domini, ſinguli pro ratâ conventi etiam pro ratâ tantùm deducunt. *l.* 14. *ff. h. t.* & ſi plures poſſeſſores peculii pro diviſo, ſinguli tantùm quod ſibi, non quod aliis poſſeſſoribus debetur;

ſecus

ſecus ſi pro indiviſo poſſideant, & unus in ſolidum conveniatur: tunc enim deducit & quod reliquis eſt debitum poſſeſſoribus, *l.* 15. *ff. h. t.* (x.)

8. *Moribus.* Ex contractibus aut factis famulorum ac ancillarum hodie domini non tenentur ultra mercedem pro operis conſtitutam, niſi aliud in hoc aut illo caſu ſtatutis cautum inveniatur. Liberorum autem peculium profectitium etiamnum patri acquiritur: quò pertinent & ea, quæ liberi ex re patris vel ejus occaſione quæſiverunt; veluti, quæ ipſis donata ſunt à patre ſpirituali, qui de fonte baptiſmatis ſuſcepit, niſi is aliud expreſsè dixerit, & donata liberis præcipua eſſe voluerit. Quid quòd & patri acquirantur ea, quæ liberi in familiâ paternâ conſtituti & patris impenſis nutriti, ſuis operis lucrati ſunt; quippe quæ cum alimentis penſanda. De cætero adventitii peculii ne uſumfructum quidem apud nos pater habet; licèt in multis aliis locis hac in parte vigeat magìs Jus Romanum. Si tamen minorennis ſit, pater tanquam legitimus adminiſtrator adventitii peculii ex contractu aut facto filii conveniri & ad ſolutionem inde faciendam condemnari poteſt.

Tit. II.

Quando de Peculio Actio annalis eſt.

1. SI peculium extinguatur, morte, emancipatione, miſſione, alienatione, alióve modo, (non tamen captivitate. *l.* 2. *in fin. ff. h. t.*) actio quoque de peculio perit. Sed ne caſus improviſus creditoribus obſit, prætor eam extendit uſque ad annum utilem ex eo tempore computandum, quo primùm experiundi poteſtas fuit. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* niſi principalis actio tempore breviori evaneſcat, quo caſu nec ultra extendenda hæc de peculio. *l.* 1. 2. *ff. h. t.* Eſtque hîc fructuum quoque & acceſſionum peculii jam extincti habenda ratio. *l. ult. ff. t.* (I, IV.)

2. Si ſervus manumiſſus ſit, ac legatum ei ſit peculium, contra manumiſſum tanquam peculii poſſeſſorem actio datur. *l.* 1. §. 10. *ff. de dote præleg.* Obſt. *l.* 1. §. 7. *ff. h. t.* Reſp. hæres tenetur, ſi tradiderit peculium legatario non exactâ cautione de hærede contra peculii creditores defendendo; eâ verò exactâ ipſe manumiſſus conveniendus. (II.)

3. Quòd ſi ſervus alienatus ſit creditor ab initio quidem poteſt

poteſt actionem de peculio dividere, ita ut partem à novo; partem à priſtino domino intra annum petat. *l.* 27. *§.* 3. *ff. de pecul.* ſed ſi cum uno litem in ſolidum jam conteſtatus ſit, poſtea nequaquam poteſt dividere, & alterum pro parte convenire, niſi in ſubſidium. *l.* 47. *§.* 3. *ff. de pecul.* ubi verba, *re integrâ*, deſignant, ſi nondum partem conſecutus fuerit. (III.)

4. *Moribus.* Filio mortuo, pater non tenetur intra annum de peculio, ſed potiùs conveniendi erunt hæredes filii.

TIT. III.
De in rem verſo.

1. Actio de in rem verſo introducta eſt, ne patres vel domini locupletarentur cum alterius jacturâ. Et datur illis, qui in rem patris vel domini crediderunt filiof. vel ſervo, contra patrem vel dominum, ad id, ut præſtetur, quatenùs in rem verſum eſt, unà cùm uſuris, ſi principale negotium, cui accedit qualitas actionis de in rem verſo, ſit bonæ fidei; ſecus, ſi ſtricti juris. *l.* 10. *§.* 5. *ff. h. t.* Nec refert, pater dominúſve ſciverit an ignoraverit; modò creditum verè & cum effectu in rem verſum ſit: neque enim ſufficit, in rem patris acceptum eſſe, ſi poſtea inutiliter conſumptum ſit. *l.* 3. *§.* 9. *ff. h. t.* modò etiam duret verſum, id eſt, non fuerit filiof. aut ſervo jam reſtitutum à patre vel domino. *l.* 10. *§.* 6. *ff. h. t.* quanquam neceſſe non eſt, ut tempore hujus actionis motæ adhuc utilitas ex verſo ſuperſit; ſed ſufficit, quòd quandoque utile fuerit, licèt jam caſu aliquo in rem verſum, id eſt, utile eſſe, deſierit. *l.* 3. *§.* 7. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Eſt autem inter neceſſariò & utiliter verſum differentia, nam ſi quid ex neceſſitate in rem patris verſum ſit, puta ad ædes fulciendas, totum quatenùs verſum eſt repetitur: ſin utiliter tantùm, etiam non ultra agi poteſt, quàm quatenùs id ipſum domino utile fuit. *l.* 5. *ff. h. t.* Planè ſi quid voluptatis causâ factum ſit, ejus tollendi poteſtatem tantùm habet creditor, quatenùs ſine rei detrimento poteſt. *l.* 3. *§.* 4. *ff. h. t.* (IV.)

3. Cæterùm & verſum videtur, ſi filiusfam. nomine patris, qui de peculio conveniri poterat, ſolverit. *l.* 10. *§.* 3. *ff. h. t.* ſecus, ſi ſuo nomine ut ſuum negotium gerens, licèt ita pater actione de peculio liberatus ſit, ita accipienda. *l.* 10. *§. ult.* junct. *l.* 11. Sic quoque verſum credendum eſt, ſi filiusf.

filiusf. mutuum acceptum patri donaverit. *l. 7. §. 1. ff. h. t.* Obſt. *l. 10. §. 2. ff. h. t.* Reſp. ibi nihil in rem patris verſum erat, ſed filius tantùm donandi animo ſe pro patre per novationem obligaverat. Obſt. *l. 7. pr. ff. h. t.* Reſp. ibi non pecunia mutuò accepta, ſed aliquid ex peculio donatum erat domino per ſervum. (V.)

4. Ceſſat autem hæc actio, ſi de peculio jam actum ſit. §. 4. 5. *Inſt. quod cum eo qui in al. poteſt.* quamvis alioquin major utilitas in hac, quàm de peculio actione reſideat; quatenus hæc ultra annum ab extincto peculio durat perpetuò, & in concurſu creditorum is qui in rem patris dominive credidit, & de in rem verſo agit, aliis præfertur tantùm de peculio agentibus. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* §. 4. 5. *Inſt. quod cum eo qui in al. poteſt.* Ceſſat in caſu *l. 3. §. ult. l. 4. ff. h. t.* ſi alter alterum prævenerit. (VI, VII.)

Tit. IV.

Quod juſſu.

1. ACtio quod juſſu eſt actio perſonalis, quæ datur creditoribus, qui jubente patre aut domino cum filiof. aut ſervo contraxerunt, contra patrem vel dominum, etiam fructuarium, ſi is juſſerit. *l. 1. §. pen. ff. h. t.* & ſi plures juſſerint, contra ſingulos in ſolidum. *l. ult. in fin. ff. h. t.* ad id, ut eatenus præſtetur creditum, quatenus juſſus eſt interpoſitus. *l. 3. ff. h. t.* quem ſi creditor exceſſerit, ſummam excedentem hâc actione non recuperat. Juſſiſſe autem videtur & qui ratum habuit, quique contractui ſeu chirographo ſui filiif. aut ſervi ſubſcripſit. *l. 1. §. 4. & 6. ff. h. t.* [I.]

2. Non tamen huic actioni locus eſt, ſi quis ei juſſerit credi, quem non habebat in ſuâ poteſtate, velut ſervo alieno, licèt poſteà factus ſit ejus dominus. *l. 2. in fin. ff. h. t.* aut pupillus juſſerit ſine tutoris autoritate. *l. 1. §. 7. ff. h. t.* vel juſſus ſit revocatus antequam crederetur. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* vel denique tantùm quis juſſerit contractûs executionem. *l. ult. ff. h. t.* [II, III.]

LIBER XVI.

TIT. I.

Ad Senatuſconſultum Velleianum.

1. SEnatuſconſulto Velleiano, quod conditum Marco Silano & Velleio Tutore Conſulibus, cautum eſt, ne fœminæ intercedant, nec ex ſuâ interceſſione cum effectu obligentur, datâ eis Velleiani Senatuſc. exceptione. Licèt enim prætor quandoque actiones adverſùs eas ex interceſſione deneget, & Senatus obligationem improbet. *l.* 16 *ff. h. t.* non tamen ipſo jure, ſed magìs ope exceptionis tutæ ſunt. *l.* 40. *ff. de condict. indeb.* niſi ſine inſtrumento publico interceſſerint. *l.* 23. §. *ult. C. h. t.* aut pro maritis ſuis. *auth. ſi qua mulier. C. h. t.* (I.)

2. Opponit autem hanc exceptionem non tantùm ipſa mulier, ſed & hæredes ejus; & qui mulieris mandato pro aliis interceſſerunt; quique pro muliere intercedente fidejuſſerunt. *l* 8. §. 4. 6. *l.* 16. §. 1. *ff. h. t.* Creditori ex interceſſione mulieris agenti, ſi is mulierem intercedere non ignoraverit. *l.* 1. *C. h. t. l.* 12. 28. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 13. *C. h. t.* Reſp. vel pro *licèt* legendum illic *niſi*, vel 2. mulier in caſu ibi propoſito non interceſſit, ſed tantùm mutuam pecuniam ſumpſit; licèt illam, ex poſt facto pro marito erogaverit, creditore non ignorante, eam mariti ſuaſione mutuum accepiſſe, ut deinceps illud, eodem marito permovente, in uſus mariti erogaret. Quòd ſi mulierem intercedere creditor neſciverit, ſiquidem & ipſa mulier extra dolum ſit, adhuc exceptioni locum fore dicendum eſt. *l.* 17. *ff. h. t.* ſi verò mulier fraudulenter apud creditorem ignorantem interceſſerit, non eſt obſtitura creditori hæc exceptio. *l.* 11. *l.* 27. *ff. h. t.* ut tamen creditoris ſit, accuratiùs inquirere, ſi mulier non de novo contrahat, ſed obligationem ante contractam ſuſcipiat, cùm non facilè eo caſu præſumatur ignorantia. *d. l.* 17. *pr. ff. h. t.* (II, III.)

3. Cæterùm opponi poteſt ante & poſt litem conteſtatam; etiam poſt ſententiam. *l.* 11. *ff. ad SConſult. Maced.* eâque oppoſitâ, creditoribus in priſtinos debitores & fidejuſſores actio revi-

reviviſcit, vel reſtituitur, vel de novo naſcitur, dum pro alio aliàs contracturo mulier contraxit. *l.* 1. §. *ult. l.* 8. § *pen. l.* 14. *ff. h. t.* & ſi mulier cum maſculo fidejuſſerit, ſubductâ mulieris perſonâ ſolus maſculus in ſolidum à creditore conveniri poteſt. *l.* 48. *ff. de fidejuſſ.* niſi id actum ſit, ut & mulier & maſculus viriles tantùm partes ſinguli deberent; uti id actum in caſu. *l.* 8. *C. h. t.* propter verba, *patrem in id conveniri poſſe, in quod conveniretur, ſi filia non interceſſiſſent.* Obſt. *l.* 18. *ff. h. t.* Reſp. illic pro parte mulier in ſuum commodum interceſſerat, & eatenus ceſſat hæc exceptio. *l.* 17. §. *ult. ff. h. t.* cui cohæret. *d. l.* 18. [IV, V, VI; VII.]

4. Intercedit autem mulier multis modis, puta expromittendo, fidejubendo, mandando, pignora dando, conſtituendo, novando, debitorem in judicio defendendo, judicatum ſubeundo, novam obligationem pro alio necdum obligato contrahendo. *l. 8. pr.* §. 8. & 14. *l. ult.* §. 1. *ff. h. t. & paſſim.* etiam indemnitatem promittendo tutori; qui metuens fortè, ne in pupillos erogata ob eorum inopiam non recipiat, tutelam declinat: tunc enim mulier intercedit pro pupillis apud tutorem. *l.* 6. §. 1. 2. *C. h. t.* Obſt. *l.* 8. §. 1. *l.* 19. *ff. h. t.* Reſp. ibi non eſt interceſſio, quia mulier nec veterem nec novam obligationem ſuſcipit, ſed eidem pro eodem ſe obligat. *d. ll.* (VIII.)

5. Ceſſat hæc exceptio pluribus caſibus, veluti, ſi mulier ei renuntiaverit, ſive in judicio ſive extra judicium: vix enim eſt ut videri poſſit eâdem facilitate renuntiaſſe quâ interceſſit. *l. ult.* §. 4. *ff. h. t.* Si donet, licèt ab alio mutuum acceperit ut donaret: vel ſi pro alio ſolvat ſine interceſſione. *l.* 4. §. 1. *l.* 5. *ff. h. t.* Si doloſè decipiendi causâ interceſſerit. *l.* 11. *ff. h. t.* Si poſt biennium interceſſionem repetierit. *l.* 22. *C. h. t.* niſi id feciſſet pro marito *auth. ſi qua mulier C. h. t.* Si pro interceſſione pretium acceperit. *l.* 23. *C. h. t.* Si pro dote vel pro libertate interceſſerit. *l. pen. & ult. C. h. t.* vel apud minorem, nec ſolvendo ſit debitor in quem actio foret reſtituenda. *l.* 12. *ff. de minorib.* vel in rem ſuam & propriam utilitatem. *l.* 2. *C. h. t.* vel debitor debitum, pro quo mulier interceſſerat, mulieri jam perſolverit, ut ipſa creditori ſatisfaceret. *l.* 16. *ff. h. t.* (IX, X, XI.)

6. Non tamen ceſſat beneficium Velleiani, ſi mulier ex ſua interceſſione jam ſolverit; cum poſſit ſolutum indebiti condictione repetere. *l.* 40. *ff. de condict. indeb.* niſi malit adversùs eum, pro quo interceſſit & ſolvit, actionem mandati intentare. *l.* 31. *ff. h. t.* [XII.]

7. Mori-

7. *Moribus.* Quicquid de Jure Romano diſputetur, uſu taltem receptiſſimum eſt, mulierem Senatuſconſulto Velleiano poſſe renuntiare etiam extra judicium, vel privato vel publico inſtrumento; modò de beneficio ſuo ſit inſtructa. Quòd ſi mulier publicè mercaturam exerceat, & eâ occaſione intercedat, hâc exceptione tuta eſſe nequit. Ut nec tuta eſt, ſi pro marito interceſſerit, ipſius mariti autoritate; eò quòd maritus omnia mulieris bona, ipſa etiam invitâ, alienare & obligare poteſt. Si tamen ea poteſtas marito ſit adempta pactis dotalibus, (ut adimi eam poſſe alibi dicetur) atque ita Jus Romanum reductum ſit, non aliter rectè pro marito mulier intercedit, quàm ſi huic Senatuſconſulto & Auth. ſi qua mulier renuntiaverit.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 29. ad Senatuſconſultum Velleianum.*

TIT. II.

De Compenſationibus.

1. Compenſatio eſt *debiti & crediti inter ſe contributio & confuſio. l. 1. ff. h. t.* quæ quovis tempore, etiam poſt ſententiam allegari poteſt. *l. 2. C. h. t.* & opponitur omnibus, etiam pupillis. *l. 11. C. h. t.* ac ceſſionariis, ne alias debitori iniqua per cedentem inferatur conditio, *arg. l. 4. 5. ff. h. t.* ſi modò cedens debuerit ante ceſſionem atque ita ei compenſatio objici potuerit; eò quòd ipſo jure evanuit debitum ipſo illo momento, quo quid incepit utrimque deberi, Obſt. *l. 33. §. pen. l. 34. ff. de procurat.* Reſp. agit de reconventione, quæ diverſa eſt à compenſatione ipſo jure debitum perimente. Obſt. *l. 4. §. 27. 29. 30. ff. de doli mal. & met. except.* Reſp. ibi debitum non erat ipſo jure extinctum, ut fit in compenſatione; ſed tantùm ope exceptionis, ut alia ſit ratio. Objicitur & patri compenſatio, ſi filiusfam. ejus quid debeat, etſi ſuo nomine pater agat: & vice versâ creditori contra filiumfam. agenti, ſi creditor viciſſim quid patri ejus debeat; modò caveat filius, patrem id non exacturum. *l. 9. pr. & §. 1. ff. h. t.* (I, II, III, IV, V, VI.)

2. Poteſt & procurator in rem ſuam eandem opponere. *l. 18. ff. h. t.* ſive litem jam conteſtatus ſit ſive non. *arg. l. 3. C. de novat. l. 55. ff. de procurat.* Obſt. *d. l. 18. ff. h. t.* Reſp. non excludit compenſationem ante litem conteſtatam, quodque

hîc deeſt, aliunde ſupplendum. Etiam fidejuſſor reſpectu ejus, quod ſibi vel reo principali pro quo convenitur, eſt debitum *l. 4. 5. ff. h. t.* non item principalis reſpectu ejus quod fidejuſſori creditor debebat, nec debitor pupillaris id, quod tutor pro pupillo agens debebat ſuo nomine. *l pen. ff. h. t.* nec etiam promiſſor uni correo credendi agenti rectè compenſat, quod alter credendi correus viciſſim promiſſori debebat; niſi ſint ſocii. *l. 10. ff. de duob. reis conſtit.* nec debitor hæreditarius uni ex cohæredibus, pro ſuâ tantùm parte agenti, compenſationem objicit ejus, quod alter cohæres ei debet. *l. 16. ff. h. t.* Diviſâ tamen inter tutores unius pupilli tutelâ, compenſari poteſt uni tutori quod eſt debitum ab altero contutore ejuſdem pupilli nomine *l. 36. ff. de admin. tutor.* (IV, *pr.* VII, VIII, IX, X, XI.)

3. Compenſatur omne debitum ſive naturale tantùm. *l. 6. ff. h. t.* ſive naturale & civile ſimul; ex eadem vel etiam ex aliâ causâ. *arg. l. ult. C. h. t.* Nec refert, ex contractu ſit debitum an ex delicto. *l. 10. §. 2. ff. h. t.* imo & ex crimine; modò agatur pecuniariè. *l. 46. §. 4. ff. de jure fiſci. l. 39. ff. ſolut. matrim.* Secus, ſi ad aliam pœnam publicam. *l. 13. §. 5. ad Leg. Jul. de adult.* Non etiam intereſt, utrùm certo loco an ſine loci adjectione debeatur. *l. 15. ff. h. t.* ex negotio bonæ fidei, an ſtricti juris. *§. 30. Inſt. de action.* denique nec utrùm jam alibi cœperit peti, nec ne *l. 8. ff. h. t.* [XII, XIII, XIV.]

4. Requiritur autem ut debitum utrumque ſit purum & liquidum, non ſub conditione aut in diem debitum, vel illiquidum. *l. 2. l. 7. ff. h. t. l. ult. C. h. t.* niſi ſit tale, quod ſtatim liquidum reddi poteſt, intra duos menſes in debito fiſcali. *l. 46. §. 4. ff. de jure fiſc.* in aliis tempore arbitrario. Sit & debita utrimque quantitas ejuſdem generis, non diverſi. *l. 4. l. 5. C. h. t.* Cui ſimile, ſi debitum utrimque genus idem, velut homo, equus. Alioquin corpus in ſpecie debitum cum corpore aut quantitas cum corpore compenſationem non recipit: niſi fortè ad corporis extincti æſtimationem agatur, ita accipienda. *l. 7. §. 5. ff. ſolut. matrim. l. ult. C. h. t. l. 18. §. 4. ff. commodat.* Obſt. corpus ſolvi poteſt, at compenſatio eoſdem habet effectus, quos ſolutio *l. 4. C. h. t. l. 4. ff. qui pot. in pign.* Reſp. idem effectus eſt, ſi modò priùs termini fuerint habiles compenſationis. Quòd ſi corpus aut quantitas alternativè debeatur, demum fiet compenſatio, ſi debitor declaraverit ſe velle quantitatem ſolvere. *l. 22. ff. h. t.* (XVII, XVIII.)

5. Effe-

5. Effectus compenſationis eſt, quòd pro rata debitum utrimque ipſo jure minuatur; & ſiſtatur uſurarum curſus, ex quo primitus cœpit utrimque deberi, licèt alteruter tantùm ad uſuras fuiſſet obligatus. *l.* 11. *ff. h. t.* Liberentur etiam ipſo jure pignora & fidejuſſores. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 12. *C. h. t.* & ſi quid ſolutum ſit, condici poſſit ut indebitum. *l.* 3. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* (II.)

6. Cæterùm in depoſito & causâ momentaneæ poſſeſſionis ceſſat compenſandi facultas. *l. ult. C. h. t.* uti & quibusdam in caſibus contra fiſcum. *l.* 46. §. 5. *ff. de jure fiſc. l.* 1. 3. *C. h. t.* Sic nec compenſat debitor ex cauſa annonaria. *l.* 20. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* Obſt. *l.* 17. *ff. h. t.* Reſp. ædilis diſtribuit annonam, quam ab annonæ curatoribus accepit; ac proinde curatores annonæ debitores ſunt, non ædilis. Eâdem ratione nec publicani compenſare poſſunt ſibi debita à fiſco cum mercede vectigalium, quam debent. *arg. d. l.* 3. *C. h. t. l.* 20. *ff. h. t. l.* 46. §. 5. *ff. de jure fiſc.* (XV, XVI.)

7. Quòd ſi compenſatio admiſſa non fuerit, non ideo perempta penitùs eſt petitio; niſi Judex eam non admiſerit, quòd judicaret nullum ſubeſſe debitum. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* (XIX.)

8. *Moribus.* Compenſationem hodie poſt ſententiam executioni rei judicatæ opponi non poſſe, rebus judicatis comprobatum eſt. Quòd ſi filius ſit debitor, creditori agenti opponere nequit compenſationem ejus, quod patri ipſius debet creditor.

☞ Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 31. *de Compenſationibus.*

Tit. III.
Depoſiti vel contra.

1. Depoſitum eſt *contractus bonæ fidei re conſtans, quo res alteri gratìs cuſtodienda traditur, ut quandocunque reſtituatur eadem in ſpecie.* Quòd ſi id actum ſit, ut *tantundem* reſtituatur, cùm eſſet depoſita pecunia aliáve res fungibilis, egreditur quidem ea res notiſſimos depoſiti terminos: interim tamen manet depoſitum. *l.* 24. 25. §. 1. *l.* 29. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 9. §. *ult. l.* 10. *ff. de reb. cred.* Reſp. fit mutuum, cùm id expreſsè actum eſt, ut depoſitarius utatur, de quo d. ll. non verò, ſi tantùm tacitè; quod fit, cùm id agitur ut *tantundem* reddatur. Obſt. *l.* 31. *ff. locati.* Reſp. itur in creditum, quatenus res eadem in genere tanquam ex mutuo reſtituenda eſt, in cæteris manet natura depoſiti. (I, II.)

2. Deponi poſſunt res propriæ & alienæ. *l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* modò non penes ipſum dominum alienæ deponantur. *l.* 45. *ff. de reg. jur.* Nec refert, mobiles ſint an immobiles, nam & hæ commendari, adeóque deponi poſſunt. *arg. l.* 14. *ff. h. t.* & *l.* 1. *ff. commodati.* (III.)

3. Ex hoc contractu naſcitur actio depoſiti directa & contraria. Directa datur deponenti, etiam Fiſco, ſi ipſe deponens deportatus ſit. *l.* 31. *ff. h. t.* & domino, ſi ſervus depoſuerit. *l.* 1. §. 30. *ff. h. t.* Datur & prædoni. *l.* 1. §. 39. *ff. h. t.* ut tamen in concurſu potior ſit cauſa domini. *d. l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* (IV.)

4. Si plures rem communem depoſuerint, ſingulis pro parte actio competit; niſi ſic depoſuiſſent, ut quiſque rem totam poſſet repetere. *l.* 1. §. 44. *l.* 17. *ff. h. t.* Si plures unius deponentis hæredes ſint, ſinguli pro ratâ agunt cùm res depoſita eſt dividua; at cùm individua eſt, cuique in ſolidum datur actio depoſiti, modò agens caveat de partibus aliorum cohæredum depoſitario reſtituenti nullam fore litem: quam cautionem ſi præſtare actor detrectet, depoſitarii eſt, rem in æde ſacrâ deponere, ut omni actione depoſiti liberetur. Si tamen plures rem individuam eodem tempore ſinguli ſibi reſtitui deſiderent, ei reddenda erit, qui majore ex parte hæres eſt. *l.* 1. §. 36. *ff. h. t. arg. l.* 14. *ff. h. t.* Sed ſi duo de hæreditate litigent, dum uterque ſe ſe ſolum in ſolidum hæredem contendit, ei cum effectu hæc actio accommodabitur, & res reſtituetur, qui cavet de defendendo depoſitario; alioquin & hoc caſu in æde ſacrâ res deponenda. *d. l.* 1. §. 37. *ff. h. t.* (IV.)

5. Datur contra depoſitarium & hæredes: etiam contra pupillum ſine tutoris autoritate recipientem depoſitum, modò doli capax ſit. *l.* 1. §. 15. *ff. h. t.* Si plures ſint depoſitarii, contra ſingulos in ſolidum. *l.* 1. §. 43. *ff. h. t.* Inſuper contra filium aut ſervum, ſi adhuc in poteſtate conſtituti ſuſceperint rem cuſtodiendam, eámque poſt manumiſſionem vel emancipationem adhuc poſſideant. *l.* 21. *ff. h. t.* ſecus, ſi manumiſſus non poſſideat. *l.* 1. §. 18. *ff. h. t.* Non contra tertios rei depoſitæ poſſeſſores, niſi depoſitarius juſſu deponentis eam penes tertium depoſuerit. *l.* 1. §. 11. *ff. h. t.* ſi enim juſſus ille deſit, deponens contra depoſitarium ad id tantùm agit, ut is cedat deponenti actiones contra ſecundum depoſitarium competentes. *l.* 16. *ff. h. t.* (V.)

6. Tendit ad id, ut res depoſita reſtituatur cum acceſſionibus & uſuris ex morâ. *l.* 1. §. 24. *ff. h. t. l.* 2. *C. eod.* adeò ut nec

nec interceſſio ſeu prohibitio tertii reſtitutionem impediat, pœna in intercedentem conſtituenda. *l. pen. auth. ſed jam C. h. t.* nec retentio locum habeat ob impenſas. *arg. l.* 11. *C. h. t.* nec pactum ſervandum ſit, quo id actum, ut demum poſt certum tempus fieret reſtitutio. *l.* 1. §. 45. 46. *ff. h. t.* non obſtante *l.* 1. §. 22. *ff. h. t.* quippe quæ de ſequeſtrato depoſito agit, cui adeſt conditio. Inſuper, ut depoſitarius damnum ſarciat ſuo dolo vel latâ culpâ datum. *l.* 32. *ff. h. t. l.* 23. *ff. de reg. jur.* De levi enim vel leviſſima culpa non tenetur. *d. l.* 23. niſi id actum ſit, aut ſpontè ſe obtulerit depoſito. *l.* 1. §. 6. & 35. *ff. h. t.* Multóque minùs de caſu fortuito, niſi id actum ut tantundem reddatur. *arg. l.* 24. *ff. h. t. l.* 10. *ff. de jure dot.* vel res perierit poſt litem conteſtatam. *l.* 12. §. *ult. ff. h. t.* junct. *l.* 23. *ff. de verb. obl.* Quòd ſi hâc conventus actione contumaciter rem reſtituere detrectet, adverſùs eum in litem juratur. *l.* 1. §. 26. *ff. h. t.* (VI, VII, VIII, IX.)

7. Contraria actio depoſiti datur depoſitario, contra deponentem, ad impenſas in rem depoſitam factas, licèt modicas. *l.* 23. *ff. h. t.* & damnum depoſitario ex re depoſitâ datum. *l.* 5. *l.* 23. *ff. h. t.* nec pro damno res noxæ dari poteſt. *l.* 61. §. 5. *ff. de furtis.* (X.)

8. Eſt autem depoſitum vel *ſimplex*, cùm res non litigioſa deponitur extra neceſſitatem; de quo actum. Vel *miſerabile*, cùm res incendii, ruinæ, vel naufragii causâ deponitur ex neceſſitate. In quo id ſingulare, quòd depoſitarius ex hujus depoſiti inficiatione in duplum teneatur. *l.* 1. §. 1. & *ſeqq. ff. h. t.* ut & hæres ejus ex proprio dolo; non verò defuncti: quippe cujus nomine tantùm intra annum in ſimplum condemnatur. *l.* 1. *pr. l.* 18. *ff. h. t.* Vel denique *ſequeſtrarium*, cùm pecunia vel alia res litigioſa à litigantibus aut Judice ex partium conſenſu penes tertium deponitur, ut poſt litis eventum victori reſtituatur. *l.* 6. *l.* 17 *ff. h. t.* Quo depoſiti genere non tranſit in ſequeſtrum poſſeſſio, niſi id actum ſit. *l.* 39. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Obſt. *l.* 17. *in fin. ff. h. t.* Reſp. agit de caſu, quo ipſa poſſeſſio ſequeſtrata fuit. (XI, XII.)

9. Invitis autem litigantibus non eſt permiſſa ſequeſtratio, cùm executionis ſpecies ſit. *l. un. C. de prohib. ſequeſt pecun.* niſi juſta ſubſit cauſa, veluti metus dilapidationis aut fugæ, contumacia adverſarii, ſui copiam non facientis aut non caventis. *l.* 7. §. *ult ff. qui ſatisd. cog. l.* 20. *C. de agric. & cenſit. l.* 5. *C. quor. appell non recip. l.* 16. *ff. de off. præf. l.* 21. §. *ult. ff. de appellat.* quibus in caſibus & numeratæ pecuniæ ſequeſtratio-

 nem

nem fieri nihil impedit: licèt enim perire nequeat, quatenùs ut genus conſideratur, ipſa tamen nummorum corpora expendi & ſic adverſarius non ſolvendo fieri poſſet. Plerumque tamen factâ per Judicem ſequeſtratione, res ſequeſtrata reſtituenda erit, ſi idonea cautio præſtetur. *l. ult. C. de ordine cognition. l. 7. §. ult. ff. qui ſatiſd. cog. l. 20. C. de agricol. & cenſit.* (XIV.)

10. Ex ſequeſtratione actio depoſiti ſequeſtraria naſcitur directa & contraria, in quibus eadem ferè, quæ in actione ſimplicis depoſiti, obtinent. *l. 5. §. 1. 2. l. 12. §. 2. ff. h. t.* Si tamen aut non ſequatur aut non ad finem perducatur lis ſuper re ſequeſtrata, ea repetenda erit non hâc ſequeſtrariâ, ſed præſcriptis verbis actione. *l. 9. §. 3. ff. de dolo.* (XV.)

11. *Moribus.* Creditor deponentis poteſt hodie intercedere quominus depoſitarius rem depoſitam deponenti reſtituat; dum eam curat arreſto gravari: quæ tamen arreſtatio præſtitâ cautione evaneſcit, ut alibi dictum. Quæ autem depoſitiones apud Romanos fiebant in æde ſacrâ, hæ moribus potiùs apud acta publica fiunt & Graphiariis traduntur res aſſervandæ, qui, ſi depoſitâ pecuniâ uſi fuerint, ad uſuras tenentur. Cæterùm dupli pœna ex cauſa depoſiti miſerabilis apud nos haud obtinet.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 34. Depoſiti vel contra.*

LIBER XVII.

TIT. I.

Mandati vel contra.

1. MAndatum, quod à commendatione differt. *l. 12. §. 12. ff. h. t.* eſt *Contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, quo negotium honeſtum alteri id ſuſcipienti gratis gerendum committitur.* Ut tamen honorarium intervenire poſſit, & extra ordinem peti, ſi certum promiſſum ſit, non ſi incertum. *l. 7. l. 56. §. 3. ff. h. t. l. 1. l. 17. C. eod.* licèt advocati etiam non promiſſum petere poſſint; idque quia publicum eſt eorum officium. *l. 4. ff. de extraord. cognit.* Obſt. actione mandati poteſt honorarium peti. *l. 6. ff. h. t.* Reſp. ſenſus

eſt,

eſt, per honorarii promiſſionem non everti naturam mandati, ſed eo non obſtante mandati actionem eſſe, non ad honorarium, verùm ad ea quæ mandato comprehenſa ſunt. (I, II.)

2. Eſt autem mandatum vel *expreſſum*, vel *tacitum*, quando quis præſens & ſciens patitur per alium ſua negotia geri. *l.* 18. *ff. h. t.* de quo ad tit. de procurat. Inſuper vel contrahitur gratiâ mandantis tantùm, vel mandantis & mandatarii, vel mandantis & alienâ, vel alienâ tantùm, vel mandatarii & alienâ. *§.1.Inſt.h.t.* vel denique mandantis mandatarii & alienâ gratiâ. *l.* 8. *§.* 4. *ff. h. t.* Solius mandatarii gratiâ ſi mandetur, conſilium magìs quàm mandatum eſt, & ob id non obligatorium, niſi fraulentum ſit. *l.* 47. *ff. de reg. juris.* vel quis conſulerit ut perſonæ crederetur. *§. 6. Inſt. h. t.* aut de certa perſona rogatus reſponderit, *bene credis* aut ſimile. *l.* 12. *§.* 13. *arg. l.* 6. *§.* 5. *ff. h. t.* [III, IV.]

3. Mandare poteſt quilibet, qui & contrahere; etiam ipſe mandatarius rursùs alteri negotium ſibi commiſſum; eo excepto, quòd judiciale negotium non poſſit alteri ut procuratori demandare ante litem conteſtatam. *l.* 8. *§.* 3. *ff. h. t. l.* 11. *C. de procurat.* Deportatus mandare quidem poteſt quatenùs mandatum eſt juris gentium, non verò quatenus Juris Civilis eſt. *l.* 15. *ff. de Interdictis & relegat. arg. l.* 17. *§.* 1. *ff. de pœnis.* Obſt. *l.* 22. §. 5. *ff. h. t.* Reſp. intelligi poteſt de relegato, cujus bona licèt non ſoleant publicari, ex cauſa tamen publicari poſſunt. *l.* 14. *§.* 1. *ff. de interdict. & releg.* & per *actionem utilem.* in *d. l.* 22. *§.* 5. deſignatur actio efficax, ut in *l.* 37. *ff. h. t.* (V.)

4. Mandantur negotia honeſta & licita; rei enim turpis nullum eſt mandatum, nec inde inter mandantem & mandatarium actio datur. §. 7. *Inſt. h. t. l.* 12. §. 11. *l.* 22. §. 6. *ff. h. t.* licèt perſecutio pœnæ vel privatæ vel publicæ contra utrumque propter turpitudinem locum habeat. *l.* 11. *§.* 3. *ff. de injuriis. l.* 7. *§. ult. ff. de juriſdict. l.* 15. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* (VI, VII.)

5. Ex mandato actio mandati naſcitur, directa & contraria. Directa mandanti datur, cujus intereſt. *l.* 8. *§.* 6. *ff. h. t.* contra mandatarium, &, ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum. *l.* 60. §. 2. *ff. h. t.* excuſſo tamen priùs eo, qui ſolus adminiſtravit. *arg. l. ult. C. de divid. tutel.* Ad id, ut exſequatur mandatum juxta præſcriptum modum, aut aliàs ſolvat id quod intereſt: etiam reſtituat quod penes eum ex adminiſtratione reſidet, ac actiones cedat, quas acquiſivit;

præſtet denique dolum & omnem culpam *l. 13. l. 21. C. h. t.* Obſt. *l. 10. ff. h. t.* Reſp. pro ſubjecta materia *bona fides* denotat omne, quod quis ex natura contractûs præſtare debet. Obſt. *l. 23. ff. de reg. iuris.* Reſp. non excludit culpam leviſſimam; proinde ex aliis legibus ſupplenda. Obſt. in depoſito ſola præſtanda culpa. *d. l. 23.* Reſp. id ideo non obtinet, quia in depoſito nihil gerendum, ſed tantùm aliquid cuſtodiendum eſt, ad quam cuſtodiam induſtriâ & diligentiâ opus non eſt, ſed ſola bona fides ſufficit, cùm in mandato quid gerendum ſuſcipiatur, ad quod induſtria omnimodò eſt requiſita. (VIII, IX.)

6. Contraria mandati actio competit mandatario; etiam patri, ſi is pro ſuo filio f mandatario mandatum contemplatione filii perfecerit, ut ejus fidem impleret. *l. 12. §. 5. ff. h. t.* ſecùs ſi id egerit pro filio, ſed mandantis intuitu, vel filii quidem intuitu ſed poſt emancipationem: quibus caſibus magis eſt ut negotiorum geſtorum actio detur. *l. 12. §. 6. ff. h. t. l. 46. ff. de negot. geſt.* Contra mandantem, ut durante mandato neceſſaria ſubminiſtret. *l. 12 §. ult. ff. h. t.* eoque finito reſtituat impenſas neceſſarias & utiles unà cum uſuris, licèt utiles eſſe deſierint, vel non extiterit ſperata utilitas. *l. 1. l. 4. C. h. t. arg. l. 10. §. 1. ff. de negot. geſt.* licèt etiam ipſe mandans potuiſſet parciùs impendere. *l. 27. §. 4. ff. h. t.* Damnum præterea reſarciat, quod mandatarius in rebus propriis occaſione mandati paſſus eſt, modò id non caſu ſed aliquâ mandantis culpâ contigerit. *l. 26. §. 6. ff. h. t.* Proinde ſi quis certum ſervum, puta Stichum emi mandaverit ísque mandatario furtum fecerit, idipſum mandans reparabit. *l. 16. §. 5. ff. de furtis* ad quod non teneretur, ſed ſervum noxæ dando liberari poſſet, ſi ſervum in genere tantùm ſine certæ perſonæ deſignatione emi mandaſſet; quo de caſu accipe *l. 26. §. 7. ff. h. t.* in cujus fine *ſcientia* talis videtur intelligenda, quæ poſt interpoſitum mandatum ſervúmque jam emptum ſupervenit. (X, XII, XIII, XIV.)

7. Non ultra tamen mandatarius, quod impendit, hâc actione contrariâ recuperat, quàm quatenus mandati fines ſervavit. *§. 8. Inſt. h. t.* quos ſi exceſſerit, fortè pluris emendo rem quàm mandatum erat, nec mandati nec negotiorum geſtorum actione, quod ampliùs impendit, repetit; cùm videatur inviti & prohibentis geſſiſſe negotia. *l. 3. §. ult. ff. h. t. arg. l. 40. ff. h. t. l. ult. C. de negot. geſt.* Si tamen res, quæ pluris empta eſt, etiam verè pluris valeat, non tenetur mandatarius

rius eam aliter mandanti præſtare, quàm ſi hic paratus ſit totum pretium, quod datum eſt, refundere. *arg. l. 3. in fin. l. 5. l. 27. §. 2. ff. h. t.* [XI.]

8. Finitur mandatum morte mandantis. §. 10. *Inſt. h. t. l. ult. in fin. ff de ſolution.* niſi id mandatum ſit, quòd demum poſt mandantis obitum impleri poteſt. *l. 12. § ult. l. 13. ff. h. t.* vel mandatarius ignorans mortem mandantis perfecerit negotium. *d. §. 10. Inſt. h. t.* vel actio mandata ſit. *l. 1. C. de obl. & act.* vel tale quid, ad quod mandans jam ante erat obligatus veluti ut tradatur poſſeſſio, & hæredes eam traditionem non prohibuerint. *l. 33. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* vel mandatum inſtitori datum ſit. *l. 17. §. 2. 3. ff. de inſtit. act.* vel ad mandatum ſecuta ſit ſtipulatio. *l. ult. pr. ff. de ſolution.* vel denique officii ſui nomine quis mandaverit; veluti præſes. *l. 49. §. 1. ff. de judiciis.* (XV.)

9. Finitur & morte mandatarii. *d. §. 10.* adeò ut hæredes ejus negotia adhuc integra perficere nequeant; licet ad id quod intereſt, actionem habeant ex facto ſeu geſtione defuncti, & ea, quæ jam cœpta erant, poſſint perficere. *arg. l. 27. §. 3. ff. h. t.* imò ſi hæredes negotia adhuc integra probabili errore ducti geſſerint, valet ſummo jure quod per hæredes actum eſt; quamvis ob juſtam domini abſentiam reſcindi poſſit, ſi is læſus ſit. *l. 57. ff. h. t.* Revocatione quoque mandantis, & mandatarii renunciatione evaneſcit mandatum, utrobique tamen re adhuc integrâ §. 9. 11. *Inſt. h. t.* cùm mandati actio utrimque naſcatur demum ex quo cœpit intereſſe. *l. 8. §. 6. ff. h. t.* re non integrâ, præſtandum id quod intereſt, niſi juſta renunciandi cauſa ſubſit. *l. 22. §. ult. l. 23. & ſeqq. ff. h. t.* (XVI, XVII.)

10. *Moribus.* Honorarium incertæ pollicitationis hodie per procuratorem peti poſſe; repeti etiam poſſe ex æquitate damnum, quod mandatarius occaſione mandati, licèt caſu, paſſus eſt; uſuras verò impenſarum non niſi à tempore litis conteſtatæ mandatario deberi, cenſent Pragmatici. Si plures mandatarii mandatum ſuſceperint, ſinguli non in ſolidum, ſed pro rata tantùm tenentur, oppoſitâ ſaltem diviſionis exceptione. Quòd ſi procurator mandato domini contraxerit, neceſſe non eſt, ut domino actionem ex contractu cedat, ſed dominus etiam ſine ceſſione agere poteſt; tum quia quiſque hodie ulteri ſtipulari poteſt & contrahere, tum quia procuratores in negotiis contrahendis conſiderantur ut nuncii.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 35. mandati vel contra.*

Tit. II.

Pro Socio.

1. Societas eſt *contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, ſuper re honeſta de lucri & damni communione.* Eámque contrahunt omnes liberam habentes rerum ſuarum adminiſtrationem: purè, in diem, ſub conditione, in perpetuum, id eſt, donec vivunt. *l.* 1 *ff. h. t.* non in æternum *l.* 70 *ff h. t.* expreſsè, vel tacitè, re ipsâ, ipſo facto *l.* 4. *ff h. t* (I, II.)

2. Eſt autem vel *publica*, quæ eſt vectigalium ſocietas vel *privata*, quæ de rebus privatorum initur. *l.* 59 *ff h. t.* Eſt & vel univerſalis totorum bonorum, vel particularis: illa eſt, in quam veniunt omnia mobilia, immobilia, incorporalia, præſentia & futura, hæreditates, legata, donationes, omne lucrum omnéque damnum, dos filiæ, ſumptus ſtudiorum filii, &c. *l.* 1. 2 3. *l.* 73 *ff. h. t. arg. l.* 39. §. 3. *ff. famil. erciſc.* Obſt. *l.* 81. *ff. h t.* Reſp ibi non agitur de ſocietate univerſali totorum bonorum. Et corporalia quidem tempore ſocietatis initæ penes ſocios reperta ipſo jure citra veram traditionem fiunt communia, poſtea verò quæſita communicanda ſunt: uti & cedenda incorporalia tam præſentia quàm in futurum acquirenda *l.* 1. 2. 3 *l.* 74. *ff. h. t. Particularis* eſt, in quam ea ſola veniunt, quæ ſocietatis intuitu acquiruntur induſtriâ & labore ſociorum. *l.* 7. 8. *ff. h. t.* ſive ſimpliciter ineatur ſocietas. *d. l.* 7. ſive de certâ re vel certa univerſitate. (III, IV, V. VI.)

3. Verſatur ſocietas circa res honeſtas, non turpes. *l.* 57. *ff. h. t. l.* 1. §. 14. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* & lucrum ac damnum inde eveniens, quod cuique ſociorum cedit pro ratâ rerum in ſocietatem collatarum, niſi aliud actum ſit: id enim ex ſociorum dependet voluntate, quorum pacta qualiacumque de lucro & damno interpoſita valent. §. 1. 2. *Inſt. h. t.* modò leonina evitetur ſocietas, quâ unus omne lucrum alter omne damnum ferret. *l* 29. §. 2. *ff h. t.* Si tantùm de lucri vel tantùm de damni partibus quid expreſſum inveniatur, in eo quod prætermiſſum eſt, eædem partes ſervandæ ſunt. §. 3. *Inſt h. t.* Semper tamen illud demum lucri nomine venit in ſocietate, quod ſupereſt penſato omni damno. *l.* 30 *ff. h t.* §. 2. *Inſt. h. t.* VII, VIII.)

4. Ex hoc contractu actio pro ſocio naſcitur utrimque directa

recta & infamans. *l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* quæ plerumque finitâ ſocietate locum habet, quandoque tamen & eâ durante, ſi non expediat nunc eam dirimi. *l.* 65. §. *pen. ff. h. t.* Et datur ſocio contra ſocium non tam ad ipſarum rerum communium diviſionem. *arg. l.* 1. *ff. commun. divid.* quàm potiùs ad id ut lucra communicet, damna reparet, cautionem de damno vel lucro imminente communicando præſtet. *l.* 28. *ff. h. t.* impenſas pro ratâ refundat unà cum uſuris, quas aut erogavit, nummos impendendos mutuò accipiens, aut ex propria pecunia expenſa potuiſſet redigere. *l.* 67. §. 2. *ff. h. t.* quas ſi intra quatuor menſes non reddat reus condemnatus, liberum eſt ſocio, qui impendit, rem totam pro impenſis retinere. *l.* 52. §. 10. *ff. h. t.* (IX, X, XI, XII, XIII, XVI, XVII.)

5. Tendit inſuper ad id, ut ſocius reſtituat, quod ſupra ſuam partem ſocietatis intuitu actor ſolvere extraneo coactus fuit. *arg. l.* 1. §. *ult. & ll. seqq. ff. de his qui effuderint vel dejecerint, l.* 1. §. *ult. & ll. ſeqq. ff. de exercit. act. arg. l.* 27. *ff. h. t.* Etenim, ſi unus ex ſociis ſocietatis negotia gerens contraxerit, ac in arcam communem verterit pecuniam, cæteros obligat. *l.* 28. *ff. h. t.* & quidem ſingulos in ſolidum. *arg. d. ll.* niſi aliud actum ſit. *arg. l.* 1. §. 13. 14. *ff. de exercit. act.* quamvis ex adverſo ſocii ſinguli ex contractu, ſocietatis nomine inito, nunquam in ſolidum agant contra eos, qui quid ſocietati debent, niſi ſint correi credendi. *l.* 9. *C. ſi cert. petat.* exceptâ ſpecie. *l.* 27. *ff. de pactis.* (XIII, XIV, XV.)

6. Denique ad id, ut quiſque ſociorum præſtet id, quod ſpecialiter in ſe receperat. Quò pertinet *l.* 69. *ff. h. t.* cujus caſus hic videtur; quod inter plures, nundinarum tempore contractâ ſocietate, convenerit, ut unus eorum reliquis operam ſimul impenſuris epulas præberet ſuis ſumptibus: qui cùm legi ſeu conditioni non pareret, quæritur, quæ ob id actio competat, & reſpondetur, actionem pro ſocio dandam, ſcilicet ſociis, ut ab epularum ſolutione ipſi immunes ſerventur: dandam & ex vendito actionem, nempe epularum venditori, ad pretium epularum conſequendum. (XVIII.)

7. Præſtanda autem in ſocietate lata & levis culpa, non leviſſima nec caſus fortuitus; adeò ut damnum culpâ leviſſimâ aut caſu datum commune ſit. *l.* 52. §. 4. *ff. h. t.* Quòd ſi in nonnullis negligentiſſimus, in pleriſque diligentiſſimus fuerit ſocius, admittenda non eſt diligentiæ cum negligentiâ compenſatio, ſed ex negligentia ſocio tenetur. *l.* 25. 26. *ff. h. t.* (XII.)

8. Cæ-

8. Cæterùm ſocius ex actione pro ſocio condemnatus competentiæ gaudet beneficio, non modò in univerſali, ſed & particulari ſocietate. *l.* 63. *ff. h. t.* nec particularem ſocium excludit Ulpianus in *l.* 16. *ff. de re judic.* ſed tantùm caſum minus dubii habentem de univerſali ſocio determinat: cui alterum de particulari ſocio magis dubium abjicit in *d. l.* 63. *ff. h. t.* unde ſupplendum quod *d. l.* 16. deeſt. Non tamen hoc utitur beneficio, ſi ſe ſocium negaverit. *l.* 67. §. *ult.* vel dolo fecerit, quo minùs ſolidum præſtare poſſit. *l.* 63. §. 7. *ff. h. t.* [xx.]

9. Quòd ſi ex pluribus ſociis unus egerit contra ſocium ex ſocietate obligatum, & damni reparationem pro ſuâ parte in totum obtinuerit, deinde verò reliqui pro ſuâ quoque parte agentes ſolidum conſequi nequeant ob ſocii conventi inopiam; is qui ſolidum acquiſivit, pro ratâ reliquis præſtare tenetur ex eo, quod vigilando ſibi ſervaverat, ut ita ſit inter ſocios æqualitas. *l.* 63. §. 5. *ff. h. t.* contra communem regulam in *l.* 19. *ff. de re jud.* propoſitam. [xxi.]

10. Finitur ſocietas morte unius ſocii; etiam inter reliquos ſuperſtites, niſi vel ſocietas ſit vectigalium, vel in privata id actum ſit, ut inter reliquos maneat ſocietas. *l.* 59. *ff. h. t.* §. 5. *Inſt. h. t.* Ut ipſe hæres ſocii defuncti in ſocietatem ſuccedat, ab initio conveniri nequit. *l.* 35. *ff. h. t.* quamvis de novo aſſumi poſſit in ſocietatem. *l.* 37. *ff. h. t.* ſed ſi aſſumptus non fuerit, tamen emolumenti ſucceſſor eſt. *d. l.* 63. §. 8. *ff. h. t. l.* 6. §. 6. *ff. de his qui not. infam.* atque etiam per defunctum cœpta implere tenetur, in iiſque dolum præſtat. *l.* 40. *ff. h. t.* Quòd ſi unus ex ſociis ignorans alterius ſocii mortem negotia communia bonâ fide geſſerit, lucrum & damnum commune erit poſt mortem ſocietati obveniens. *l.* 65. §. 10. *ff. h. t.* [xxiii.]

11. Extinguitur quoque renuntiatione non doloſâ. *l.* 14. 17. §. 1. *ff. h. t.* ſive expreſsâ ſive tacitâ, ſeparatim fortè negotiando. *l.* 64. *ff. h. t.* ſive abſenti factâ. Quandoque tamen per renuntiationem renuntians ſocium quidem à ſe dimittit, at ipſe non dimittitur; ac lucra ſibi obvenientia communicat, damnum ſolus fert; & ex adverſo lucri ſocio obvenientis particeps non eſt, damna ei illata ſimul fert. Quod contingit in callidâ renuntiatione. §. 4. *Inſt. h. t. l.* 65. §. 3. *ff. h. t.* & ea quæ abſenti fit; ſc. uſque ad tempus, quo renuntiatio ſocio abſenti innotuerit. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* ut & ſi ante

ante tempus facta ſit, cùm ſocietas ad certum tempus eſſet inita. *l.* 65. §. 6. *ff. h. t.* niſi juſta ſubſit maturiùs renuntiandi cauſa. *l.* 14. *l.* 15. *ff. h. t.* (XXIV, XXV.)

12. Publicatione etiam bonorum & ceſſione ſocietatem perimi conſtat ex §. 7. 8. *Inſt. h. t.* ſi modò cedens aut publicationem patiens rem contulerit, non verò ſi operas: quippe quæ non minùs poſtquàm ante ceſſionem præſtari poſſunt; ſic ut eo caſu non deficiat ſocietatis materia, atque ita ceſſet ratio, cur finiretur. (XXVI.)

13. Finitâ autem ſocietate, res ſociorum communes pro ratâ, quà collatæ, redeunt ad ſocios; ſeu, quiſque, quod contulit, deducit, exceptâ totorum bonorum ſocietate, in quâ viriles ſingulis partes cedunt, niſi aliud actum ſit. Quòd ſi unus operam, alter pecuniam contulerit, rem conferens eandem priùs deducit, ſi opera collata tam levis ſit, ut videatur cum uſu aut ſperatis pecuniæ uſuris compenſanda. *arg. l.* 5. §. 1. *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* ſecus fortè, ſi tanti valeret opera, quanti ipſa ſors, juxta §. 2. *Inſt. h. t.* quo caſu vix eſt, ut ei, qui rem contulit, concedatur priùs eandem deducere, ne manifeſta inde oriatur inter ſocios inæqualitas. (XXVII.

14. Quamvis verò ſocius in dubio non præſumatur in re communi furtum voluiſſe committere: ſi tamen id probari poſſit, non hâc tantùm ſed & furti actione pœnali conveniri poteſt, nec altera inſtituta alteram tollit. *l.* 45. 51. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 71. *ff. de furtis.* Reſp. ibi per *actionem furti* intelligenda condictio furtiva. (XXVIII.)

15. *Moribus.* Non gaudent hodie ſocii beneficio competentiæ. Quòd ſi alter ſociorum in rem communem impenſas fecerit, & ſocium ſibi habeat condemnatum ad eas reddendas, non tamen poſt quatuor menſium moram poteſt rem ipſam pro impenſis jure dominii retinere. Cæterùm conjugalis ſocietas mortuo uno ex conjugibus inter ſuperſtitem tamen & liberos communes Ultrajecti durat, donec conjux ſuperſtes inventarium confecerit.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 37. *pro Socio.*

LIBER

LIBER XVIII.

TIT. I.

De contrahenda Emptione & de Pactis inter Emptorem & Venditorem compoſitis, & quæ res venire non poſſunt.

1. EMptio eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans de re certo pretio permutanda. Ejúſque tria ſunt ſubſtantialia requiſita, conſenſus, merx ſeu res, & pretium. Conſenſus quidem ante omnia ex generali contractuum natura eſt neceſſarius: unde & regula recepta eſt, neminem invitum cogi poſſe ut emat, aut vendat. *l.* 11. *C. h. t.* niſi aliud ſuadeat favor ſepulturæ. *l.* 12. *ff. de religioſ.* aut libertatis. *§. ult. Inſt. de donat.* aut publicæ utilitatis. *l.* 14. *§.* 1. *ff. quemad. ſerv. amitt.* vel malitia domini re ſua abutentis. *§. ult. Inſt. de his qui ſui vel al. jur.* vel individuæ rei fiat adjudicatio. *l.* 13. *§.* 17. *ff. de act. empti.* (I, II, III.)

2. Obeſt autem conſenſui dolus & metus, de quibus actum *libr.* 4. *tit.* 2. 3. obeſt & error, qui facit emptionem ipſo jure nullam, ſi ſit in corpore. *l.* 9. *ff. h. t.* Vel in pretio, quoties nulla ſumma concurrens eſt, in quam emptor & venditor conſentiant. *d. l.* 9. *ff. h. t.* Vel in qualitate ſubſtantiali. *l.* 9. *§.* 2. *l.* 11. *§.* 1. *ff. h. t.* Vel in qualitate quam res habet à jure, dum ſacra ſancta &c. eſt. *§. ult. Inſt. h. t.* licèt ſcienter emens talem rem ab ignorante teneatur ad pretium. *arg. l.* 57. *§.* 2. *ff. h. t.* & ignoranter emens à ſciente petat id quod intereſt. *d. §. ult. Inſt. h. t.* Vel denique in tota materia. *l.* 14. *ff. h. t.* quamvis ſtipulatio & pignus nihilominus ſubſtant; cùm in his præſtet aliquid, quàm nihil percipere. *l.* 1. *§. ult. ff. de pignor. act. l.* 22. *de verb. ob.* (V.)

3. Non tamen ipſo jure nulla eſt emptio, ſed ſubſiſtit, pretio pro ratâ augendo aut diminuendo, ſi error ſit tantùm in qualitate accidentali. *l.* 11. *§.* 1. *ff. h. t.* vel in parte materiæ. *l.* 14. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 41. *§.* 1. *ff. h. t.* Reſp. erratum ibi fuit in tota materia, dum menſa vendita auro tantùm cooperta

erat,

erat, nulla ſui parte aurea, confer. *l. 9. §. 1. ff. de ſupell. leg.* Nec his in caſibus præſtandum id, quod intereſt, ſi venditor juſtam habuerit errandi cauſam. *l. 45. ff. h. t.* Obſt. *l. 21. §. 2. ff. de act. empti.* Reſp. accipi poteſt de venditore, ignorante quidem, ſed ſupinâ & minùs probabili ignorantiâ. [VI.]

4. Quòd ſi in quantitate erratum fuerit, valet quidem venditio, ſed pretium augendum vel minuendum, prout major minórve inventus fuerit agri modus, quàm contractu expreſſus erat; ſi modò ad quantitatem res ſit diſtracta. *l. 4. §. 1. ff. de act. empti. l. 40. §. 2. ff. h. t.* Idémque erit, ſi quantitas quidem, quæ deſignata eſt, inveniatur, ſed non talis naturæ aut bonitatis; ut ſi decem jugera in pratis, decem in vineis dicantur eſſe, & duodecim in pratis, octo in vineis inveniantur: minuendum namque pretium pro bonitate quæ abeſt. *l. 4. §. 1. l. 42. in fin. ff. de act. empti* Si verò non ad quantitatem ſed ad corpus res fuerit divendita, inventus aliquanto major minórve rei modus nequaquam minuet, augebítve pretium, niſi concurrat venditoris dolus. *l. 13 §. 14. ff de act. empti.* (VII.)

5. Emere poſſunt quilibet non prohibiti, quiſque pro ſe, nemo pro alio niſi procurator ſit. *l. 13. §. 25. ff. de action. empti.* alioquin nec ſibi, nec illi, pro quo emit, actionem acquirit: ſed dominus fiet is; cui ex his duobus venditor tradiderit. *l. 6 in fin. C. ſi quis alteri vel ſibi.* quamvis inſertum venditionis inſtrumento nomen alienum non impediat, quo minùs actionem habeat, qui ſe non alieno ſed ſuo nomine emiſſe probat *l. 3. 4 5. 6. C. ſi quis alteri vel ſibi.* Cæterùm tutor palam emere poteſt rem pupilli. *l. 5. C. h. t.* uti & à contutore, ſi bonâ fide geratur negotium. *l. 5. §. 2. ff. de autor. tut.* non verò clam, nec per interpoſitam perſonam. *l. 34. §. ult. ff. h. t. l. 5. §. 3. ff. de aut. tutor.* Obſt. *l. 56. ff. de admin. tutor.* Reſp. tutor eo caſu rem comparaſſe videtur non à pupillo, ſed ab iis, qui modo legitimo rem pupilli emerant, & in pretii ſolutione deficiebant. Non etiam emere conceſſum Magiſtratibus eorúmque domeſticis ac miniſtris per ſe vel interpoſitam perſonam in ea provincia, cui præſunt: ſub pœnâ quadrupli & amiſſionis rei emptæ, ſi ex officio emerint. *l. 46. ff. h. t.* licèt Princeps permiſiſſet. *l. un. §. 2. 3. 4. C. de contract. jud.* Sin aliter extra officii limites quid ibi comparaverint, pretio priventur, quod fiſco cedit, re venditori reſtitutâ. *l. 46. §. 2. ff. de jure fiſci. l. 11. C. quod met. cauſ.* niſi vel prædia paterna diſtrahantur. *l. 62. ff. h. t.* vel emptio

ſit rerum ad victum & veſtitum pertinentium *l. un. C. de contract. jud.* Ita nec quiſquam domum emere poteſt eâ intentione ut deſtruat; conſtitutâ dupli fiſco inferendi pœnâ, ſed venditor emptori pretium acceptum reſtituit. *l. 52. ff. h. t.* atque ita effectu inſpecto emptor ac venditor ſimplo ſinguli mulctantur *l. ult. ff. de damno infecto.* [VIII, IX, X, XI, XII.]

6. Vendi poſſunt res omnes quæ ſunt in commercio. *l. 34. §. 1. ff. h. t.* præſentes & futuræ, fructus naſcituri, frumentum in herba. *l. 8. l. 78. §. 3. ff. h. t.* corporales & incorporales, alea, jactus retis, &c. *l. 8 ff. h. t. l. 12. ff. de act. empti.* annuus reditus, ſive in fructibus ſive in pecunia numerata (quæ tunc ut corpus ſeu merx conſideratur) conſiſtat. *nov. 160. c. 1. nov. 72. c. 7. in med.* res propriæ & alienæ. *l. 28. ff. h. t.* res communes à ſingulis ſociis pro ſuâ parte, non ultra. *l. 13. §. 17. ff. de act. empti. l. 68. ff. pro ſocio.* excepto fiſco, qui ex privilegio rem communem in ſolidum vendit. *l. 2. C. de commun. rer. alien.* Non ſacræ, ſanctæ, religioſæ, homo liber, ne ſub conditione quidem. *l. 22. & ſeqq. l. 34. §. 2. ff. h. t.* nec res per teſtatorem vel legem alienari prohibitæ. *l. ult. §. 2. & 3. C. commun. de legatis. pr. Inſt. quib. alien. licèt vel non.* ſecus ſi ex pacto fluat alienationis prohibitio, quo caſu ſubſiſtit emptio, datâ venditori, qui id pactus fuerat, ad id, quod intereſt actione. *l. 3. C. de condict. ob cauſ. dat.* Non etiam vendi poteſt cos, arma, vinúmve barbaris. *l. 1. 2. C. quæ res export. non deb.* nec ſervus Chriſtianus Judæo. *tit. C. mancip. Chriſt.* nec venena mala. *l. 35. §. 2. ff. h. t.* nec Romanæ gentis eunuchi. *l. 2. C. de eunuchis.* (XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX.)

7. Sine re autem, quæ veneat, nulla emptio, nulla venditio eſt. *l. 8. ff. h. t.* Unde ſi res vendita in univerſum ante contractum perierit ignorantibus contrahentibus, nulla eſt emptio. Sed ſi pro parte perierit, ſiquidem minore, ſubſiſtit contractus, pretio pro rata diminuendo: ſin pro majore, adeò ut minor tantùm pars ex re vendita ſuperſit, emptioni ſtare emptor haud tenetur. Si tamen emptor ſciverit, rem periiſſe, venditori, id ignoranti, totum tenetur pretium perſolvere in pœnam doli: & vice verſâ venditor id, ſciens emptori ignoranti ad id, quod intereſt, eſt obligatus. Vide *l. 57. ff. h. t.* [XXI.]

8. Pretium, quo ſc. res æſtimatur, quodque ad emptionem eſt neceſſarium, primò quidem debet eſſe juſtum, rei proportionatum, etiamſi naturaliter liceat contrahentibus

in

in pretio ſe circumvenire. *l. 16. §. 4. de minorib.* Debet & conſiſtere in numerata pecunia, non aliis rebus §. *2. Inſt. h. t.* non uno nummo. *l. 46. ff. locat.* Unde nec emptio erit, ſi pretium dicis causâ, animo non exigendi, conſtituatur. *l. 36. 38. ff. h. t.* Si partim pecunia partim res alia pro re detur, inſpiciendum quæ fuerit contrahentium mens, emendi ne, an permutandi. *arg. l. 7. §. 12. ff de pactis.* de qua ſi haud conſtet, à potiori facienda denominatio; ut, ſi plus ſit in pecuniâ minùs in aliarum rerum datarum pretio, conſcribi debeat contracta venditio; contra verò, ſi plus ſit in re datâ, quàm pecuniâ. Vide *l. 79. ff. h. t. l. 6. §. 1. ff. de act. empti. l. 1. C. de rer. permut.* (XXII.)

9. Inſuper certum eſſe pretium in emptione neceſſe eſt, idque vel per ſe vel per relationem ad aliud, velut, *quanti empta eſt res. l. 7. §. 1. ff. h. t.* vel per arbitrium tertii; pretium enim in tertii certi, non incerti (excepto caſu. *l. 16. §. ult ff. de pign. & hypoth.*) arbitrium conferri poſſe receptum eſt: adeò ut emptio inutilis ſit, ſi ille vel noluerit arbitrari vel non potuerit. *l. ult. C. h. t. §. 1. Inſt. h. t. l. 25. ff. locati.* Obſt. *l. 1. §. 1. ff. de legat. 2.* Reſp. aliud in ultimis voluntatibus obtinet, quæ pleniorem recipiunt interpretationem. Quòd ſi iniquum arbiter interpoſuerit arbitrium, id ipſum bonæ fidei judicio corrigendum eſt. *l. 79. ff. pro ſocio.* licèt enim non fiat venditionis reſciſſio propter læſionem, niſi ea fuerit dimidium, ex *l. 2. C. de reſcind. vend.* id tamen non obtinet, cum tertii facto, arbitri determinatione, læſio contigit: ſed tantùm ſi ipſi contrahentes pretium definierint. In emptoris autem & venditoris arbitrium non rectè pretium confertur. *l. 35. §. 1. ff. h. t.* niſi magis ut vir bonus, quàm ut emptor conſideratus ſit. *arg. l. 7. ff. h. t.* [XXIII.]

10. Interpoſito conſenſu ſuper merce & pretio, perfecta eſt venditio; ut ab ea recedi nequeat, ne ſub arrharum quidem diſpendio. *pr. Inſt. h. t.* niſi id actum fuerit, ut in ſcripturam emptio redigeretur, & aliquid adhuc ſuperſit conficiendum. *l. 17. C. de fide inſtrum. d. pr. Inſt. h. t.* vel res ad guſtum ſit divendita. *l. 34. §. 5. ff. h. t.* Conditionalis autem venditio, & ea, quâ res veneunt fungibiles, licèt perfecta non ſit, niſi cum conditio extiterit aut res venditæ fuerint appenſæ, adnumeratæ, vel admenſuratæ; medio tamen tempore nequaquam admiſſa eſt pœnitentia. *l. 7 l. 35. §. 5. ff. h. t.* junct. *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* (III, XXIV, XXV.)

11. Venditioni pacta adjici poſſunt honeſta & licita, ſub-

ſtantiam venditionis non reverentia. Quæ ſi obſcura fuerint, contra venditorem recipiunt interpretationem. *l.* 21. 33. *ff. h. t. l.* 39. *ff. de pactis.* Obſt. *l.* 13. *ff. qui pot. in pign.* Reſp. caſus ſingularis eſt, ex ratione, quæ eſt in *d. l.* 13. *in fin.* Obſt. *l.* 66. *ff. de judiciis.* Reſp. aliud in judicio & libello obtinet, quippe quem reus rejicere debuiſſet exceptione obſcuri & inepti libelli. Obſtat. *l.* 34. *ff. h. t.* Reſp. ſi emptor paciſcatur, contra eum facienda interpretatio, cum imputare ſibi debeat ipſe emptor, quòd non apertius pactum interpoſuerit: & de hoc caſu agit *d. l.* 34. XXVI, (XXVII, XXVIII.)

12. *Moribus.* Variarum regionum ſtatutis vendi nequit frumentum in viridi ſtans; quamvis id Hollandorum mores permittant. Uti & permiſſum eſt commercii causâ vendere armâ aliáque ſimilia exteris amicis aut confœderatis, ut ut barbaris: at non hoſtibus; licèt leviorem plerúmque pœnam, non capitalem, ſubeant, qui hæc hoſtibus vendiderint. Res Eccleſiaſticas quod attinet, illæ hodie alienari ſolent eo modo iiſque ferè ſolemnitatibus, quibus & res minorum immobiles diſtrahuntur. Si quid tamen hîc prætermiſſum fuerit, non ideo nulla eſt emptio, aut emptor pretium amittit, ſed imploranda in integrum reſtitutio, ubi notabilis læſio apparuerit.

* Adde *ex Cod. lib.* 4. *tit.* 38. *de contrah. emptione tit.* 41. *quæ res exportari non debeant tit.* 42. *de eunuchis. tit.* 51. *de reb. alien. non alienand. tit.* 52. *de commun. rerum alienat. tit.* 54. *de pact. inter emptor. & vendit. compoſ. tit.* 59. *de monopoliis. tit.* 63. *de commerciis & mercatoribus.*

Tit. II.

De in diem Addictione.

1. In diem addictio eſt venditio eâ lege facta, ut firma ſit, vel maneat, ſi alius intra certum tempus conditionem meliorem non obtulerit. Qualis lex ſi venditioni adjecta ſit in continenti, non ex intervallo. *arg. l.* 7. §. 5. *ff. de pactis.* venditionem vel puram facit vel conditionalem pro formularum diverſitate. *l.* 2. *ff. h. t.* Pura ſi ſit, medio tempore periculum, & accedente traditione, dominium ac jus rem obligandi, aut, ſi aliena ſit, poteſtas uſucapiendi in emptorem tranſit, *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* fructúſque emptor ſuos facit, ſed revocabiliter. *l.* 6. *l.* 14. §. 1. *l.* 16. *ff. h. t.* Quòd ſi conditionalis ſit,

ſit, nihil horum obtinet, nec quicquam interim cenſetur translatum. *l.4.pr.ff.h.t.* (I, II.)

2. Si alius medio tempore adjiciat, ſeu meliorem offerat conditionem (quod multis modis fieri poſſe patet ex *l.4. §.ult. l.14. §. ult. ff. h. t.*) prior non liberatur, niſi id actum ſit: ſed venditori liberum eſt oblatam conditionem meliorem abjicere, ac priorem emptorem retinere. *l.9. ff. h. t.* niſi creditor pignus vendat. *l.10. ff. h. t.* Quin imò denuntiatio regulariter emptori primo facienda eſt, meliorem conditionem allatam eſſe; ut, ſi videatur, & ipſe tantundem offerat, atque ita ſecundo potior ſit. *l. 6. §. ult. l. 7. 8. ff. h. t.* quo tamen caſu fructus inter primam ac ſecundam addictionem ſibi factam perceptos reſtituit, cùm habeat ex novâ emptione; niſi alia appareat contrahentium voluntas. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Priore verò tantundem non offerente, res ſecundo addici poteſt, modò is non fictè ſed verè plus obtulerit. *l. 4 § 5. 6. ff. h. t.* Et prior emptor liberatus eſt, licèt ſecundus ſolvendo non ſit, aut pupillus ſit tutoris autoritate deſtitutus, aut ſervus alienus idque venditor ſciverit; non verò ſi ſervus ſit venditoris proprius, *l. 14. §. 2. ff. h. t.* Quòd ſi venditor fingat, alium bonâ fide licitantem meliorem obtuliſſe conditionem, utrique tenetur. *l. 14. ff. h. t.* (III, IV. V.)

3. Quandoque tamen locum non habet melioris conditionis oblatio, veluti ſi mortuus ſit venditor, nec ejus adita ſit hæreditas ante diem addictioni appoſitum, *l. 15. ff. h. t.* Si adjectio fiat tantùm pro parte rei, cùm ea adhuc integra ſupereſſet: ſecus, ſi nihil præter partem illam in rerum natura ſit. *l. 4. §. 2. l. 13. ff. h. t.* Si adjectio tantùm fiat propter ea, quæ rei interim acceſſerunt. *l. 4. §. 1. l. 15. §. 1. ff. h. t.* (VI.)

4. Si plures rem eandem addixerunt, & meliore allatâ conditione primum quidam, alii ſecundum velint emptorem admittere, ſi quidem uno pretio res vendita ſit, potior erit prioris conditio, ſin pretiis diverſis, partes eorum, qui primum emptorem prætulerint, primo, reliquæ ſecundo cedent. *l. 11. § 1. l. 12. 13. ff. h. t.* (VII, VIII.)

TIT. III.

De Lege Commiſſoria.

1. Lex commiſſoria eſt pactio emptioni in continenti adjecta, ut, niſi certo tempore pretium ſolutum

fuerit, inutilis ſit emptio. Et plerumque puram facit venditionem ſub conditione reſolvendam. *l.* 1. *ff. h. t.* Unde & periculum ac commodum rei, ac per traditionem dominium vel uſucapiendi poteſtas, in emptorem interim tranſit. *l.* 5. *ff. h. t.* Nulla tamen juris ratio impedit, quo minus lex commiſſoria conditionalem quoque poſſet venditionem facere. *arg. l.* 38. §. *ult. ff. ad leg. Falcid.* (I.)

2. Adjicitur hoc pactum in venditoris gratiam. *l.* 2. *ff. h. t.* qui proinde uti eo vel non uti poteſt: ut tamen protinus poſt diei lapſum ſtatuere debeat. Nec, ſi ſemel elegerit, mutare poteſt. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* Elegiſſe autem videtur legis commiſſoriæ remiſſionem, ſi poſt temporis lapſum uſuras aut pretium receperit vel exegerit. *l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t.* Sed ſi venditor declaret, ſe uti velle pacti hujus beneficio, ipſo jure contractus reſolvitur & res cum fructibus ad venditorem redit. *l.* 5. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* qui viciſſim eam pretii partem, quam accepit, reſtituit, niſi aliud actum ſit. *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* at non pretii uſuras, cùm nullam moram fecerit; nec arrhas ſibi ab emptore datas. *l.* 6. *ff. h. t.* (II, III.)

3. Poteſt autem venditor, ſi uti velit lege commiſſoriâ, rem venditam ab emptore vindicare. *arg. l.* 4. *C. de pactis inter empt. & vend. l. ult. in fin. ff. h. t.* quamvis & actio ex vendito venditori detur; ſic ut electionem habeat, quâ velit actione experiri. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 6. §. 1. *ff. de contrah. empt.* Obſt. tantùm actio ex empto competit, non vindicatio. *l.* 3. *C. de pact. inter empt. & vend. arg. l.* 42. *ff. de rei vind.* Reſp. id verum, ſi non directò id actum, *ut res ſit inempta*, ſed obliquè, ut *reddatur*, *revertatur*, ab *emptione recedatur*, quales formulæ in dd. ll. occurrunt. (II.)

4. Ceſſat hujus pacti effectus in genere, quoties non per emptorem ſed per venditorem ſtetit, quo minus pretium ſuo tempore ſolutum ſit. Vide *l.* 4. §. *ult. l.* 6. *l. ult. ff. h. t. l.* 7. *C. de pact. inter empt. & vend.* Non tamen, ſi venditor interpellare emptorem ad ſolvendum neglexerit; cùm enim dies interpellet pro homine, interpellatio venditoris haud neceſſaria eſt. *l.* 4. §. *ult. ff. h. t.* niſi pactum commiſſorium ſine certi diei adjectione conceptum fuerit, ut id fieri poteſt. *arg. l.* 3. *ff. de contrah. empt.* quo caſu, cùm dies interpellare nequeat, hominis interpellatione opus eſt: quæ fortè poſt dierum ſexaginta lapſum fieri poterit, ut emptor in morâ conſtituatur. *arg. l.* 31. §. 22. *ff. de ædil. edict.* (IV, V.)

5. Legi commiſſoriæ ſimile eſt pactum, quo id agitur, ut pretio

pretio intra certum tempus non ſoluto, liceat venditori rem alteri vendere periculo primi emptoris, ſi minoris ſit vendita. *l. 4. §. 3. ff. h. t.* (VI.)

6. Cæterùm hodie frequens in plurimis locis eſt jus retractûs, de quo pauca ex communioribus magìs DD. ſententiis quàm legibus Romanis ſubnectenda. Eſt autem retractus vel conventionalis vel legalis. Conventionalis dicitur, cùm venditioni pactum adjicitur, ut venditori (ſub quo & is, cui venditor actionem ceſſit, contineri poteſt) liceat vel intra vel poſt certum tempus vel quandocunque redimere rem venditam. *l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.* idque tali pretio, quale datum eſt; non eo, quod tempore retrovenditionis juſtum eſt, niſi id actum fuerit. Nec ex hoc pacto de retrovendendo competit rei venditæ vindicatio, ſed tantùm actio ex empto. *d. l. 2.* Obſt. *l. 13. ff. de pignorat. act.* Reſp. ibi non eſt pactum de retrovendendo; ſed *ut debitor rem reciperet pretio reſtituto*, quod coincidit cum eo, *ut res ſit inempta.* Nec hìc fructus ab emptore percepti reſtituendi ſunt, niſi ii qui poſt moram ſeu oblatum à venditore pretium percepti fuerint. *d. l. 2.* (VIII, IX, X.)

7. Legalis retractus, qui & conſuetudinarius appellatur, ex variis poteſt cauſis contingere, puta vel ex jure dominii directi, dum is, qui in emphyteuſin dedit, rem ab emphyteuta alienatam intra duos menſes ſibi retinet, eodem oblato pretio. *l. ult. C. de jure emphyteut.* Vel ex vicinitate, dum vicino licet vicinum prædium, extraneo diſtractum, ab eodem avocare, reſtituto pretio; ne cogatur moroſum aut rixoſum admittere vicinum. Vel denique ex conſanguinitate, qualis retractus gentilitius dicitur; quo quis rem, præcipuè quidem à majoribus profectam, (ſed tamen & aliam de novo comparatam) & per eum, qui de familia eſt, extraneo vel remotiori agnato divenditam retrahit, reſtituto emptori pretio. De quo retractu fusè agit Conſtitutio Friderici. Vide *lib. 5. feud. tit.* 13. 14. 15. Quamvis fundamentum ejus in Jure Romano ſatìs evidenter appareat. Vide *l. 35. ff. de minorib. l. 16. ff. de reb. aut jud. poſſ. vel vend.* (XI, XIII.)

8. Retrahere autem retractu gentilitio poſſunt cognati legitimo prognati matrimonio, vel legitimati, non verò naturales tantùm: atque inter eos illi, qui proximiores ſunt, excluſis remotioribus, quem in finem condictione ex lege ſeu conſuetudine videtur agendum. *arg. l. un. ff. de condict. ex lege.* Si plures ejuſdem gradûs agnati ſint, concurrunt com-

muniter retrahentes, habituri deinceps inter ſe judicium communi dividundo, ut res dividatur, aut uni integra adjudicetur. Neceſſe tamen eſt, ut retrahere volentes proximiores ſint in ea linea, unde res profecta eſt; etiam ſi fortè alii ex alia linea proximiores inveniantur. Neceſſe etiam, ut hi omnes retractui non renuntaverint, vel expreſsè, vel tacitè, de evictione pro venditore cavendo, aliove modo. *arg. l.* 11. *C. eod de evict. l.* 17. *ff. eod.* (XIV. & ſeqq.)

9. Huic verò retractui locus eſt in rebus tantùm propriis, non alienis, immobilibus, non mobilibus, forſan & in univerſitate, puta hæreditate, alienatis: & tali quidem contractûs ſpecie, in qua vel eſt vel eſſe fingitur certum pretium; qualis eſt venditio, datio in ſolutum, emphyteuſis quoque ex Frederici conſtitutione, at non permutatio, donatio, legatum, hæredis inſtitutio, aliáque his ſimilia. (XXI. & ſeqq.)

10. Faciendus retractus intra illud tempus, quod pro varia locorum conſuetudine variè conſtitutum eſt, plerumque intra annum & diem; ex Frederici conſtitutione intra triginta dies, reſtituto pretio quod datum eſt, licèt res nunc pluris aut minoris venderetur, unà cum uſuris ex mora. Ejúſque effectus eſt, quòd res, quæ vendita erat, reſtituenda ſit cum omnibus fructibus poſt moram in reſtituendo commiſſam perceptis, ídque ſine onere quod fortè medio tempore per emptorem extraneum fuit impoſitum. (XXV. & ſeqq.)

11. Non tamen hic retractus novam inducit venditionem; atque ideo non velut ex duplici, ſed tanquam ex unâ alienatione ſemel tantùm præſtanda laudimia aliáque onera venditioni cohærentia. De his aliiſque Tiraquell. de retractu & alii DD. hanc materiam ex uſu pleniùs tractantes. (XXIX.)

12. *Moribus.* Si pactum, ut pretio reſtituto, res vendita redderetur, appoſitum ſit ſolenni rerum immobilium traditioni coram lege loci, priſtino venditori tribuit facultatem vindicandi rem reddito pretio. Quibus autem caſibus apud nos retractûs viget (quod in Rhenolandia & Delflandia conſanguineis & ſociis competit, ſi venditio privatim, non item ſi publicâ auctione facta ſit) ſola pretii oblatio abſque conſignatione & depoſitione intra tempora legitima ſufficit ad retractum faciendum, ſi fortè emptor pretium oblatum noluerit acceptare.

TIT. IV.

De Hæreditate & Actione Venditâ.

1. NOn corporalia tantùm, ſed & incorporalia vendi poſſunt; puta hæreditates & nomina ſeu actiones. Hæreditas quidem defuncti, non viventis. *l.* 1. *ff. h. t.* eáque vel directa vel fideicommiſſaria, vel tota vel pars ejus. Quâ venditâ, id actum cenſentur, ne plus vel minùs penes emptorem ſit ex hæreditate, quàm fuiſſet penes venditorem. *l.* 1. *pr. &* §. 4. *ff. h. t.* niſi quid nominatim exceptum fuerit. *l. ult. ff. h. t.* Atque hinc venditor tradere tenetur corporalia, cedere incorporalia. *l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* quibus tamen non ceſſis, utiles actiones emptori accommodantur, venditore per exceptionem repellendo ſi agat. *l.* 16. *ff. de pactis.* Obſt. *l.* 9. §. *ult. ff. de except. rei jud.* Reſp. alius ibi caſus eſt; & de rei ſingularis venditione agitur. Quòd ſi poſt venditionem ipſe venditor cum debitore hæreditario venditionem ignorante, non item ſciente, tranſegerit, emptori contra debitorem quidem tranſactione tutum actio non ſupereſt, ſed adversùs venditorem ad id quod intereſt. *l. ult. ff. de tranſact.* Renaſcuntur & debita ac ſervitutes per aditionem extinctæ. *l.* 2. §. 18. *& ſeqq. h. t.* Et venditor tenetur de evictione hæreditatis vel partis ejus, non rerum ſingularum: ſufficiétque, quod jus hæreditatis præſtet; locupletem enim præſtare non tenetur, niſi de ſubſtantia ejus aſſeruerit, aut aliud nominatim actum ſit. *l.* 10, 11, 12, 13, 14, 15, *ff. h. t.* Quemadmodum vice versâ venditor quoque ſtare tenetur venditioni hæreditatis opulentæ exiguo pretio factæ, niſi dolo emptoris deceptus, hæreditatem exiguam crediderit, quæ erat lucruoſa. *l.* 4. *C. h. t.* Præſtat inſuper in rebus hæreditariis dolum, latam ac levem culpam, ſive quid amiſerit, ſive non acquiſierit hæreditati. *l.* 2. §. 5. *l.* 3. *ff. h. t.* Denique & in emptorem hæreditatis transfert jus accreſcendi, ſi pro parte hæres eandem vendiderit, ac poſtmodum alter cohæres deficiat, nam & hæredis loco eſt, & id omne penes eum eſſe oportet, quod fuiſſet penes venditorem. *l.* 2. *pr. &* §. 18. *ff h. t. arg. l.* 33. §. 1. *ff. de uſufr.* Obſt. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. tempus venditionis ibi ſpectandum dicitur, non ut excludatur commodum poſtea obventurum, ſed ut includantur lucra, quæ fortè intra venditionis, & mortis tempus obvenerunt: quæ enim poſt venditionem commoda rei ven-

ditæ occaſione acquiruntur, emptorem ſequuntur ex communi emptionis natura. Obſt. hæredi jus accreſcendi datur, qualis non eſt emptor hæreditatis. Reſp, effectu emptor hæres eſt; & hæredis loco. *d. l.* 2. §. 18. *ff. h. t.* II, III, IV, V.)

2. Quòd ſi venditor hæreditatis conventus ſit à creditoribus hæreditariis (quod fieri poteſt, niſi fiſcus vendiderit. *l.* 1. *C. h. t.*) vel ſolutúm repetit, ut indebitum modò ad ſolvendum condemnatus fuerit. *l.* 2. §. 7. *ff. h. t.* vel ab emptore ſe defendi poſtulat, *arg. l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* licèt invitus cogi nequeat emptor, ut in ſe transferat actiônem venditori motam, *l.* 2. *C. h. t.* (VI, VII.)

3. Venduntur & actiones, tam ex delicto quàm contractu, tam in rem quàm in perſonam. *l. ult. C. h. t.* licèt enim actiones in rem directæ ſolis dentur dominis. *l.* 23. *ff. de rei vind.* utiles tamen in rem etiam non dominis competunt, & ideo has in emptorem tranſire, nihil impedit. *d. l. ult. C. h. t.* Fieri verò poteſt hæc nominum venditio non tantùm volente ſed & invito debitore: ſecus quàm eſt in delegatione. *l.* 3. *C. h. t. l.* 1. *C. de novation.* Obſt. *l.* 41. *ff. de reg. jur.* junct. *l.* 2. *C. h. t.* vide tit. *de procurat. n.* 5. (IX, X.)

4. Venditæ autem actiones emptori cedendæ ſunt, non principales tantùm, ſed & acceſſoriæ reſpectu pignorum & fidejuſſorum. *l.* 6. 23. *ff. h. t.* ac ſufficiet, quod venditor emptori debitorem præſtet: locupletem enim præſtare non tenetur, niſi id actum ſit. *l.* 4. *ff. h. t.* vel mulier pro dotis reſtitutione debitorem egentem acceperit. *l.* 22. §. 2. *ff. ſolut. matrim.* Obſt. *l.* 6. *ff. de dolo.* Reſp. verbum *videri* illic eſt nota proprietatis. Sine ceſſione tamen emptorem nominis utiliter contra debitorem experiri poſſe, nequaquam dubium. *l.* 5. 7. 8. *C. h. t.* Sed, ſive ceſsâ ſive utili actione emptor agat, non plus exigere poteſt, quàm quantùm ſolvit, ne illis quidem in caſibus ex Juſtiniani lege, quibus Anaſtaſius ſolidi exactionem permiſerat; ut ita turpes arcerentur litium alienarum redemptiones. *l.* 22. 23. 24. *C. mandati.* & quod amplius eſt in debito, debitoris lucro cedit, qui ſolvendo emptori, quanti is nomen comparaverat, in univerſum liberatur. *d. l.* 23. §. 1. *C. mandati.* (XI, XII, XIII, XIV, XVIII, XIX, XX.)

5. Cæterùm translatâ per ceſſionem actione, venditor quidem ſeu cedens adhuc agere poteſt, *l.* 3. *C. de novation.* ſed emptore quoque agente, potior emptoris quàm venditoris erit conditio. *l.* 55. *ff. de procurat.* quamvis enim regulariter mandator poſſit mandatum revocare. §. 9. *Inſt. mandati.* in

ceſſis

ceſſis tamen ſeu mandatis actionibus id haud videtur admittendum. [xv, xvi, xvii.]

6. *Moribus.* Actione venditâ & ceſsâ ſolus ceſſionarius, at non cedens debitorem ad ſolvendum poteſt cogere. An autem emptor actionis plus à debitore poſſit exigere, quàm quantum ipſe ſolvit diſtinctione videtur terminandum, nam ſi nomen, quo Reſpublica vel Civitas aut Provincia obligata eſt, diſtractum ſit, ſive pluris ſive minoris quàm erat in ſorte debitâ, exigi poteſt totum debitum, cum in his apud nos negotiationem quandam exerceri conſtet. Sed ſi privati debitoris nomen ſit venditum minoris quàm erat debitum, emptor fortè non debiti integri ſed tantùm pretii ſoluti exactionem eſt habiturus convenienter Juri Romano, niſi debitori oblata ſit actio, eodem pretio retrahenda recuſaverit.

* Adde *ex Cod. libr. 4, tit. 39. de hæred, vel actione venditâ.*

TIT. V.

De Reſcindendâ Venditione.

1. VEnditio perfecta utriuſque quidem conſenſu reſolvi poteſt. *§. ult. Inſt. quib. mod. obl. tollat.* non unius voluntate, niſi juſta cauſa ſubſit, vel ut, metus, dolus, &c. de quibus alibi; & præcipuè læſio enormis, quæ eſt ultra dimidium juſti pretii; quæ ſi contigerit, locus eſt remedio legis 2. C. de reſcind. vend. inſtitutâ actione ex empto [potius quàm condione ex lege, aut imploratâ reſtitutione,] ſive emptor læſus ſit ſive venditor, in re mobili vel immobili, ob rationis parillitatem, ſive dolo adverſarii, ſive ſine dolo ejus, cum hîc ſola læſio ſpectetur; ſive privatim ſive publicè venditio ſub haſtâ, aut magiſtratûs decreto facta fuerit: *arg. l. 16. C. h. t. l. 11. C. de præd. & aliis reb. minor.* excepto fortè caſu, *l. 1. C. de præd. decurion.* (i, ii, iii, iv, v, xii.)

2. Agendum autem non præcisè ad contractûs reſciſſionem, ſed alternativè, ut vel emptio diſſolvatur reddito pretio & reſtitutâ re diſtractâ, vel iniquitas pretii corrigatur uſque ad veram rei æſtimationem illud ſupplendo aut diminuendo. *l. 2. C. h. t.* Quòd ſi venditor læſus ſit, & emptor inops, nec rem poſſideat; venditori etiam contra tertium poſſeſſorem, qui viliori pretio rem fortè ab emptore comparaverat, videtur ſuccurrendum vel remedio. *d. l. 2. C. h. t.*

C. h. t. vel ſaltem mediante in integrum reſtitutione. *arg. l.* 13. §. *ult. & l. ſeqq ff. de minorib.* (VII.)

3. Læſionis enormis probatio actori incumbit, idque conſiderato pretio, quod fuit tempore venditionis, non quod nunc eſt cum agitur, ne ita infirmæ redderentur pleræque venditiones. *l.* 8. *in fin. C. h. t.* Ut tamen læſionem enormem inducere non videatur, quòd theſaurus in fundo vendito repertus fuerit. *arg. l.* 7. §. 12. *ff. de ſolut. matrim.* Eâ verò probatâ, ſi reſolvatur venditio, pignoris quidem vinculum, quo res per emptorem erat obligata, dirimitur, non ipſo jure, ſed hactenus, ut emptor teneatur rem reſtituere liberam à vinculo pignoris, *arg. l.* 43. §. 8. *ff. de ædil. edicto. l.* 3. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* percepti autem medio tempore fructus ſive extantes ſive conſumpti, haud reſtituendi, cum eas emptor non ut poſſeſſor, ſed jure dominii perceperit. Obſt. *l.* 4. *l.* 6. *ff. de addict. in diem.* Reſp. ibi conditio reſolutiva ex voluntate emptoris erat adjecta, ut alia ſit ratio. (VII, VIII, IX, X, XI.)

4. Quamvis autem in *d. l.* 2. *C. h. t.* de ſola agatur venditione, legis tamen illius remedium per DD. ad omnia bonæ fidei negotia puta permutationem, in ſolutum dationem, locationem, diviſionem, aliáque productum eſt. Sed in iis, quæ ſtricti juris ſunt non videtur admittendum, puta donatione. *arg. l.* 65. §. 2. *ff. de condict. indeb.* tranſactione. *arg. l.* 78. §. *ult. ad Senatuſc. Trebell.* Uti nec locum habet in hæreditate venditâ. *l.* 10. *& ſeqq. ff. de hæred. vel act. vend.* nec, ſi quis ſciens juſtum rei pretium, eandem tamen pluris emerit quàm duplo pretii aut infra juſti pretii dimidium vendiderit. *arg. l.* 11. *C. h. t.* (XIII. & ſeqq.)

5. *Moribus.* Quemadmodum propter metum aut dolum, ita etiam propter enormem læſionem ſolet peti in integrum reſtitutio, & ita fieri contractûs reſciſſio. Sed in venditionibus auctione publicâ factis remedium. *l.* 2. *C. de reſcind. vend.* non habet locum.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 44. *de reſcind. venditione. tit.* 45. *quando liceat ab empt. diſcedere.*

TIT. VI.

De periculo & commodo rei Venditæ.

1. Periculi nomine hîc venit omne damnum, corruptio, deterioratio, ablatio rei. Emptæ autem rei uti omne commo-

commodum velut fructus,partus omniſque acceſſio ad emptorem pertinet. *l.* 13. §. 20. *ff. de act. empti.* §. 3. *Inſt. de empt. vend.* ita quoque ad eundem ſpectat omne periculum,quàm primum conſenſu perfecta fuerit venditio, etiamſi res vendita necdum ſit tradita, ſic ut emptor etiam poſt rei interitum ad univerſi pretii præſtationem obligatus ſit. §. 3. *Inſt. de empt. vend. l.* 7. 8. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 12. 13. 14. *ff. h. t.* Reſp. ibi damnum culpâ venditoris contigit. Obſt. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. ibi non corpus ſed *materia*,certus fortè trabium numerus ex magna copia trabium ſignatione eligendus, fuit vendita. Obſt. res perit ſuo domino,qualis ante traditionem eſt venditor. *l.* 9. *C. de pignorat. act.* junct. §. 3. *Inſt. de empt. vend.* Reſp. id verum,niſi dominus ſimul ſit ſpeciei debitor, qui liberatur rei interitu. *l.* 23. *ff. V. O.* Obſt. *l.* 33. *ff. locati.* Reſp. dicendum fortè,agi illic de fundo tali, qui ab hoſtibus captus,ad tempus fuerat relictus priſtino poſſeſſori,ſed poſtmodum urgente neceſſitate vel utilitate publicâ publicatus, ut id fieri potuiſſe patet ex *l.* 15. §. 2. *ff. de rei vind. l.* 16. *ff. de acquir. rer. domin.* cùm ergo venditor hanc impedire non poſſet publicationem,iniquum erat, eum ad id,quod intereſt,obligari,quia tamen emptorem ignorantem monere debuerat, fundum ejus eſſe conditionis,ut ad nutum Principis publicari poſſet,nec hoc egit, ad pretii reſtitutionem ſimpliciter tenetur, quaſi propter vitium aliquod rei latens. Quibus non obſtat, quod in *l.* 11 *ff. de eviction.* emptor dicitur poſt publicationem ad pretium ſolvendum adhuc obligatus: etenim prædia in *d. l.* 11. talia propununtur,quæ in Germania trans Rhenum ſita erant, adeóque tali in loco, ut emptor ſcire facilè potuerit,hujuſmodi prædia publicationi eſſe obnoxia;proinde haud deceptus videatur,quaſi vitio rei aut conditione & qualitate ejus non indicatâ. (I, VIII, IX, X.)

2. Licèt autem emptoris periculo res ſit, venditor tamen ante traditionem in ea aſſervanda dolum, latam ac levem culpam præſtat. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati. l.* 23. *ff. de reg. jur. l.* 35. §. 4. *ff. de contrah. empt.* niſi emptor in recipienda re vendita moram fecerit,quo caſu de ſolo dolo venditor in poſterum tenetur. *l.* 17. *ff. h. t.* Non etiam in emptorem tranſit onus annuæ præſtationis, ſi fortè venditor ante venditionem promiſerit, ſe quotannis certam frumenti aut fructuum quantitatem perſonæ vel alteri fundo præſtiturum: niſi ſolenniter in id fundum obligaſſet, vel alio modo legitimo fundum affectum reddidiſſet pro hujuſmodi præſtatione. *l. ult.* §. *ult. ff. de contrah. empt.* (II.)

3. Sunt

3. Sunt tamen caſus, quibus rei venditæ periculum poſt conſenſum interpoſitum ante traditionem ad venditorem pertinet; puta ſi is id in ſe receperit. *d. §.3. Inſt. de empt. vend.* aut in mora tradendi ſit. *l. 4. C. h. t.* Si res duæ alternativè fuerint venditæ, & una pereat. *l. 34. §. 6. ff. de contrah. empt.* Si res fungibilis ſit vendita, quamdiu non appenſa, adnumerata vel admenſurata eſt. *l. 35. §. 5. ff. de contrah. empt.* niſi per averſionem, tanquam corpus, diſtracta ſit. *d. l. 35. §. 5.* vel certum tempus admenſurationi præfinitum jam ſit elapſum: quo caſu venditori ſummo jure liberum eſt vinum effundere emptoris periculo; licèt rectiùs fecerit, ſi aſſervaverit. *l. 1. §. ult. l. 4. §. ult. ff. h. t.* Denique ſi res ad guſtum empta ſit, ut vinum deguſtandum, nam periculum quidem corporis ad venditorem pertinet, donec illud admenſuratum ſit. *d. l. 35. §. 5. de contrah. empt.* acoris autem vel mucoris, ad emptorem ſpectare incipit, ſimul ac guſtaverit ac poſt deguſtationem probaverit: cùm liberum ei ſit improbare. *l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 34. §. 5. ff. de contrah. empt.* (III, IV.)

4. Quòd ſi conditionalis fuerit venditio, totius quidem rei interitus pendente conditione contingens venditori nocet; parte verò tantùm extinctâ vel aliter re deteriore redditâ, emptoris damnum erit, niſi aliud actum ſit. *l. 8. 10. ff. h. t.* Cæterùm ſignatio rei, ſi loco traditionis fiat, periculum in emptorem transfert. *l. 14. §. ult. ff. h. t.* ſi tamen alia ſignandi ratio probabilis appareat, non præſumetur traditionis vice facta ſignatio, nec rei ſignatæ periculum in poſterum emptoris faciet, niſi traditione ſubſecutâ. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* (V.)

5. *Moribus.* Emptore vinum emptum ex doliis non tollente, venditori tamen liberum non eſt vinum effundere, niſi abundante vindemiâ non potuerit aliunde dolia novo vino recondendo ſibi parare.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 48. de peric. & commodo rei vind.*

Tit. VII.

De Servis exportandis, vel ſi ita mancipium venierit, ut manumittatur, vel contra.

1. Servorum venditioni pacta varia apponi poſſunt, modò non inhoneſta; puta, ut vel ne manumittatur: quo

quo pacto neglecto, manumiſſus contra pactum ſervus manet. *l. 5. C. ſi mancip. ita fuerit alienat. l. 2. C. qui non poſſ. ad libertatem perven. l. 9. ff. de manumiſſ.* manumittendus verò, nec tamen miſſus, ipſo jure liber fit, etiam cum partu, ſi ancilla fuerit mittenda. *l. 3. ff. h. t. l. 1. 2. 3. 4. C. ſi mancip. ita fuerit alien.* Sic & pactum validum, ut vel ne ſervus venditus exportetur. *l. 1. l. 7. ff. h. t.* quo non impleto, cùm per venditorem non eſſet remiſſum, agi poteſt ad id quod intereſt. *l. 6. ff. h. t.* (quâ derogatur legi 7. *ff. h. t.*) vel ad pœnam, ſi ea promiſſa; quo caſu ſervus fiſco cedit. *l. 1. 2. C. h. t.* Habet & venditor manûs injectionem, ſi id actum ſit. *l. 1. 2. C. h. t.* (I, II, III, IV.)

2. Contra reprobata pacta turpe quid continentia: veluti ut ancilla proſtituatur, ut cum beſtiis ſervus depugnet, aliáque. Vide *l. 6. ff ad leg. Corn. de ſicar. l. 42. ff. de contr. empt. l. 1. 2. C. ſi mancip. ita venierit ne proſtit.*

* Adde *ex Cod. lib. 4. tit. 55. ſi ſervus exportandus veneat. tit. 56. ſi mancip. ita venierit ne proſtituatur. tit. 57. ſi manc. ita fuerit alienat. ut manumitt. vel contra.*

LIBER XIX.

TIT. I.

De Actionibus Empti & Venditi.

1. EX emptionis contractu actio duplex naſcitur, empti & venditi. Empti actio perſonalis eſt & bonæ fidei, competens emptori ejúsque hæredi, etiam utiliter domino, cujus mandato procurator emit. *l. 13. §. 25. ff. h. t.* Adversùs venditorem ejúsque hæredem, ad id ut tradatur res vendita cum fructibus tempore venditionis perceptis, omnibúsque acceſſionibus, vel ſpeciali pacto comprehenſis, vel ex generali emptionis naturâ præſtari ſolitis. *l. 13. §. ult. ff. h. t.* Quâ ratione, vino vendito, vendita quoque cenſentur vaſa in quæ vinum transfunditur, non dolia majora in terra defoſſa. *arg. l. 15. ff. de trit. vin. oleo leg. l. 1. §. 3. ff. de peric. & commod. rei vend.* Et horreo vendito dolia accedunt ibidem recondita. *l. 76. ff. de contrah. empt.* non item fundo diſtracto. *l. 17. ff. h. t.* Si tamen id actum ſit, ut fundo vendito certus accedat doliorum numerus, integra dolia, non quaſſa, ad

ad eum uſque numerum præſtanda ſunt, quoties vel tot integra in fundo ſunt, vel cùm dolia in fundo non eſſent, aliunde ſunt coëmenda. Sed ſi doliorum numerus contractu comprehenſus in fundo reperiatur connumeratis & quaſſis, liberatur venditor, integra quæ reperta ibi ſunt, ac in ſubſidium quaſſa præſtando. *l.* 27 *l. pen. §. ult. ff. h. t. l.* 33. *ff. de adil. edict.* (I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX.)

2. Ita autem res tradenda, ut in emptorem vel dominium tranſeat, ſi venditor ſit dominus, vel, ſi res aliena ſit vendita, uſucapiendi facultas & vacua rei poſſeſſio. *l.* 2. *§.* 1. *l.* 11. *§.* 2. *ff. h. t.* ſive id nominatim actum ſit ſive non: ſi tamen expreſsâ ſtipulatione cautum ſit, *vacuam tradi poſſeſſionem*, vi ſtipulationis emptor rem quidem, at non fructus petere poſſet. *l.* 3. *§.* 1. *ff. h. t.* niſi *rem tradi vacuamque rei poſſeſſionem ſtipulatus ſit*; repetitio enim illa efficit, ut & fructus videantur comprehenſi. *l.* 4. *ff. de uſuris.* Quòd ſi vel pignori tradatur vel penſitationibus, tributis aut ſervitutibus, quæ dicebantur abeſſe, onerata, vel vitio laborans, emptor actione ex empto, quandoque & quanti minoris æſtimatoriâ, recuperat quod intereſt. *l.* 1. *§.* 1. *l.* 13. *ff. h. t. l.* 59. 66. *§.* 1. *ff. de contrah. empt. l.* 5. *C. de evict ion.* (X, XI.)

3. Quandoque tamen traditioni vacuæ poſſeſſionis adjungenda & finium fundi venditi demonſtratio. *l.* 48. *ff. h. t.* licèt nominare confinium agrorum dominos venditor haud teneatur, qui ſenſus *l.* 63. *§.* 1. *ff de contrah. empt.* (XIII.)

4. Tendit inſuper actio ex empto ad id, ut venditor actiones cedat emptæ rei nomine ſibi competentes. *§.* 3. *Inſt. de empt. vend.* & cautionem præſtet de reſtituendo, quod ad ipſum ex re vendita aliquando pervenit. *l.* 35. *ff. h. t.* quò pertinent penſiones futuri temporis, quas venditor ex re elocata, ſed medio tempore ante locationis finem diſtractâ, ipſe quidem percipit, ſed perceptas emptori præſtat. *l.* 13. *§.* 11. 16. *ff. h. t.* Denique id quod intereſt, vel ſi res aliena dolo vendita ſit, licèt nondum evicta. *l.* 30. *§. ult. ff. h. t.* vel res ſacra ignoranti pro profana ſit diſtracta. *§. ult. Inſt. de contrah. empt.* vel venditor malum vicinum celaverit. *l.* 35. *§ ult. ff de contrah. empt.* vel venditor in mora tradendi ſit, aut dolo fecerit, quo minus tradere poſſit, aut perfractè tradere nolit, licèt tradendæ rei facultatem habeat: neque enim venditor ad factum traditionis præcisè cogi poteſt, ſed liberatur præſtando id quod intereſt. *l.* 12. *ff. h. t. l.* 4. *Cod arg. l.* 13. *in fin. ff. de re judic.* Obſt. *§.* 2. *Inſt. de donation. l.* 11. *§.* 2. *ff. h. t.* Reſp. obli-

obligatus quidem eſt ad tradendi neceſſitatem, ſed tamen id quod intereſt præſtando liberatur ab ea neceſſitate. Obſt. *l.* 6. *C. de reſcind. vend.* junct. *l. un. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.* Reſp. intelligenda eſt. *d. l.* 6. de caſu quo utrimque contractus jam impletus eſt traditione & pretii numeratione: à quo proinde recedi non poteſt niſi novâ venditione. *l.* 58. *in fin. ff. de pactis.* ad quam ineundam nemo cogi poteſt, nec duplo nec quadruplo pretio oblato. (XIV.)

5. Cæterùm ſi quid commendandi gratiâ venditor dixerit de rei bonitate, eáque non tanta inveniatur, non poteſt eo nomine conveniri. *l.* 19. *ff. de ædil. edict. l.* 37. *ff. de dolo.* niſi dolus adſit. *l.* 13. §. 4. *ff. h. t.* Quemadmodum nec tenetur, ſi quæ prædio vendito ſervitutes aut tributa inveniantur impoſita, ſi de iis nihil dixerit nec abeſſe affirmaverit, niſi ſciens ea impoſita eſſe, dolo tamen reticuerit. *l.* 1. §. 1. *l.* 21. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 9. *C. h. t.* Reſp. ibi de tributis venditor quid affirmaverat, & ideo ex dicto promiſſóve tenetur. (XV.)

6. Venditi actio datur venditori & ut lis ei pro quo procurator vendidit. *d. l.* 13. §. 25. *ff. h. t.* adversùs emptorem; ad id ut pretium ſolvat nummóſque ita ſolutos accipientis faciat jure dominii, licèt fortè res aliena fuiſſet vendita. *l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* & uſuras ex mora præſtet. *l.* 13. §. 19. 20. *ff. h. t.* reſtituat inſuper impenſas neceſſarias & utiles in rem factas poſt venditionem. *l.* 13. §. 22. *ff. h. t.* præſtet denique ea omnia, quæ vel ſpeciali pacto vel generali emptionis naturâ ſunt comprehenſa. (XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI.)

7. Antequam autem ex contractu quis agere valeat, oportet ex ſua parte priùs ipſe contractum impleverit. *l.* 13. §. 8. *ff. h. t. l.* 25. *ff. h. t.* [XXIII.]

8. *Moribus.* Multa etiam hodie res venditas tanquam acceſſoria ſolent ſequi, quare loci cujuſque potiſſimum ſpectanda conſuetudo. Quâ ratione qui navem cum inſtrumento vendidit, etiam ſcapham vendidiſſe cenſetur. Poteſt autem jure hodierno venditor, habens rei tradendæ facultatem, cogi, ut rem præcisè tradat, nec liberatur præſtando id quod intereſt. Et ſi res immobilis ſit vendita, facienda eſt ejus traditio coram lege loci, perſoluto nummo quadrageſimo; adeò ut duplici venditione interveniente, bis etiam quadrageſima pretii pars fiſco inferenda ſit, non tantùm, ſi primus emptor rem tertio extraneo vendiderit, ſed &, ſi rem emptam venditori retrovendat. Quòd ſi venditor rixoſum fortè aut moroſum vicinum celaverit, non ideo ad id quod intereſt tenetur.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 49. de act. empt. & vend. tit. 50. ſi quis alteri vel ſibi ſub alter. nomine aut. alien. pecun. &c.*

Tit. II.
Locati Conducti.

1. Locatio eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, de uſu vel operâ cum mercede commutandâ, iisdem, quibus & emptio, juris regulis nitens. *pr. Inſt. h. t.* (1.)

2. Elocari poſſunt res omnes, quæ ſunt in commercio, mobiles, immobiles, [non tamen prædia militibus aut curialibus. *l. 30. 31. C. h. t.*] corporales & incorporales. *l. 12. §. 2. ff. de uſufr.* [licèt ipſum ſervitutis perſonalis jus perſonale, aut ſervitutis realis jus fundo cohærens elocari nequeat. *l. 44. ff. h. t.*] propriæ & alienæ, ipſæ quoque res conductæ. *l. 11. §. 5. ff. de pign. act. l. 24. §. 1. ff. h. t.* cum locatione dominium non tranſeat. *l. 39. ff. h. t.* Obſt. *l. 22. §. 2. ff. h. t.* Reſp. ibi dominium materiæ non tranſit ex locato, ſed jure acceſſionis, ex eo, quod inædificata ſolum ſequuntur. Operæ inſuper elocari poſſunt, tam liberorum hominum, quàm ſervorum mercenariæ non aliæ. *l. 5. §. 2. ff. de præſcr. verb.* non liberales, quales advocatorum, &c. de quibus alibi. [III, IV, V, VI, XXXIII, *& ſeqq.*]

3. Pro uſu autem vel operis merces conſtituenda, eáque certa vel ab initio vel ex poſt facto, dum in tertii certi arbitrium mercedis confertur determinatio in initio contractûs. *l. 25. ff. h. t.* eo modo quo in emptione obtinere dictum. *tit. de contrah. empt.* Conſiſtit verò merces regulariter in numerata pecunia, non aliis rebus. §. 2. *Inſt. h. t.* non in uno nummo. *l. 46. ff. h. t.* nec in parte fructuum, niſi quòd favore agriculturæ permiſſum eſt agrum certâ fructuum ponderatione vel menſurâ locare. *l. 21. C. h. t.* Quòd ſi non certa fructuum quantitas, ſed portio, pro rata ejus quod in fundo naſcetur, dimidia fortè vel tertia, conſtituta fuerit, *colonus partiarius* dici ſolet, & quodammodo ſocius eſt. *l. 25. §. 6. ff. h. t.* [VII, VIII.]

4. Quamvis verò locationem in perpetuum fieri nihil impedit. *l. 10. C. h. t.* tempus tamen ei plerumque ſolet adjici vel longius vel brevius, contrahentium arbitrio: eóque elapſo, ſi neuter contradicat, tacitè videtur continuata unà cum obligatione pignoris pro mercede conſtituti per conductorem,

ductorem non fidejuſſorem; in prædiis quidem ruſticis uſque ad annum, in urbanis verò & aliis rebus non ultra, quam quatenus conductor iis uſus eſt. *l.* 13. *§. ult. ff. h. t.* (IX, X, XIII.)

5. Naſcitur hinc actio locati & conducti. Actio conducti eſt perſonalis bonæ fidei, quæ datur conductori & hæredi ejus, adversùs locatorem & ejus hæredem, excepto caſu. *l.* 4. *& l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* non contra ſucceſſorem particularem, qualis eſt emptor, qui locationi per venditorem factæ ſtare non tenetur. *l.* 9. *C. h. t.* niſi id actum. *d. l* 9. vel Fiſcus vendiderit. *l. ult. ff de jure fiſci.* Ad id ut uſus vel operæ præſtentur, & ſimul ea omnia, ſine quibus commodè quis uti nequit. *l.* 19. §. 2. *l.* 23. §. 2. *ff. h. t.* aut alioquin id quod intereſt, niſi locator culpâ careat, quo caſu tantùm pro ratâ remittenda merces. *l.* 33. *& ſeqq. ff. h. t.* Nec expelli poteſt conductor ante tempus, niſi vel malè verſetur in re conducta, vel res indigeat neceſſaria refectione, vel locator re indigeat ex cauſa inopinata ad proprios uſus. *l.* 3. *C. h. t.* vel denique conductor integro biennio non ſolverit penſiones. *l.* 54. §. 1. *ff. h. t.* fortè & breviori tempore, ſi ſit conductor vectigalium. *l.* 10. §. 1. *ff. de publican. & vect.* Quòd ſi conductor damnum paſſus ſit ex re conductâ, etiam hâc actione petere poteſt damni totius reparationem, ſi locator artifex fuerit reſpectu rei locatæ, ſive vitium ejus ſciverit, ſive ignoraverit: ſi non ſit artifex & vitium ignoraverit: ſola facienda mercedis remiſſio. *l.* 19. §. 1. *ff. h. t. arg. l.* 13. *ff. de act. empt.* (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII)

6. Locati actio locatori datur, & ſi plures locaverint, ſingulis pro parte; contra conductorem, & ſi plures ſint, contra ſingulos pro parte; niſi appareat, locatorem ſingulorum perſonas in ſolidum reſpexiſſe. *l.* 47. *ff. h. t. l.* 13. *C. eod.* ad id ut mercedem ſolvat, etiamſi re conducta uſus non fuerit, vel ante tempus emigraverit. *l.* 55 § *ult. ff. h. t.* Niſi juſtam habuerit migrandi cauſam, veluti propter non præſtitum commodum rei uſum; vel ob metum hoſtium & latronum; peſtis fortè etiam ac ſpectrorum, ſi non fuerit vanus timor. *l.* 13. §. 7. *l.* 25. §. 2. *l.* 27. §. 1. *l.* 34. *ff. h. t.* Inſuper, ut præſtet in re conducta culpam levem. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati l.* 23. *ff. de reg. jur.* etiam leviſſimam, ſi ſit artifex. *l.* 13. §. 1. 5. *l.* 25. §. 7. *ff. h. t.* & fortè in caſu. §. *pen. Inſt. h t.* Denique, ut finito locationis tempore rem reſtituat: alioquin propter rem mobilem adversùs eum in litem juratur. *l.* 48 §. 1. *ff h. t.* propter immobilem, ſi uſque ad ſententiam reſtituere detre-

 ctet,

ēret, ad rem ſimul & æſtimationem reddendam condemnatur tanquam invaſor. *l. pen. C. h. t.* (XXI, XXII, XXIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII.)

7. Poteſt tamen conductor quandoque petere mercedis remiſſionem, vel in totum, vel pro parte, ob inſolitam ſterilitatem, non vitio ipſius rei, qualis arborum vetuſtas, ſed extrinſecus, evenientem; niſi unius anni ubertas ſuppleat alterius anni defectum, aut aliud actum ſit. *l.* 15. §. 2. *& ſeqq ff. h. t. arg. l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* Licèt ob ubertatem inſolitam peti nequeat mercedis augmentum. *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.* Obſt. *l. 2. C. de alluvion.* Reſp. ibi non de ubertate fructuum, ſed ipſius agri incremento agitur. Sed & merces præſtanda minor aut nulla, ſi per eum, qui operas elocaverat, ſteterit, quo minùs eas præſtet: ſecus ſi per eum, cui præſtandæ, factum ſit ut non præſtentur; quâ ratione nauta mercedem integram poteſt exigere, ſi navigare non potuerit ob id quod mercium dominus non ſolverat vectigal. *l. pen.* §. *ult. ff h. t.* Quòd ſi ob ſupervenientem caſum fortuitum non præſtita ſit opera; aut caſus ille contigit ex parte ejus, cui opera præſtanda, dum is fortè moritur, atque tunc integra totius temporis & operæ ſolvenda merces; niſi medio tempore operam locator alii elocaſſet *l.* 19. §. 9. 10. *l.* 38. *ff. h. t.* aut ex parte ejus qui eas præſtandas in ſe receperat, eoque caſu non eſt facienda mercedis ſolutio. *l.* 15. §. 6. *ff. h. t.* [exceptis ſalariis Advocatorum; ut dictum *tit. de poſtulando.*] Qua de cauſa, ſi famulus adverſâ valetudine impeditus ſit longiori tempore [modicum non curatur] ſervitia præſtare, totam mercedem nequit exigere. *arg. l.* 27. *ff. h. t. l.* 4. § 5. *ff. de ſtatu lib.* Obſt. *l.* 1. *C. de re milit.* ubi ſine diſtinctione longi vel brevis temporis denegantur medii temporis ſtipendia. Reſp. agit de transfugis, non de captis, propter verbum *reſtitutóque*; cum capti præter poſtliminii jus non indigeant inſuper reſtitutione. Satisfacit tamen plerúmque operarum locator, ſi promiſſas per alium impleri curet. *l.* 48. *ff. h. t.* niſi conductoris interſit ex juſta cauſa, per ipſum locatorem potius eas præſtari. *arg. l.* 31. *ff. de ſolution.* (XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII.)

8. Cæterùm hæc locati & conducti actio etiam tunc locum ſibi vindicabit, cum inter duos fundum communem habentes id actum fuerit, ut alternis annis fruerentur mercede ſibi invicem conſtitutâ, & alter conſultò fructus corruperit. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. datur actio præſcriptis verbis vel communi dividundo. *l.* 23. *ff. communi divid.* Reſp. in

caſu

caſu ibi propoſito non erat conſtituta merces, ideóque nec eſſe poterat locati actio.

9. *Moribus.* Hollandorum & Ultrajectenſium jure emptor fundi vel ædium tenetur ſtare locationi per venditorem factæ, ſi ea decennium non excedat, licèt id nominatim actum non ſit. Quòd ſi conductor fuerit in mora ſolvendi mercedem, ad uſuras non niſi à tempore litis conteſtatæ tenetur.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 65. *de locato & conducto.*

TIT. III.
De Æſtimatoriâ.

1. CONtractus æſtimatorius eſt innominatus, bonæ fidei quo res alteri æſtimata vendenda traditur, eâ lege ut pretium reſtituatur vel ipſa res incorrupta. Unde naſcitur actio præſcriptis verbis æſtimatoria bonæ fidei. §. 28. *Inſt. de action.* tendens ad ea quæ jam dicta. *l.* 1. 2. *ff. h. t.* Si pluris res ſit divendita, etiam quod plus eſt domino reſtituendum, niſi id actum, ut dominus certo pretio contentus ſit. *arg. l.* 13. *ff. de praſcr. verb.* ipſius autem rei vendendæ periculum ad dantem ſpectat, ſi is rogaverit: ſin accipiens rogaverit, ad accipientem, ſi neuter, & tamen mutuo conſenſu res vendenda data ſit, ea quidem dantis eſt periculo, ſed accipiens dolum & levem culpam in ea præſtat. *l.* 17. §. 1. *ff. de praſcr. verb.* per quam legem reſtringenda generalitas verborum. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.*

2. Quòd ſi mercede interveniente res æſtimata ſit data divendenda, utilis tamen eſt actio æſtimatoria. *l.* 2. *ff. h. t.* (I, II, III.)

TIT. IV.
De rerum Permutatione.

1. PErmutatio eſt contractus innominatus bonæ fidei, *do ut des. arg. l.* 5. §. 1. *ff. de praſcript. verb.* quo res propria datur, ut alter viciſſim rem propriam det. *l.* 1 §. 2. *ff. h. t.* etiam pecuniam numeratam, ſi ea non ut quantitas ſed tanquam corpus detur. *l. ult. ff. de condict. cauſ. dat.* (I.)

2. Permutantur regulariter res omnes, quæ venditionem recipiunt, fungibiles & non fungibiles. Non tamen res aliena; quæ ſi data fuerit, dans accipientem nullo modo obligat, nec

ut viciſſim det, nec ut quod intereſt, præſtet; ſed res reſtituenda ei, qui dederat, cui in id competit condictio cauſâ datâ. *l.* 1. §. 3. 4. *ff. h. t.* qui duo paragraphi conjungendi ſunt, ut ſenſus conſtet. Si tamen is, qui rem à non domino acceperat, viciſſim dederit rem ſuam, eam quam accepit, poteſt uſucapere, aut eâdem evictâ de evictione agere. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* (11)

3. Ex permutatione datur actio bonæ fidei præſcriptis verbis, competens ei qui rem dedit, contra eum qui accepit, ad id ut viciſſim det, quod promiſit, vel præſtet id quod intereſt. *l.* 5. §. 1. *ff. de præſcript. verb.* (111.)

4. *Moribus.* Permutatio hodie etiam nudo pacto poteſt fieri, quatenus ex pacto efficaciter agi poteſt ad res permutatas utrimque tradendas.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 64. de rerum permutatione.*

TIT. V.

De præſcriptis Verbis & in factum Actionibus.

1. Contractus innominati in genere ſunt, qui obligandi cauſam quidem habent, quibus tamen ſpeciale nomen à Jure Civili non eſt impoſitum, quales in *l.* 5. *ff. h. t.* enumerantur quatuor, *do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias:* ex quibus tamen alii plures poſſunt exſurgere, veluti, *do ut des & facias, do & facio ut des, do & facio ut facias, do & facio ut des & facias*, ut &, *do ne des, do ne facias, facio ne des, facio ne facias, &c.* (1.)

2. Omnes autem hi contractus innominati re conſtant, ad ſui perfectionem deſiderantes dationem vel factum: imo in iis, qui à datione incipiunt, etiam poſt dationem adhuc locus eſt pœnitentiæ, quamdiu res eſt integra, id eſt, alter necdum viciſſim quid dedit aut fecit. *l.* 3. §. 2. 3. *l.* 5. *pr. ff. de condict. cauſ. datâ.* de quo ad d. tit. plura. Quæ tamen non obtinent in iis, qui à facto initium capiunt, cum factum nequeat infectum reddi. (11.)

3. Ex his contractibus actio præſcriptis verbis naſcitur, aliter civilis, utilis, vel in factum civilis, vel actio incerti ad intereſſe appellata; generaliter & plenis verbis rem uti geſta eſt enarrans ſine ſpeciali nomine; cum plura ſint negotia quam vocabula. *l.* 2. 3. *ff. h. t.* Quæ datur ei, qui quid dedit

dedit vel fecit, ad id ut viciſſim detur vel fiat quod promiſſum, vel præſtetur id quod intereſt. *l.* 5. *§.* 1. 2 *ff. h.t.*

4. Huic verò actioni regulariter locus non eſt, quamdiu alia ſuperſunt ordinaria remedia, niſi de illis dubitetur, an competant *l.* 21. *ff h. t.* & exceptis caſibus. *l.* 2. *C. de pactis inter empt. & vend. l.* 19. *in fin. de precario.* Magìs tamen & faciliùs hæc, quàm doli actio infamans, datur: & hinc ſi quis dederit ſervum Titio, ut is ſuum ſervum manumittat, & ſubſecutâ manumiſſione ſervus Titio datus evictus ſit, Titio contra dantem actio præſcriptis verbis datur, ſive ſciverit dans ſervum alienum eſſe, ſive ignoraverit. *l.* 7. *§.* 2. *ff. de pactis.* reprobatâ Juliani ſententiâ, quæ in *l.* 5. *§.* 2. *ff. h t.* narratur quidem, at non probatur, & *d. l.* 7. *§.* 2. expreſsè rejicitur. Hinc & ex contractu facio, ut des magìs præſcriptis verbis quàm de dolo actio danda. *l.* 22. *ff. h. t. §.* 1. *Inſt. de locatione.* Obſt. *l.* 5. *§.* 3. *ff h. t. l.* 4. *C. de dolo.* ubi actio de dolo dari dicitur. Reſp. vel diſſenſus fuit inter veteres Juriſconſultos, cujus remanſerunt veſtigia; vel fortè per *actionem de dolo* intelligemus non præcisè famoſam doli actionem, ſed eam quæ propter dolum alterius inſtituitur ex aliquo contractu. (III, IV.)

5. Omnis autem actio præſcriptis verbis civilis quidem eſt, utpote non à prætore, ſed Juriſconſultis reperta: atque etiam in factum actio dici poteſt, at non omnis in factum actio protinus eſt præſcriptis verbis aut civilis: nam & prætoriæ in factum ſunt, ùt patet ex *§. ult. Inſt. ad leg. Aquil.* & paſſim in Jure noſtro Inſuper pleraque negotia, ex quibus præſcriptis verbis actio naſcitur, ferè ad contractus innominatos referri, vel in eoſdem reſolvi poſſunt; cùm actiones in factum etiam aliunde dentur. Vide tamen *l.* 1. *§.* 2. *l.* 17. *§.* 2. *l* 20 23. *ff. h. t.* (V.)

6. *Moribus.* Contractus innominati à datione incipientes hodie non admittunt pœnitentiam, niſi id actum ſit: alioquin ex conventione de dando etiam ante traditionem ad dandum agi poteſt: quin imo inter contractus nominatos & innominatos hodie vix ſuperſunt differentiæ.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 64. *de rer. permut. præſcriptis verbis.*

etiam merces in tabernâ. *arg. l.* 34. *ff. h. t.* (aliter quàm in legatis ſervatur ex allegatâ ratione. *l.* 73. § *pen. ff. de legat.* 3. *l.* 32. §. 4. *ff. de auro & arg legat.*) omnia denique, quæ probabile eſt debitorem expreſsè fuiſſe obligaturum. Non ergo ſuppellex neceſſaria, nec concubina, nec liberi naturales aliáque. *l.* 6. 7. 8. *ff. h. t.* Non bona hæredis. *l.* 29 *ff. h. t.* niſi id actum ſit. *l.* 22 *ff. h. t.* Nec ea, quæ conſentiente creditore alienata, poſtmodum in debitoris redierunt dominium. *l. ult C. de remiſſ. pig.* Nec per teſtatorem vel legem alienari prohibita. *l. ult.* §. 2. 3. *C. commun. de legatis.* (VI, VII.)

4. Nec intereſt ad hypothecam generalem conſtituendam, utrùm quis *omnia ſua bona* obligare ſe dixerit, an *bona ſua*, nullâ additâ univerſalitatis notâ; nam & hoc caſu omnium bonorum hypotheca contracta cenſetur. *arg. l.* 7. *ff. de trit. vin. vel ol. legat. l.* 30. §. 1. *ff. de Senatuſc. Trebell* (VIII.)

5. Hujus autem generalis hypothecæ eadem vis eſt, quæ ſpecialis; ita ut generalem habens anteriorem præferendus ſit ſpecialem poſteriorem habenti; licèt ex generaliter obligatis poſſet primo creditori ſatisfieri *l.* 2. *ff. qui pot. in pign.* Res quoque ita generaliter obligatæ, & alienatæ, non niſi cum onere ſuo tranſeunt; exceptis mercibus in taberna. *l.* 34. *ff. h. t.* & ſervis, qui generaliter obligati manumitti poſſunt. *l. pen. ff. in quib. cauſ. pig. tac. contrah. l.* 3. *C. de ſerv. pign. dato manum.* Quamvis in eo differat generalis hypotheca à ſpeciali, quòd generaliter obligata alienari quidem poſſint, tranſitura cum ſuo onere. *l. ult. C. rem. alien. gerentibus, &c. l.* 2. *ff. qui pot. in pign.* at ſpecialiter obligata ſine furti vitio non alienantur. *l.* 66. *de furtis.* (XV.)

6. Cæterùm hypotheca regulariter prærequirit obligationem principalem, cui accedat, (excepto caſu in *l.* 1. 2. *C. de luit. pign.* junct. *l.* 16. *C. de diſtract. pign.* & *l.* 9. *C. de præd. & aliis reb. minor.*) eámque vel naturalem tantùm, vel naturalem & civilem ſimul; puram vel conditionalem. *l.* 5. *ff h. t.* niſi naturalis obligatio omni juris civilis effectu ſit deſtituta. *l.* 13. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth ſolv.* Nec tantùm pro ſorte, ſed & pro uſuris. *l.* 11. §. 3. *ff. de pign. act.* (XVIII, XIX, XX.)

7. Adjiciuntur hypothecæ pacta honeſta & licita; veluti, ut interitus pignoris liberet debitorem. *l.* 6. *C. de pignorat. act.* Ut, debito intra certum tempus non ſoluto, res cedatur creditori, id eſt, creditor eam habeat juſto pretio emptam. *l.* 1. *C. de pact. pignor. l.* 16. §. *ult. ff. h. t.* Ne debitori, vel ne cre-

debitori liceat pignus vendere. *l. 4. ff. de pignorat. act. l. 7. §. ult. ff de diſtract pignor.* (XXI, XXII, XXIII, XXIV.)

8. Improbatum verò in pignoribus pactum commiſſorium, quo id agitur, ut debito intra certum tempus non ſoluto, creditor pignus habeat pro debito. *l. fin. C. de pact. pignor.* ſive ab initio ſive ex poſt facto tale pactum apponatur; ſive generali ſive ſpeciali hypothecæ; cum ſemper eadem militet iniquitatis ratio. Quâ de causâ nec validum eſt pactum, ut pignus detur in ſolutum; cum debitor offerendo id quod debet, poſſit nihilominus pignus repetere. *arg. 45. ff. de ſolution.* (XXV, XXVI.)

9. Hypothecæ obligare poſſunt, qui domini ſunt vel dominorum loco habentur. *l. 9. l. 15. §. 1. ff. h. t.* emphyteutæ & ſuperficiarii. *l. 13. §. 3. l. 31. ff. h. t. l. 15. ff. qui pot. in pign.* Publicianam habentes. *l. 18. l. 21. §. 1. ff h. t.* fructuarius fructus, *l. 15. ff. h. t.* Reipublicæ Adminiſtrator rem Reipublicæ *l. 11 ff. h. t.* ſocius ſuam partem in re communi *l. un. C. ſi res commun. pign. dat.* procurator rem domini ex mandato; quo deficiente, creditor tamen oppignoratæ rei retentionem habet, ſi pecunia credita in utilitates domini verſa ſit. *l. 1. C. ſi res alien. pign. data ſit.* Non verò maritus fundum uxoris dotalem. *pr. Inſt quib. alien. licèt vel non.* nec filiif. aut ſervi ſuas res peculiares, quas patri dominóve acquirunt, pro alieno debito ſine patris aut domini conſenſu, licèt liberam habeant peculii adminiſtrationem. *l. 1. §. 1. ff. quæ res pign. obl. l. fin. C. ſi res alien. pign. data fuerit.* pro ſe tamen, ſi pignus dederint, valebit *l. 18. §. ult. l. 19. ff. de pign. action.*

10. *Moribus.* Hypotheca immobilium non valet niſi coràm lege loci, in quo ea ſita ſunt, vel coràm curia feudali, conſtituatur, perſoluto apud nos nummo quadrageſimo ſortis debitæ. Quod & in navibus majoribus, quæ immobilibus annumerantur, receptum eſt; ut & in nominibus, in quorum ſecuritatem immobilia obligata ſunt, ſi quis nomen hujuſmodi rurſus alteri pignori velit obligare. Sub generali autem hypothecâ hodie neceſſariam quoque ſupellectilem & id genus alia volunt comprehendi, ad eámque conſtituendam ſufficere ſcripturam coram quocunque Hollandiæ Judice confectam; licèt ſub alio Judice Hollando ſita ſint bona, quæ obligantur. Ultrajecti tamen generalis hypotheca ex conventione conſtituta ſe non extendit ultra bona ſub eodem judice ſita, coram quo jus hypothecæ conſtitutum eſt: imo ex jure noviſſimo anni 1700. nihil prorſus operatur.

* Adde

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 14. de pign. & hypoth. tit. 35. de pact. pignor. &c. tit. 25. de partu pign*

TIT. II.

In quibus cauſis Pignus vel Hypotheca tacitè contrahitur.

1. PRæter hypothecæ diviſionem, quæ vel generalis vel ſpecialis dicebatur, etiam hoc tit. alia proponitur: etenim vel *expreſſa* eſt, vel *tacita*: & hæc iterum vel *conventionalis* vel *legalis*. (I.)

2. Conventionalis tacitæ exemplum eſt in invectis & illatis in prædium urbanum, quæ pro mercede & deterioratione cenſentur obligata: ut & in fructibus prædii ruſtici, qui pro penſione obſtricti ſunt *l. 3. 4. ff. de pactis. l. 2. 3. 4. 7. ff. h. t. l. 3. C. eod.* Ipſa quod ſpectat illata in prædium ruſticum, tacitè non ſunt obligata, ſed expreſſam conventionem deſiderant. *d. l. 4. ff. h. t.* Obſt. *l. 5. C. locati.* Reſp. per *voluntatem* & *ſcientiam* illic pactio ſeu conventio denotatur. [II, III.]

3. Uſque adeò autem in urbanum invecta prædium obligantur tacitè, ut & ſecundi conductoris res vinculo taciti pignoris afficiantur pro mercede, quâ is conduxit. *l. 11. §. 5. ff. de pignorat. act.* Obſt. *l. 24. §. 1. ff. locati.* Reſp. agit de conductore ſecundo prædii ruſtici, cujus illata non ſunt tacitè obligata, quia nec primi conductoris illata ſine expreſsâ conventione teneri poterant. (VI, VII.)

4 Nec refert, qualia ſint in urbanum illata, an ſuppellex, an merces venales, an ſervi, (qui tamen includendi, ut impediatur manumiſſio. *l. pen. ff. h. t.*) an bona minorum, ſtudioſorum aut ſimilium; licèt minorum res expreſsâ nequeant conventione obligari. *arg. l. 2. ff. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur.* (IV, V.)

5. Legalis hypotheca competit multis caſibus; puta fiſco, (& ad ejus exemplum Principi. *arg. l. 6. §. 1. ff. de jure fiſci.*) in bonis adminiſtratorum. *l. 1. C. de jure fiſci.* ac civium pro tributis. *l. 1. C. h. t.* nec non in bonis eorum, quibuſcum contraxit *l. 2. C. h. t.* non verò pro pœnis ex delicto. *l. 37. ff. de jure fiſci.* Data & 2. pupillis ac minoribus in bonis tutorum & curatorum. *l. 20. de admin. tutor.* & protutorum. *arg. l. 19. §. 1. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* & vitrici quem mater, non petito liberis tutore, ſuperduxit. *l. 6. C. h. t.* Inſuper 3. mulieri conceſſa in bonis mariti pro dote recuperandâ & dotis augmento

augmento ex die augmenti. *l.* 29. 30. *C de jur. dot. Nov.* 97. *c.* 2. etiam pro paraphernis. *l. ult. C. de pactis convent* 4. Legatariis & fideicommiſſariis in bonis teſtatorum. *l.* 1. *C. commun. de legatis* 5. Liberis quoque prioris matrimonii in bonis parentis ad ſecunda vota tranſeuntis, pro reſtitutione rerum, à priore conjuge vel aliis prioris thori liberis ad patrem devolutarum, ut & pro bonis maternis. *l.* 6. §. *ult. C. de bon. quæ lib. l.* 8. §. *ult. C. de ſecund. nupt.* non item pro aliis adventitiis. *d. l.* 6. §. 1. 2. *C. de bon. quæ liber.* Adhæc 6. civitati in bonis adminiſtratorum. *arg. l.* 3. *C. de jure reipubl. l.* 4. *C. ex quib cauſ. majores.* non item in bonis debitorum. *l.* 2. *C. de jure reipubl. arg. l.* 8. *ff. qui pot. in pign. l.* 10. *ff. ad Municipal. l* 37. *ff. de reb. autor. jud. poſſid.* Obſt. *l.* 2. *C. de debitor. civitat.* Reſp lex illa dat reipublicæ actionem contra poſſeſſores bonorum debitoris pro ratâ, non hypothecam; tunc enim contra eos in ſolidum fuiſſet actio danda. Denique 7. illis qui crediderunt in refectionem domus. *l.* 1. *ff h. t.* ſive domino ædium crediderint ſive operis redemptori. *d. l.* 1. ſive nummos, ſive materiam. Non tamen fabris pro mercede operarum, ex quibus nihil extat aut ſupereſt, quod ab ædibus ſeparari poſſet, ut quidem materia. Non etiam nautis in mercibus pro naulo ſeu vecturæ pretio: licèt retentione mercium ſibi poſſint conſulere. *arg. l.* 61. *ff. locati.* Nec illis, qui crediderunt in emptionem ædium. *l.* 17. *C. de pignorib.* aut refectionem navigii; cùm nuſpiam lege cautum ſit. Obſt. *l.* 26. *ff. de reb. auctor. jud. poſſid.* Reſp. habent privilegium inter creditores chirographarios, non hypothecam. Obſt. *l.* 5. 6. *qui pot. in pign* Reſp. quæſtio tantùm illic eſt, qui potiores ſint, ſi pignus habeant; quod non habent credentes in navis refectionem, niſi ex conventione. Obſt. *Nov.* 97. *c.* 3. Reſp agit de caſu, quo hypotheca expreſsâ conventione conſtituta eſt. Obſt. major in navibus quàm ædibus eſt ratio. *arg. l.* 1. §. 20. *ff. de exercit. act.* Reſp. nihil inde, quàm quòd navigatio ad publicam ſpectet utilitatem; unde & credentes in navim privilegio inter chirographarios muniti ſunt: interim Romanos magis urbis & ædium ſplendorem, quàm navigationem curaſſe abunde conſtat. (VIII & ſeqq. ad num. XXVIII.)

6. *Moribus.* Hypothecam tacitam etiam in invectis & illatis in prædium ruſticum hodie locum habere ſtatuunt. Ut tamen nulla ſit vis taciti pignoris in invectis & illatis in prædium urbanum, vel ruſticum, niſi illa præcludantur, aut, dum conductor ea transfert, à vigilante creditore ac perſe-

perſecutore in ipſo quaſi tranſlationis actu arreſto detineantur. Nec jus tacitæ hypothecæ in invectis amiſiſſe videtur, qui fidejuſſores pro conductione, majoris ſecuritatis ergo, accepit. Quòd ſi quis in navis refectionem aut armaturam crediderit, Hollandorum moribus legalem habet hypothecam, exemplo eorum, qui in ædium refectionem credunt.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 15. *in quib. cauſ. pignus vel hypoth. tacitè contrah.*

Tit. III.

Quæ res Pignori obligari non poſſunt.

1. Circa res pignori obligandas regulam tradit Gajus in *l.* 9. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* quod *quæ res venditionem recipiunt ea & pignorationem poſſint recipere.* ſive corporales ſint ſive incorporales; veluti nomina. *l.* 4. *C. h. t.* ſic ut creditor, cui nomen obligatum eſt, utiles actiones ſit habiturus. *l.* 7. *C. de hæred. vel act. vend. l.* 18. *ff. de pign. act. l.* 20. *ff de pign. & hypoth.* Jus quoque emphyteuſios & ſuperficiei. *l.* 13. §. 3. *l.* 31. *ff. de pign. & hypoth.* Ut & Jus pignoris, dum creditor pignus pignori dat. *tit. C. ſi pign. pignori dat. ſit.* & ſervitutes perſonales. *l.* 11. §. 2. *ff de pign. & hypoth.* Reales quod ſpectat, ſi jam conſtitutæ ſint, pignori obligari nequeunt, ſive urbanæ ſint ſive ruſticæ, cùm eadem ſit in utriſque ratio; licèt urbanarum tantùm mentio fiat in *l.* 11. §. *ult. ff. eod. tit.* utræque tamen de novo conſtitui poſſunt creditori vicinum prædium habenti, donec debitum exſolutum fuerit; adeò ut eas creditor etiam poſt moram vendere poſſit cum ſuo prædio, cui conſtitutæ. *l.* 12. *ff. de pign. & hypoth.*

2. Cæterùm non rectè hypothecæ obligatur res extra commercium conſtituta. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t. l.* 3. *Cod. eod.* (excepto caſu. *l.* 15. *ff. de captiv. & poſtlim. l.* 2. *C. eod.*) nec res litigioſa. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* nec arma militum. *arg. l.* 14. §. 1. *ff. de re milit.* nec ſpes præmiorum athletis conſtitutorum. *l.* 5. *C. h. t.* licèt ipſa præmia judicati exſequendi causâ pignori capi poſſint. *l.* 40. *ff. de re jud.* nec fundus dotalis inæſtimatus. *pr. Inſt. quib. alien. licet vel non.* nec bona pupilli ſine decreto. *l.* 2. *ff de reb. eor. qui ſub tutel.* niſi mobilia ſint, & nummi, pro quibus obligata, in rem pupilli verſi. *l.* 16. *ff. de pign. act.* Obſt. *l. pen. C. ſi res alien. pign. data.* Reſp. agit de caſu, quo pecunia in rem tutoris verſa. Nec boves, aratores & villici, qui

qui tantùm in ſubſidium judicati exſequendi causâ pignori capi poſſunt. *l* 7. 8. *& auth. ſubjecta. C. h. t.* niſi fortè domino fundi pro penſionibus obligentur, cùm ita minor ſubſit metus agriculturam deſertum iri. *l.* 32. *ff. de pign. & hypoth.* (II.)

3. Rem alienam, quod attinet, ea invito domino obligari nequit, eo tamen conſentiente vel ratum habente poteſt. *l.* 20. *ff. de pign. act.* Poteſt & ſub conditione; *cùm in dominium debitoris pervenerit. l.* 16. §. 7. *ff. de pign. & hypoth.* qualis etiam conditio ſubintelligenda, ſi quis alteri obliget rem ſibi debitam: quod fieri poſſe patet ex *l.* 3. §. 1. *ff. qui pot. in pign. l.* 1. *ff. de pign. & hyp.* Quin imo ex poſt facto quoque convaleſcere poteſt pignus rei alienæ ut utilis actio competat; puta, ſi is qui obligavit, acquirat rei obligatæ dominium. *l.* 41. *ff. de pignor. act. l.* 5. *C. ſi res aliena pign. dat.* licèt accipiens ſciverit alienam eſſe, quo caſu *difficiliùs* quidem utilis actio dari dicitur. *l.* 1. *ff de pign & hypoth.* ſed quæ difficulter datur, adhuc datur. *arg l* 53 *ff. de judiciis.* in verbo *vix.* Sic quoque convaleſcit, ſi teſtator obligaverit rem Titii; qui poſtea teſtatori ſucceſſit; ſi modò res obligata ſit Titio domino ignorante. *l.* 22. *de pign. & hypoth.* non item, ſi *contra Titi. voluntatem*, adeóque eo invito, quo modo intellecta. *l.* 41 *ff. de pign. act.* non pugnat cum *d. l.* 22. Nec hiſce obſtat, quòd creditor probare debeat, rem tempore obligationis fuiſſe in bonis debitoris. *l.* 15. §. 1. *ff. de pign & hypoth.* etenim, quia id de re aliena probari nequit, ideo etiam non directa, ſed utilis tantùm ex poſtfacto actio datur. Quòd ſi ei, qui pignus dedit, non fuerit acquiſitum poſtea dominium, creditori tamen, qui bonâ fide eam accepit, contra alios jura debiliora habentes actio non deneganda exemplo Publicianæ. *arg. l.* 14. *qui pot. in pign. l.* 18. *ff. de pign. & hypoth.* (III, IV, V, VI, VII.)

4. *Moribus.* Si quis rem alienam pignori det illis, qui menſam fænebrem autoritate publicâ exercent, eam efficaciter obligat, etiam in veri domini præjudicium.

* Adde *ex Cod libr.* 8. *tit.* 17. *quæ res pign. oblig. poſſ. tit.* 16. *ſi res alien pign. data ſit. tit.* 21. *ſi res commun. ſit pign. data. tit.* 24. *ſi pignus pign. datum ſit.*

Tit.

TIT. IV.

Qui potiores in Pignore & de his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.

1. EX jure pignoris actio naſcitur Serviana, de rebus coloni pro penſione expreſsè obligatis competens: & quaſi Serviana ſeu hypothecaria; quæ eſt prætoria. *l.* 17. §. 2. *ff. de pact.* arbitraria, quâ creditor res ſibi expreſsè vel tacitè vel lege obligatas perſequitur, contra debitorem & tertium quemvis bonæ vel malæ fidei poſſeſſorem. Ut tamen jure novo excutiendus ſit debitor & fidejuſſores ejus, antequam tertius conveniatur pignoris poſſeſſor. *Nov.* 4. *c.* 2. niſi tertius ſciens vel poſt litem de re obligata contra debitorem cœptam, eandem comparaverit. *Nov.* 112. *c.* 1. (I, II, III.)

2. Intereſt tamen, utrùm creditor contra ipſum debitorem, an contra tertium poſſeſſorem hâc actione experiatur: etenim ſi tertium conveniat, probare tenetur rem tempore obligationis in bonis debitoris fuiſſe, in hypotheca ſpeciali; in generali verò, rem quandocunque à tempore hypothecæ generalis conſtitutæ in debitoris fuiſſe bonis. *l.* 15. §. 1. *de pign. & hypoth.* cùm tamen nihil horum probare neceſſe ſit, ſi contra ipſum agatur debitorem. Inſuper debitor hâc conventus actione non tenetur ultra præſtare, quàm quatenus debet, licèt ob contumaciam in plus damnatus eſſet. *l.* 21. §. *ult. l.* 16. §. 6. *ff. de pign. & hypoth.* at tertius poſſeſſor ad integram rei obligatæ æſtimationem tenetur; [ex qua id, quod debitum excedit, creditor debitori reſtituit.] *d. l.* 21. §. *ult.* adeò ut jurijurando in litem ob dolum aut contumaciam poſſidentis locus eſſe poſſit. *l.* 16. §. 3. *ff. de pign. & hypoth.* (VII.)

3. Quòd ſi pluribus creditoribus res eadem eodem tempore ſit obligata; ſi quidem pro partibus, aut etiam nullâ partis vel ſolidi mentione factâ; ſinguli pro parte tantùm hâc actione tam inter ſe quàm contra tertios poſſeſſores agere poſſunt. *l.* 10. *in fin. l.* 16. §. 8. *in fin. ff. de pig. & hypoth. l.* 1. §. 1. *ff. de Salviano interd.* Sin ſingulis in ſolidum; contra tertium quidem in ſolidum agunt ſinguli; ſed ſi ipſi inter ſe contendant, poſſeſſoris potior eſt conditio. *d. l.* 10. *in pr.* (VIII.)

4. Datur autem hæc actio annis quadraginta tam contra debitores & eorum hæredes, quàm contra tertios poſſeſſores

&

& creditores poſteriores rem poſſidentes, vivo debitore: eo enim defuncto, poſterior creditor priorem annis triginta à morte debitoris poſſet excludere. *l. 7. §. 1. 2. C. de præſc. 30. vel 40. ann.* quæ ita obtinent; ſi modò ipſa principalis obligatio annis quadraginta duret, dum fortè in judicium eſt deducta, juxta *l. fin. C. eod.* alioquin actio hypothecaria, quæ acceſſionis nomine competit, extincto principali debito & per conſequens perempto pignoris vinculo, dari nequit. (IX.)

5. Non tamen hanc actionem impedit, quòd fortè tertius rem obligatam uſuceperit; etenim ea uſucapitur cum illo pignoris onere, perinde ac ſi debitor eandem vendidiſſet. *l. 1. §. 2. ff. de pign. & hypoth. l. 7. C. eod. l. 44. §. 5 ff. de uſucap.* quod veriſſimum, ſi penes debitorem tempore obligationis remanſerit pignoris poſſeſſio: nam ſi creditori ex contractu pignoris res fuerit tradita, uſucapione rei vinculum quoque pignoris perit; eò quòd ipſe creditor ſibi ipſi hanc imputare debet uſucapionem. *l. 1. 2. C. ſi adverſ. cred. præſc. oppon. l. ult. C. de obl. & act.* (IX.)

6. Cæterùm in pignore creditores alii aliis potiores ſunt. Ut tamen his omnibus præferendi ſint domini res ſuas repetentes, quales ſunt, qui res ſuas commodato aut precario conceſſerunt aut depoſuerunt, aut vendiderunt non habitâ fide de pretio. *l. 5. §. 18. ff. de tribut. act. l 7. §. 2. 3. ff. depoſiti.* Obſt. *l. 24 §. 2. ff. de reb. aut Jud. poſſid.* Reſp. aut res ipſæ extant, & tunc domini omnibus aliis nemine excepto anteponuntur. *d. ll. & d. l. 24. §. 2. in fine.* aut non extant, nec tamen uſuræ erant pactæ pecuniarum debitarum, & tunc deponentes præferuntur pleriſque creditoribus. *d. l. 7. §. 2.* quibuſdam tamen maximè privilegiatis poſtponuntur. *l. 8. ff. depoſiti.* & de his maximè privilegiatis intelligenda. *d. l. 24. §. 2. in pr.* quòd ſi deponentes uſuras pacti ſint, cæteris chirographariis non privilegiatis ſunt ſimiles. *d. l. 7. §. 2. in fine. d. l. 24. §. 2.* utì &, ſi non apud menſam argentariorum, ſed apud privatos depoſuerint, licèt tunc nullas ſibi uſuras pacti ſint. (XIII, XIV.)

7. Circa veros creditores illud in genere conſtat, hypothecarios præferri chirographariis: niſi in funus quis crediderit vel in rei diſtrahendæ proſcriptionem: quales licèt chirographarii ſint; omnibus tamen hypothecariis anteponendi. *l. 45. ff. de religioſ. l. 72. ff. ad leg. Falcid.* inter hypothecarios autem privilegiati non privilegiatis, & magìs privilegiati minùs privilegiatis potiores ſunt; habitâ non temporis ſed privile-

gii

gii ſeu cauſæ ratione. *arg. l.* 12. §. 1. *C. h. t.* Si plures eodem gaudeant privilegio, privilegiatus contra privilegiatum ſuo non utitur privilegio, ſed prior tempore potior jure eſt. *l. ult.* §. 1. *in fin. C. h. t. nov.* 97. *c.* 3 Obſt. *l.* 32. *ff. de reb. aut. jud. poſſid.* Reſp. intelligenda eſt de chirographariis privilegio munitis, in quibus non habetur ratio temporis, ut quidem in hypothecariis. [XVI.]

8. Maximè privilegiatus inter hypothecarios eſt, qui credidit in militiam emendam addito pacto in ſcripturam redacto, ut in militia omnibus potior ſit. *nov.* 97. *c.* 4. (XVIII.)

9. Poſt hunc mulier ſequitur ratione dotis, & augmenti, non in fraudem creditorum facti. *nov.* 97. *c.* 3. ut & mulieris liberi, (non hæredes extranei) *l. ult.* §. 1. *in fin. C. h. t.* ſponſa quoque, ſi ante contractas nuptias dotem dederit. *arg. l.* 17. §. 1. *ff. de reb. aut. jud. poſſid.* junct. *l. ult. C. h. t.* Cum his verò concurrit, qui ad rem emendam vel reficiendam credidit, additâ expreſsâ pignoris conventione. *d. nov.* 97. *c.* 3. (XIX, XX, XXI.)

10. Tertio loco fiſcus venit ex cauſa primipilari. *l.* 3. *C. de primipilo.* & pro tributis reſpectu prædii, unde illa debentur. *l.* 1. *C. ſi propter penſit. publ. præd. diſtrah.* licèt olim fiſcus ex his cauſis mulieri prælatus fuerit, dum illa tantùm inter chirographarios habebat privilegium. *d. l.* 3. *C. de primipilo.* (XXII.)

11. Quarto loco admittitur fiſcus in bonis eorum, quibuſcum contraxit, poſt contractum (non ante) quæſitis. *l.* 6. *C. de privil. fiſci. l.* 28. *ff. de jure fiſci. l.* 9. *ff. h. t.* Obſt. *l. ult. ff. h. t.* Reſp. ibi Seia fiſco præfertur in rebus poſt priorem quidem obligationem Seiæ, ſed tamen ante obligationem cum fiſco initam, quæſitis. Venit & is qui credidit in refectionem ædium *l.* 24. §. 1. *de reb. aut. jud poſſid.* dominus directus reſpectu canonis aut ſolarii. *l.* 15. *ff. h. t.* is cujus pecuniâ ſervus ab hoſtibus redemptus eſt. *l.* 12. §. 12. *ff. de capt. & poſtl.* (XXIV.)

12. Poſt hos quintò locus eſt omnibus hypothecariis ſimplicibus, non privilegiatis; inter quos qui prior eſt tempore potior eſt jure, tam uſurarum quàm ſortis intuitu; modò in uſuras quoque pignus obligatum ſit. Si tempore pares ſint, concurrunt. *l.* 16. §. 8. *ff. de pignor. & hypoth.* Nec refert, expreſſa ſit hypotheca an tacita, *arg. nov.* 97. *c.* 4. vel judicialis. *l.* 10. *ff. h. t.* ejuſdem, an diverſi generis, dum altera fortè judicialis, altera prætoria. *l.* 2. *C. h. t.* ſpecialis an generalis. *l.* 2. 11. 12. 18. *ff. h. t.* niſi generalis in ſubſidium tantum ſit conſtituta. *l.* 2. *C. de pignorib.* Si tamen in priori per privatum tantùm inſtrumentum tribus teſtibus haud muni-

tum,

tum, poſteriori vero per publicum hypotheca conſtituta ſit, poſterior priori præferendus eſt. *l. 11. C. h. t.* ut & ſi prior conſenſerit in obligationem pignoris poſteriori faciendam. *l. 12. §. 4. ff. h. t.* Planè ſi plures ſint creditores habentes pignus prætorium ex miſſione in poſſeſſionem, non conſideratur temporis prioritas, ſed poſtea miſſi cum prioribus concurrunt. *l. 12. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* (XXVII, XXVIII, XXIX.)

13. Quando autem de temporis prærogativa quæſtio eſt, non principalis obligationis, ſed hypothecæ conſtitutæ tempus ſpectatur. *l. 11. l. 12. §. 2. ff. h. t.* Quo tamen caſu nihil intereſt, purè an ſub conditione ſit hypotheca priori conſtituta: adeò ut is, cui ſub conditione res obligata eſt, potior ſit futurus eo, cui pendente illâ conditione in eadem re jus pignoris eſt conſtitutum. *l. 9. pr. & §. ſeqq. ff. h. t.* Obſt. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* Reſp. ibi medio tempore pignus erat inutile, nec res ſub conditione obligata; quia nec pura nec conditionalis ſuberat obligatio principalis, non enim promiſerat ſe numeraturum, ſed tantùm ſpes erat contrahendæ obligationis: at ſine principali obligatione pignus non ſubſiſtit. [XXX, XXXI, XXXII, XXXIII.]

14. Fieri verò poteſt, ut in locum prioris hypothecarii creditoris ſuccedat creditor poſterior; hypothecarius quidem, ſi priori, etiam invito, debitum offerat, eóque acceptare nolente, deponat. *l. 12. §. 6. ff. h. t. l. ult. C. de his qui in prior. cred. locum.* chirgrapharius autem non aliter, quàm ſi id actum ſit, ut in creditoris hypothecarii, ſuâ pecuniâ dimiſſi, locum ſuccedat. *l. 12. §. 8. ff. h. t.* Proinde, ſi quis pro debitore fiſcali fiſco ſolvat, non aliter in jus hypophecæ fiſco competens ſuccedet, quàm ſi id in eum ſpecialiter à Judice fuerit transſcriptum. *arg. l. ult. C. de privil. fiſci.* Obſt. *l. 2. C. de his qui in prior. cred. locum.* Reſp. ponendus terminus habilis, quo jus pignoris eſt transſcriptum, juxta alias leges. Obſt. *l. 2. ff. de ceſſ. bon. l. 24. §. ult. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* Reſp. agunt de privilegio perſonalis debiti, quod ſine transſcriptione tranſire poteſt. *arg. l. 17. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* (XXIV, XXXV.)

15. Poſt hypothecarios (quod obiter monendum) chirographarii ſequuntur: inter quos etiam privilegiatus non privilegiato, ac magis privilegiatus minùs privilegiato præfertur: & ſi æquè privilegiati ſint, concurrunt, nulla temporis habitâ ratione, perinde ac ſi ſimplices eſſent chirographarii. *l. 31. ff. de reb. aut. jud. poſſid. d. l. 7. §. ult. ff. depoſiti.*

vigéntque

vigéntque perſonalia privilegia tantùm contra eos, qui necdum exegerunt debita : nam qui debitum conſecuti ſunt, cùm non eſſent privilegiati, privilegiatis non reſtituunt; cùm non ita per privilegium perſonale bona debitorum ſint affecta, atque quidem per hypothecam. Vide *l. 6. §. 7. l. pen. in fin. ff. quæ in fraud. cred. l. 6. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* [XXXVI, XXXVII.].

16. *Moribus.* Poteſt hodie creditor actione hypothecariâ agere contra tertium poſſeſſorem; non excuſſo principali debitore & fidejuſſoribus. Non tamen contra tertium rei mobilis poſſeſſorem hæc actio rectè inſtituitur, cum mobilia ſequelam non habeant. Quòd ſi res pro ſorte & uſuris obligata ſit, creditor non niſi reſpectu ſortis & uſurarum triennii reliquis in pignore præfertur. Si res eadem eodem tempore eodémque inſtrumento duobus ſit obligata, in ſolidum ſingulis, poſſeſſor pignoris haud erit potior, ſed magis æquale jus utrique, tum poſſidenti, tum ei qui non poſſidet, competit. Cæterùm poſterior creditor hypothecâ ſpeciali munitus in Hollandia potior eſt eo, qui generalem anteriorem hypothecam habet: exceptâ Amſtelodamenſi civitate, in qua etiamnum Jus Romanum viget. Ut & Ultrajecti receptum eſt generalem anteriorem hypothecam præferri ſpeciali poſteriori quantum ad bona ſita ſub illius Judicis juriſdictione, coram quo generalis ſolenniter eſt conſtituta : quod tamen Ultrajecti mutatum anno 1700. Jus autem offerendi debitum hypothecario anteriori creditori invito non amplius obtinet, ſed poſteriori creditori ſimpliciter licentia competit pignus diſtrahendi, ut ex pretio conſequatur debitum, cum priori ſatisfactum fuerit.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 18. qui pot. in pignore. tit. 19 de his qui prior. cred. locum ſuccedunt. tit. 27. etiam ob chirogr. pecuniam pignus retineri poſſe.*

TIT. V.

De Diſtractione Pignorum.

1. SI debitor non ſolvat, quod debet, liberum eſt creditori non primo tantùm, ſed & ſecundo, cui pignus pignori datum eſt, pignus diſtrahere, (modò prior debitor in mora fuerit) *l. 1. C. ſi pign. pignor. dat. ſit.* præmiſsâ tamen unâ denuntiatione; vel trinâ in caſu quo id actum *ne pignus diſtrahatur. l. 4. ff. de pign. act. l. 4. C. h. t.* (I, II.)

2. Facienda autem rerum obligatarum venditio ſolen-

niter, auctione plerúmque publicâ, præviâ etiam proſcriptione in celeberrimis civitatis locis, ſi res ſint immobiles. *l. ult. C. de jure domin. impetr.* Ac neceſſe eſt, ut bonâ fide cuncta agantur, omniſque abſit fraus, colluſio, & ſimulatio. *l. 4. 7. 10. h. t.* (III, IV, V, VI, X.)

3. Quòd ſi non rectè ſit facta venditio, vel id inde eſt, quia venditor non habebat vendendi jus, & nulla eo caſu eſt venditio, niſi res jam uſucapta ſit. *l. 2. C. ſi vend. pign. agatur.* adde *l. 5. C. h. t.* vel, quia vendendi jus habens fraudulenter in diſtrahendo verſatus eſt, quo caſu ſubſiſtit venditio, ſed debitor contra vendentem agere poteſt ad id quod intereſt. *l. 1. C. ſi vend. pign. agat.* [VII, VIII.]

4. Si tamen & emptor fraudis fuerit particeps, in ſubſidium cogi poteſt officio Judicis, ut rem cum fructibus reſtituat debitori, recepto pretio cum uſuris. *d. l. 1.* Quemadmodum & aliis caſibus debitor poſt venditionem offerendo emptori pretium cum uſuris rem poteſt recuperare, puta, ſi fidejuſſor debitoris emerit pignus, vel ſecundus creditor primum dimiſerit, & ita quaſi emerit. *l. 59. §. 1. ff. mandati. l. 5. 6. ff. h. t.* aut ſi creditor in diſtrahendo pactus ſit, rem venditam debitori reſtitui, ſi is intra certum tempus pretium reddiderit. *l. 7. §. 1. ff. h. t. l. 13. ff. de pignorat. act.* licèt enim quiſque ſibi, non alteri ſtipuletur, ſubſiſtit tamen hujuſmodi conventio in gratiam debitoris, eò quòd is ipſe videtur pignus diſtraxiſſe. [IX.]

5. Licèt autem regulariter paratâ pecuniâ pignora ſint diſtrahenda; poteſt tamen creditor vendens etiam fidem emptori habere de pretio, ſi aliter bonis conditionibus vendere non potuerit. *arg. l. 24. §. 2. ff. de pign. act.* junct. *l. 9. ff. h. t.* quo caſu & duplum evictionis nomine poteſt repromittere. *l. 22. §. ult. ff. de pignorat. act.* [XII.]

6. Quòd ſi poſterior creditor hypothecarius pignora diſtraxerit, prior & jure potior nullam contra poſteriorem creditorem habet actionem de pretio ex diſtractione pignorum redacto; ſed tantùm contra tertios pignorum poſſeſſores actionem hypothecariam. *l. 1. ff. h. t.* [XI.]

7. Si pignus vendendum toto biennio emptorem non inveniat, petitur & impetratur per creditorem à Principe, non Judice, dominium pignoris juſto pretio æſtimati. Sed poſt impetrationem debitor adhuc pignus intra biennium continuum recuperare poteſt, refuſis omnibus impenſis & debito ſoluto, de quibus *l. ult. C. de jure dom. impetr.* Quæ tamen

impe-

impetratio tantùm in ſpeciali, non generali pignore locum habet. *l.* 1. *C. eod.* & cenſetur, qui jam dominium impetraverat, ab ea impetratione deſtitiſſe, ſi poſtea uſuras vel debiti partem à debitore receperit. *l.* 2. *C. eod.* (XIII.)

8. *Moribus.* Nemini licet hodie privatâ autoritate pignus vendere invito debitore, licèt id ita ab initio fuiſſet actum; ſed impetratâ ſententiâ condemnatoria pignus ſubhaſtatur autoritate Judicis, præmiſsâ reſpectu immobilium trinâ proclamatione, interjecto inter unamquamque 14. dierum ſpatio. Atque hinc quiſque creditor rem ſibi obligatam in publica actione rectè comparat, nec indiget dominii impetratione. Quando autem interpoſito decreto Judicis emptori traditur pignus diſtractum, emptor non poteſt inquietari per creditores anteriora jura habentes; indéque invaluit, ab illis creditoribus, quibus ex pretio pignoris ſatisfit, cautionem præſtari de reſtituendo eo quod ſolutum eſt, ubi alii emerſerint potiora jura habentes. Abſenti tamen aliquando ex juſta cauſa reſtituitur appellandi facultas ab eo decreto vim ſententiæ obtinente.

* Adde *ex Cod. lib.* 8. *tit.* 28. *de diſtract. pignor. tit.* 19. *debitorem vend. pign. impedire non poſſe. tit.* 20. *ſi antiquior, cred. pign. vendid. tit.* 34. *de jure domin. impetrando.*

TIT. VI.

Quibus modis Pignus vel Hypotheca ſolvitur.

1. Pignoris obligati vinculum multis poteſt modis diſſolvi; puta, ſi creditor fiat pignoris dominus contractu, ſucceſſione, aut aliâ ratione. *l.* 9. *ff. h. t. l.* 29. *ff. de pignorat. action.* Si debitum principale ſolutione, novatione, remiſſione, pacto de non petendo vel aliter extinctum ſit. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 9. §. 3. *ff. de pignorat. act.* Quòd ſi inutilis ſit remiſſio debiti, pignoris quoque remiſſio invalida erit, modò eadem in pignore, quæ in principali debito, ratio ſit. *l.* 18. *ff. quæ in fraud. credit.* ſin diſpar ſit ratio, ſubſiſtet pignoris remiſſio, licèt principale debitum inutiliter remiſſum ſit. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

2. Solvitur quoque, ſi remittatur ipſum pignoris vinculum vel expreſsè, vel tacitè, dum res obligata reſtituitur vel

 lega-

legatus debitori. *l.* 3. *ff. de pactis. l.* 1. *ff. de liberat. legat. l.* 7. *C. de remiſſ. pign. l.* 5. *ff. h. t.* Si res pignorata intereat. *l* 8. *ff. h t.* Si creditor conſentiat in alienationem pignoris, & ea ſubſecuta ſit. *l.* 4. §. *ult. l.* 10. *ff. h. t. l. ult. C. de remiſſ. pign.* Planè ſolum ſilentium creditoris, alienationem non ignorantis, non nocet ei, neque pignus perimit. *l.* 8. §. 15. *ff. h. t.* niſi publicè monitus, tamen tacuerit. *l.* 6. *l.* 8. *C. de remiſſ. pign.* Quòd ſi non ſit ſecuta alienatio, vel non eo, quo per creditorem permiſſa modo; durat vinculum. *l.* 8. §. 11. 17. 18. 19. *ff. h. t.* Ut & ſi eâ lege conſenſerit, ut priùs ſibi ſatisfiat, nec id ſit præſtitum. *l.* 4. §. 1. *l.* 8. §. 10. *ff. h. t.* (V, VI, VII.)

3. Finitur inſuper pignoris obligatio perceptione fructuum ex pignore, debiti quantitatem æquantium, quoties non ſubeſt pactum antichreſios. *l.* 1. 2. *C. de pign. act.* Reſoluto etiam jure ejus, qui pignus conſtituit. *l.* 13. *ff. de pign. & hypoth. l.* 4. §. 3. *ff. de in diem addict. l.* 2. *C. ſi pign. dat. ſit.* Ut &, ſi debitor in judicio coventus per ſententiam abſolutus ſit, aut juraverit ſe non debere. *l.* 5. §. 3. *l.* 13. *ff. h. t.* Et generaliter omnibus illis modis, quibus juxta vulgata jura obligationes perimi poſſunt. (VIII, IX, X.)

4. Non tamen extinguitur oblato alio pignore æquè idoneo creditori invito. *arg. l.* 45. §. 2. *ff. mandati.* Obſt. *l* 9. *ff. locati.* Reſp. ibi quâdam neceſſitate aliud pro alio præſtatur, dum res præſtanda præſtari non poterat. Vide *tit. de pignorat. actione.* Ita nec pignus legale perimitur, cùm expreſſum conſtituitur. *l.* 6. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l ult. C. de pact. convent.* Reſp. ibi legale pignus tantùm in ſubſidium conceſſum fuit; ſi deeſſet conventionale; quod de aliis caſibus non cautum. Obſt. proviſio hominis tollit proviſionem legis. Reſp. id verum ſi naſcitura, at non, ſi jam nata ſit legis proviſio. (XI, XII.)

5. Non etiam pignus ſolvitur, ſi debitor rem obligatam vindicans victus fuerit; nec creditor rei, utpote inter alios judicatæ, exceptione repelli poterit. *l.* 3. *ff. de pign. & hypoth.* maximè, ſi ignarus fuerit, litem per debitorem motam eſſe *arg. l.* 63. *ff. de re judic.* quid, quòd nec ſolâ debiti oblatione pignus evaneſcit, ſed demum conſignatione & depoſitione. *l.* 6. 9. 19. *C. de uſuris. arg. l.* 23. *in fin. l.* 24. *ff. de receptis.* Obſt. *l.* 30. *ff. de ſolution.* Reſp. tali oblatione factâ Prætor denegat actiones, quia omnia Judicia ſunt abſolutoria, ſi debitor adhuc ſatisfacere paratus ſit. (XIII.)

6. Mutationem rei pignoratæ quod ſpectat, ſi quidem ea talis

talis ſit, ut plane nova fiat ſpecies, pignus perit. *l.* 18. § *pen. ff. de pignor. act.* ſin ſpecies prior non planè mutata ſit, pignus etiamnum durare creditur. *l.* 21. *ff. de pignorat. act.* *l.* 16. §. 2. *l.* 29. §. 2 *ff. de pign. & hypoth.* Quemadmodum & durat, ſi creditor conſenſerit, ut alteri creditori res obligetur, (niſi aliud actum ſit) ut tamen ipſe conſentiens poſtponendus ſit ei, in cujus gratiam conſenſit, ac per conſequens aliis quoque hunc noviſſimum hypothecarium antecedentibus: adeóque, ſi primus rem quarto obligari conceſſerit, non quarto tantùm ſed & ſecundo ac tertio creditori cedet. *l.* 12. *ff. h. t. l.* 12. §. 4. *ff. qui pot. in pign.* [XIV, XV.]

7. Reſoluto autem jure pignoris, creditor illud adhuc retinere poteſt pro debito chirographario, ſi modò ipſe debitor, non alius creditor hypothecarius, pignus repetat. *l. un. C. etiam ob chirograph. pec. pign. retin.* Non tamen pro debiti chirographarii uſuris; cum ne pro hypothecarii quidem debiti uſuris pignoris retentio permiſſa ſit. *l.* 11. §. 3. *ff. de pign. act. l.* 4. *C. de uſuris.* [XVI.]

8. *Moribus.* Si res pignori obligata mobilis ſit, ac per debitorem alienetur, pignus extinguitur, cùm mobilia ſequelam non habeant. Ipſa quoque immobilia generali conventione obligata, ac titulo oneroſo per debitorem alienata, deſinere in Hollandia obligata eſſe, civitate Amſtelodamenſi exceptâ, receptum eſt.

* Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 26. *de remiſſione pign. tit.* 31. *de luitione pign.*

LIBER XXI.

TIT. I.

De Ædilitio Edicto, & Redhibitione, & quanti minoris.

1. ÆDiles inter cætera etiam circa venditiones Edictum propoſuerunt, jubentes, ut venditores moneant, latens rei vendendæ ſubeſſe vitium morbumve, aut iis ſilentibus emptores ſtipulentur, nihil vitii vel morbi ſubeſſe. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. l.* 31. 32. *ff. de evictions.*

Quod non tantùm in ſervis ac jumentis, ſed & in immobilibus, veluti fundo peſtilenti, locum habet. *l. 1. pr. l. 49. ff. h. t.* (I, II.)

2. Quòd ſi vitium morbúsve ſit, duplex eo nomine prodita eſt actio, redhibitoria una, altera quanti minoris æſtimatoria. Utraque etiam poſt rei interitum datur. *l. 47. §. 1. ff. h. t.* ac vel ex reticentia, vel ex dicto promiſſóve competit. *l. 18. l. 19. §. 1. ff. h. t.* non item ex nuda commendatione *l. 19. pr. ff. h. t.* Et licèt ob vitium ex empto quoque actio detur, *l. 11. §. 3. ff. de act. empti. l. 19. §. 2. in fin. ff. h. t.* non tamen ideo hæ actiones ædilitiæ fruſtraneæ ſunt, tum quia ſæpe pinguiores, præſertim cùm ob contumaciam in duplum dantur. *l. 23. §. 4. l. 45. ff. h. t.* tum etiam, quia infrequens non eſt, ejuſdem rei nomine plures actiones concurrere. (III.)

3. Eſt autem redhibitoria actio arbitraria perſonalis emptori competens adversùs venditorem, ob talem defectum, quem ſi ſciviſſet emptor, empturus non fuiſſet; ſive defectus ſit in re principali, ſive acceſſionibus, velut jumenti diſtracti ornamentis. *l. 38. ff. h. t.* regulariter intra ſex menſes inſtituenda. *l. 19. §. ult. ff. h. t.* niſi aliud actum ſit. *l. 31. §. 22. ff. h. t.* quandoque tamen intra duos, ſi nempe venditor de iis, quæ ædilium edicto comprehenſa ſunt, non caverit; vel tantùm ſubſit vitium in acceſſionibus. *l. 28. l. 38. ff. h. t.* Ad id ut venditor rem recipiat cum fructibus, ac viciſſim pretium cum uſuris reddat. *l. 29. §. 2. 3. ff. h. t.* Quòd ſi rem medio tempore emptor obligaverit, ipſo jure per redhibitionem pignoris nexus non diſſolvitur, ſed emptoris eſt rem luere, & ita liberam redhibere *l. 43. §. 8. ff. h. t.* (IV.)

4. Quanti minoris actio, itidem arbitraria, emptori datur contra venditorem ob defectum, quem ſi ſciviſſet, tanti non fuiſſet empturus; ad id, ut reſtituatur ex pretio quanti minoris valet res. *l. 61. ff. h. t.* idque intra annum. *l. 19. §. ult. ff. h. t.* exceptis iis caſibus, quibus actio redhibitoria duobus durat menſibus; tunc enim hæc quanti minoris non ultra ſex menſes datur. *l. 28. ff. h. t.* (V.)

5. Cæterùm redhibitoriâ ſemel tantùm agi poteſt; at quanti minoris actione ſæpiùs, modò ne ſæpius agendo lucrum captet emptor. *l. 31. §. 16. ff. h. t.* Si tamen unâ ex his emptor egerit, alterâ ampliùs agere nequit, exceptione rei judicatæ repellendus. *l. 25. §. 1. ff. de except. rei judic.* Obſt. *l. 43. §. 6. ff. h. t.* Reſp. ibi non bis agitur, ſed emptor quanti minoris agens conſequitur effectum redhibitoriæ actionis,

dum

dum res vendita nullius planè pretii erat. Obſt. *l.* 48. §. 2. *ff. h. t.* Reſp. ibi non per ſententiam, ſed temporis lapſum emptor à redhibitoria excluſus erat. (VI, VII.)

6. Si plures unius emptoris hæredes vel domini ſint, omnes redhibere debent, nec unus eorum audiendus eſt pro ſuâ tantùm parte redhibere deſiderans. *l.* 31. §. 5. *ff. h. t.* idémque eſt, ſi plures ejuſdem rei emptores ſint; niſi ſingulis partes eſſent venditæ; quo caſu ſinguli ſuam poſſunt partem redhibere. *d. l.* 31. §. 10. *ff. h. t.* Quemadmodum & ſinguli poſſunt pro ſuâ parte quanti minoris actionem movere, licèt non partes ſingulæ ſingulis, ſed res tota communiter pluribus ſit vendita. *l.* 33. §. 6. *ff. h. t.* Quòd ſi plures vendiderint, vel uni venditori hæredes extiterint, ſingulis ſua pars rectè redhibetur; eò quòd tunc non de novo introducitur communio. *d. l.* 31. §. 10 *ff. h. t.* quamvis & uni ex pluribus venditoribus, qui majore ex parte dominus eſt, vel quo majorem partem nullus habuit, res in ſolidum redhiberi poſſit. *l.* 44. §. 1. *ff. h. t.* (VII.)

7. Ut autem his actionibus locus ſit, neceſſe eſt, ut vitium morbúſve, aut ſaltem cauſa ejus venditionem anteceſſerit. *l.* 3. *C. h. t.* Et quidem vitium grave, uſum rei impediens; non leve. Inſuper corporis, non animi, (licèt ob hoc ex empto agi poſſit. *l.* 4. *pr. ff. h. t.*) niſi animi vitium tale ſit, ut & corporis uſui officiat: denique latens, ut emptor probabiliter illud ſubeſſe ignoraverit. *l.* 1. *in fin. l.* 2. 3. 4. *l.* 14. §. *ult. l.* 48. §. 3. 4. *ff. h. t.* ſcientia námque emptoris has actiones excludit, multóque magìs admonitio palam, verbis non ambiguis, aut ipſo facto, declarata. *d. l.* 48. §. 3. 4. *ff. h. t.* junct. *l.* 43. §. *ult. ff. de contrah. empt.* Quid in procuratore & ſervo emente obtineat ratione ſcientiæ, vide Cujacium 8. *ad Africanum, ad l.* 51. *ff. h. t.* (VIII, IX.)

8. Venditoris ſcientiam quod attinet vel ignorantiam, ea quantùm ad has actiones non conſideratur. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* quamvis venditor, qui vitium ſcivit, inſuper ad damni totius reparationem teneatur: ad quam non eſt obligatus, ſi ignoraverit, niſi fuerit artifex. *l.* 1. *C. h. t. l.* 13. *ff. de act. empt. l.* 19. §. 1. *ff. locati.* (X.)

9. Non tamen actiones hæ ædilitiæ dantur, ſi venditio fiſcalis fuerit. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* aut rerum ſimplariarum, ſeu vilium. *l.* 48. §. *ult. ff. h. t.* Nec locum habent in donationibus. *l.* 62. *ff. h. t.* aut locationibus. *l.* 63. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 33. *C. locati.* Reſp. ibi non agitur de redhibitoriâ, quippe quæ intra ſex menſes intentanda; actio verò in *d. l.* 33. propoſita intra annum datur. (XI.)

10. Eſt inſuper actio in factum ex ædilitio edicto contra eos, qui canem, verrem, aprum, &c. aut aliud ſimile animal ibi habent, quâ vulgo iter fit, ad ducentos aureos, ſi liber homo perierit; ſin ei nocitum ſit, quanti Judici æquum videbitur, in cæteris rebus ad duplum damni. *l. 40. & ſeqq. ff. h. t.* [XII.]

11. *Moribus.* Pœna dupli in eos, qui canem, &c. habuerint quà vulgo iter fit, non obtinet, ſed magis arbitraria cum damni reparatione.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 58. de ædilitiis actionibus.*

TIT. II.

De Evictionibus & duplæ Stipulatione.

1. EVictio eſt rei noſtræ, quam adverſarius juſto titulo acquiſivit, per Judicem facta recuperatio. Cujus nomine per autorem præſtanda cautio; plerumque repromiſſione, non ſatiſdatione; niſi id actum ſit. *l. 37. ff. h. t.* vel in limine contractûs immineat evictio. *l. 24. C. h. t.* [I, II, III.]

2. Re autem evictâ per vindicationem, aliisve modis (de quibus *l. 16. §. 1. ff. h. t.*) de evictione tenetur autor ſeu alienans, ſi titulo oneroſo alienaverit, puta, venditione, permutatione. *l. 29. C. h. t.* tranſactione, reſpectu rei, quæ tranſactionis causâ data eſt. *l. 33. C. de tranſact.* locatione. *l. 9. 35. ff. locati.* datione in ſolutum. *l. 4. C. h. t.* diviſione hæreditatis. *l. 66. §. ult. ff. h. t.* dote, adhibitis tamen diſtinctionibus, de quibus alibi. *l. 1. C. de jure dot.* legato generis. *l. 29. §. 3. ff. leg. 3.* non ſpeciei. *§. 4. Inſt. de legat. l. 10. C. eod. l. 40 ff. h. t.* Non etiam in donatione ſimplici, niſi id actum ſit. *l. 2. C. h. t.* licèt enim jure novo ſimplex donatio emptioni in eo ſit adæquata, quod ex pacto de donando actio ad tradendam rem competat. *§. 2. Inſt. de donat.* non tamen in eo, ut evictio præſtanda foret; cum id nuſpiam cautum ſit. (V, VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII, XIV.)

3. Nec intereſt, tota res evicta ſit an pars ejus, modò pars ſit homogenea, nomen totius retinens, non heterogenea. *l. 1. 39. §. 2. l. 45. ff. h. t.* junct. *l. 36. 42. 43. 56. §. 2. ff. h. t.* Obſt. *l. 34. §. 1. ff. h. t.* Reſp. ibi non pars ſervi ſed totus ſervus propter adjudicationem factam evictus eſt. Obſt. *l. 15. §. 1. ff. h. t.* Reſp. fortè de actione quanti minoris accipienda eſt. Parti tamen homogeneæ comparatur de jure noſtro, ſi vel uſuſ-

fructus

fructus evincatur. *l.* 46. *l.* 49. *ff. h. t.* vel jus ſuperficiei aut emphyteuſios. *arg. l.* 38. §. 3. *ff. de verb. obl.* vel pignoris. *l.* 43. §. *ult. ff. h. t.* vel ſervitus realis fundo vendito impoſita, cum fundus *ut optimus maximúſque* eſſet diſtractus *l.* 58. *ff. h. t.* vel etiam fundo vendito debita; cum expreſſum eſſet, ſervitutem prædio vendito eſſe debitam. *l. pen. ff. h. t. l.* 66. *ff de contrah. empt.* In cæteris magis quanti minoris actioni locus eſt. *l.* 61. *ff. de ædil. edict. arg. l.* 41. *ff. de act. empt.* [xv, xvi.]

4. Agunt autem propter evictionem emptores aliíque his ſimiles, & eorum ſucceſſores univerſales, non particulares, quales ſecundi emptores, niſi iis contra primum autorem ceſſa ſit actio. *l.* 59. *ff. h. t.* Contra venditorem alióſque ei ſimiles, & eorum hæredes, & fidejuſſores, ac horum hæredes. *l.* 7. *l.* 18. *C. h. t.* (xvii, xviii, xix.)

5. Non aliter tamen agunt, quàm ſi autori, etiam pupillo ſine tutoris autoritate, ſi tutor non appareat. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* vel autoris procuratori. *d. l.* 56. §. 4. *ff. h. t.* tempeſtivè facta ſit denuntiatio (cum ea pacto remiſſa non eſſet, ut remitti poteſt. *l.* 63. *ff. h. t.*) litem motam eſſe, non eum in finem, ut is litem in ſe & ad ſuum forum transferat: ſed potius, ut liti aſſiſtat, & rei conventi forum ſequatur. *l.* 49. *ff. de judic. l.* 29. §. *ult. l.* 49. *ff. h. t.* Si plures unius autoris hæredes ſint, omnibus denuntiandum, quo facto ſi vel unus tantùm in lite ſubſtituerit, omnibus vincit & vincitur. *l.* 62. §. 1. *ff. h. t.* Planè fidejuſſori, qui pro evictione intervenit, denuntiationem fieri neceſſe non eſt. *l.* 7. *C. h. t.* (xx. xxi.)

6. Cæterùm non tantùm ante, ſed & poſt litem conteſtatam fieri poteſt denuntiatio, ſi modò ſalva adhuc ſit defenſio. *l.* 29. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 29. §. 3 *ff. de legat.* 3. Reſp. per *judicium* ibi poteſt intelligi *ſententia*. [xxiii.]

6. Eſtque neceſſaria etiam in cauſa, quam DD. appellant *notoriè injuſtam*: etenim an injuſta ſit, non emptoris, (cui ſæpe ignotæ defenſiones) ſed judicis eſt æſtimatio. *arg. l.* 20. §. 1. *ff. de oper. novi nuntiat.* Obſt. notoria non ultra probanda. Reſp. in caſu propoſito emptori nec eſt nec eſſe poteſt ſatis notorium. Obſt. *l.* 11. §. 12. *ff. de act. empti.* Reſp. ibi non dicitur, omiſſam eſſe denuntiationem. (xxii.)

8. Nec refert, autor ſciverit an ignoraverit litem motam eſſe, cum & ſcienti denuntiandum ſit. *arg. l.* 20. *C. h. t.* non quidem ad id, ut certior fiat. *arg. l.* 1. *in fin. ff. de act. empti*, ſed ut liti motæ aſſiſtat. [xxii.]

9. Agitur verò ob evictionem vel actione ex empto ad recuperandum

cuperandum pretium & id quod intereſt, unà cum litis impenſis. *l. 6. l. 9. C. h. t.* vel actione ex ſtipulatu in ſimplum, *ſi ſimpla*, in duplum *ſi dupla*, in quadruplum *ſi quadrupla* ſtipulatio ſit interpoſita. *l. 37. §. 1. l. 56. ff. h. t.* licèt plerumque *dupla* ſtipulatio in pretioſioribus, *ſimpla* in acceſſionibus & rebus vilioribus ſolita fuerit interponi. *l. 16. l. 37. §. 1. ff. h. t.* [XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.]

10. Ceſſant tamen hæ actiones, ſi non ſit facta autori litis motæ denuntiatio. *l. 8. C. h. t.* Si lis quidem mota, ſed emptor vicerit: quo caſu ne litis quidem impenſas emptor ab autore poteſt repetere. *arg. l. 51. ff. h. t.* niſi aliud actum ſit. *l. 102. ff. de verb. oblig.* Si emptor necdum condemnatus rem petitori reſtituerit, vel compromiſerit, aut tranſegerit. *l. 56. §. 1. ff. h. t. arg. l. 17. C. h. t.* Si emptor victus, abſente venditore, non appellaverit; ſecus, ſi eo præſente. *l. 63. §. 1. ff. h. t.* Si res interierit poſt venditionem; licèt de dolo agi poſſit. *l. 21. pr. ff. h. t.* etiam quandoque de evictione, ſi emptor ſine culpâ ſuâ ad præſtandam rei æſtimationem condemnatus fuerit. *l. 16. de rei vind.*

11. Ceſſat & evictionis præſtatio in caſibus propoſitis in *l. 51. 56. §. 3. l. 63. §. ult. ff. h. t. l. 19. C. h. t.* Ut & in hæreditate venditâ, ratione rerum ſingularum evictarum, niſi aliud actum ſit. *l. 15. ff. de hered. vel act. vend.* Denique ſi ſciens rem alienam emerit, vel id actum ſit, ne evictio præſtetur: quo tamen utroque caſu pretium reddendum. *l. 1. C. ſi vend. pign. agatur. l. 11. §. ult. ff. de act. empti. l. ult. §. ult. C. commun. de legat. Nov. 7. c. 5. pr. & §. 2.* Obſt. *l. 27. C. h. t.* Reſp. non de pretio ea accipienda, ſed de litis impenſis, quæ propriè evictionis nomine ſolvuntur, quaſque fert emptor, ut temerarius litigator. Obſt. *l. pen. & ult. C. de reſcind. vend.* Reſp. ibi emptores mulctantur pretio, quia emerunt lege prohibente. Obſt. *l. 7. C. commun. utr. judic.* Reſp. agit de actione evictionis nomine in duplum aut id quod intereſt. Obſt. *l. 57. §. 2. ff. de contrah. emp.* Reſp. alius ibi caſus eſt, nec res evicta ſed extincta. Obſt. *l. 11. ff. h. t.* Reſp. & ibi tantùm impropriè dicta eſt evictio. [XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV.]

12. Quòd ſi plures res ſimul uno pretio ſint venditæ, pro numero rerum etiam multiplicatur de evictione actio. *l. 27. ff. h. t. l. 33. ff. de act. empti.* & ſi unâ re evictâ reliquæ ſimul uno pretio venditæ adhuc pluris valeant, quàm quanti omnes ſimul, connumeratâ re evictâ, erant venditæ, emptor nihilominus de evictione actionem habet, nec damnum cum lucro compenſandum. *l. 47. ff. h. t.* [XXXV.]

13. *Mo-*

13. *Moribus.* Duplæ ſtipulatio hodie ceſſat, agitúrque tantùm ad id, quanti verè intereſt: quòd & præſtandum, cùm res imperitiâ vel imprudentiâ Judicis evicta dicitur, niſi emptor culpâ ſuâ iniquæ ſententiæ cauſam præbuerit. Si ſciens quis rem alienam miſerit, quicquid de Jure Romano diſputetur, hodiernis ſaltem moribus pretium repetit, evictâ re: niſi & evictionis periculum in ſe receperit. Cæterùm pupillo ſoli non rectè per emptorem ſit denuntiatio litem motam eſſe, ſed potiùs tutori; eóque deficiente, cognatis pupilli proximioribus, vel cameræ pupillaris præfectis; ut tutor detur, cujus ope pupillus defendatur.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 45. *de evictionibus, tit.* 46. *creditorem evictionem pignoris non debere.*

Tit. III.

De Exceptione rei Venditæ & Traditæ.

Regula eſt; quem de evictione tenet actio, eundem agentem multo magìs repellit exceptio. Proinde, ſi quiſquam ex illis, qui de evictione conveniri poſſunt, rem velit evincere, in emptoris eſt poteſtate, utrùm eam ſibi retinere velit oppoſitâ rei venditæ & traditæ exceptione, an potiùs evincenti cedere, ac deinceps ad id quod intereſt vel ad duplum ex ſtipulatu agere. *l.* 17. 73. *ff. de evict on.* 1. 11. 111. *ff. h. t.* (1, 11.)

2. Opponi verò poteſt hæc exceptio venditori, etiam primo per ſecundum emptorem. *l.* 3. *ff. h. t.* & hæredi ejus, ſi hæres fuerit rei venditæ dominus; ſaltem pro ea parte, ex qua hæres eſt. *l.* 14. *C. de rei vind.* ùt & fidejuſſori. *l.* 11. *C. de evict.* Non tamen hæredi ejus, ex ſua perſona agenti. *l. ult. C. de evictlon.* (111.)

3. Primo quoque emptori datur contra emptorem ſecundum, ſi eandem rem idem venditor duobus vendiderit, licèt vendiderit ſecundo, cùm jam factus eſſet rei dominus. *l.* 2. *ff. h. t. arg. l.* 72. *ff. de rei vind.* ſive res per venditorem ſit emptori tradita, ſive is aliter poſſeſſionem ſine vitio adeptus fuerit. *l.* 1. §. 2. *& ult. ff. h. t.*) IV, V.)

LIBER

LIBER XXII.

TIT. I.

De Uſuris & Fructibus & cauſis & omnibus Acceſſionibus & Morâ.

1. USura eſt quantitas ſorti ſeu principali debito accedens, ac conſiſtens in re ejuſdem generis. Habétque locum in quantitatibus, non corporibus. *arg. l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 25. *C. h. t. l.* 17. §. *ult. ff. h. t.* Reſp. intelligendæ de caſu, quo corporis æſtimatio eſt debita. Latiùs autem uſura patet quàm fœnus, quippe quod propriè tantùm in mutua pecunia ex ſtipulatione debetur. *l.* 3. *C. h. t.* (1.)

2. Dividitur uſura in *centeſimam*, quæ centeſimo menſe ſortem æquat, quam & drachmalem Græci dixêre; & *minorem* ſeu leviorem; quæ, habito reſpectu ad centeſimam, alia beſſalis, alia ſemis, alia quincunx, quadrans, triens, &c. à quantitate denominatur; éſtque plurimis in negotiis certus præſcriptus uſurarum modus, ſic mercatoribus beſſales, illuſtribus trientes, vulgo ſemiſſem percipere permiſſum fuit. *l.* 26. *C. h. t.* (II)

3. Alia inſuper uſura *compenſatoria* dicitur, quæ quaſi merces eſt pro uſu rei fungibilis. *l.* 4. *C. depoſiti.* Alia *punitoria*, quæ ex mora debetur. *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* Alia *lucratoria*, quæ & mordax eſt illicita; ut ſi quis legitimum excedat uſurarum modum: quo tamen caſu non planè inutilis eſt uſurarum majorum vel promiſſio vel præſtatio; ſed quod legitimum excedit modum, reſtituitur, aut ſorti imputatur. *l.* 29. *ff. h. t.* Niſi quis majorem quantitatem, non tanquam uſuram, ſed ut pœnam in ſtipulatum deduxiſſet: quod tamen in mutuo prohibitum. *l.* 15. 16. *C. h. t.* (IV, V.)

4. Debentur uſuræ vel promiſſæ vel non promiſſæ, *promiſſæ* regulariter ex ſola ſtipulatione non pacto in ſtricti juris judiciis peti poſſunt. *l.* 3. *l.* 7. *C. h. t.* Niſi res alia fungibilis præter numeratam pecuniam mutuo data ſit. *l.* 12. *l.* 23. *C. h. t.* vel uſuræ civitati ex pacto promiſſæ ſint. *l.* 30. *ff. h. t.* vel argen-

argentariis. *Nov.* 136. *c.* 5. vel trajectitia ſit pecunia. *l.* 5. §. 1. *ff. de naut. fœnore.* In cæteris cauſis tantùm ſolutarum ex pacto uſurarum ceſſat repetitio. *l.* 3. *C. h. t.* (VII, VIII.)

5. *Non promiſſa* debentur ex mora, ídque in bonæ fidei non item ſtricti juris judiciis. *l.* 32. §. 2. *arg.* *l.* 38. §. 7. *ff. h. t.* *l.* 3. *C. eod.* (exceptis caſibus in *l.* 34. *ff. h. t.* *l.* 2. *C. de uſuris rei judicat.* *l.* 17. §. 5. *ff. h. t.*) ne poſt litem quidem conteſtatam. *l.* 1. *C. de condict. indeb.* *arg. d. l.* 3. *C. h. t.* Obſt. *l.* 35. *ff. h. t.* Reſp. ſenſus eſt, uſurarum antea debitarum curſum non ſiſti per litis conteſtationem, quâ fit novatio quædam neceſſaria; quod tamen per voluntariam novationem contingit. *l.* 18. *ff. de novation.* Obſt. fructus debentur poſt litem conteſtatam; proinde & uſuræ. *l.* 38. §. 7. junct. *l.* 34. *ff. h. t.* Reſp. in eo tertio cum fructibus uſuræ comparantur, quòd ex mora debeantur in bonæ fidei judiciis, in cæteris eſt diſpar ratio. Obſt. *l.* 31. *ff. de reb. cred.* Reſp. cauſa ibi non continet uſuras, de quibus certò aſſeri nequit actorem eas poſt litem conteſtatam fuiſſe percepturum. (X.)

6. Nuda autem uſurarum præſtatio per plures annos facta non inducit obligationem ad eas in poſterum præſtandas. *l.* 7. *C. h. t.* *l.* 28. *C. de pact.* Obſt. *l.* 6. *ff. h. t.* Reſp. non ibi quæſtio eſt, an uſuræ præſtandæ ſint; ſed potiùs, à quo ſolvendæ; filius nempe eas promiſerat, pater ſolverat; ex ea ſolutione nata præſumptio, pecuniam, de cujus uſuris quæritur, in rem patris fuiſſe verſam, adeóque non filium ſed patrem & hæredes ejus ad uſuras teneri. Obſt. *l.* 1. *C. de fideicommiſſ.* Reſp. ibi non de uſuris ſed annuo legato agitur, quod dum præſtat hæres, defuncti voluntatem cenſetur ratam habuiſſe. (XIII.)

7. Non tamen inficias eundum, quin tacitum inducatur pactum de præſtandis in poſterum uſuris levioribus, ſi annis pluribus leviores fuerint præſtitæ, quàm erant promiſſæ. *l.* 5. *C. h. t.* *l.* 13. *ff. h. t.* eò quòd leges ad liberandum, quàm ad obligandum proniores ſunt. Obſt. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. ibi non minores, ſed nullæ uſuræ erant præſtitæ, ut quis gratior apud debitorem eſſet; unde non in univerſum poterant videri remiſſæ, ſed tantùm in præteritum. (XIV.)

8. Ceſſat uſurarum obligatio remiſſione: ut &, ſi non fuerint adjudicatæ, ac per ſententiam, ſolutionem, aut præſcriptionem, ſublata ſit principalis obligatio. *l.* 13. *C. h. t.* Quod verum, ſi ex mora debeantur, ſeu Judicis officio. *l.* 49. §. 1. *ff. de act. empti.* *l.* 4. *C. depoſiti.* *d. l.* 13. & 26. *C. h. t.* ſin ex ſtipu-

ſtipulatu, etiam peremptâ ſortis obligatione peti poſſunt. *l. 1. C. de judic. l. 75. §. pen. ff. de verb. obl.* (XV, XVI.)

9. Ceſſat quoque uſurarum curſus, purgatâ morâ; quod quidem fit ſolâ ſortis oblatione, ſi uſuræ propter moram ex perſona currere cœperint. *arg. l. 91. §. 3. ff. de verb. oblig. l. 9. pr. l. 11. C. h. t.* ſi verò ex conventione aut morâ ex re fuerint debitæ, præter oblationem conſignatio etiam ac depoſitio eſt neceſſaria. *l. 6. l. 9. in fin. l. 19. C. h. t. l. 28. §. 1. ff. de admin. tut. l. 1. §. ult. l. 7. ff. h. t.* (XVII.)

13. Cæterùm neque ſortem excedere poſſunt uſuræ ſive particulatim ſive ſimul & ſemel ſolutæ. *l. 27. C. h. t. Nov. 121. & 138.* abrogatâ *l. 10. C. h. t.* (ſecus in annuis reditibus *Nov. 160.*) nec uſurarum uſuræ peti, *l. 28. C. h. t.* ſub pœna infamiæ. *l. 20. C. ex quib. cauſ. infam. irrogat.* licèt quis in uſuras jam condemnatus ſit. *l. ult. C. de uſur. rei jud.* Cui conſequens eſt, ut nec in ſortem uſuræ converti queant. *d. l. 28. C. h. t.* niſi mutata ſit debitoris aut creditoris perſona. *l. 7. §. 12. ff. de admin. tut.* excepto caſu *l. 12. §. 6. ff. qui pot. in pign.* (XIX, XX.)

11. Fructus propriè ſunt, qui naturaliter ex ipsâ re naſcuntur. Hi in ſtricti Juris judiciis etiam ex morâ poſt litem conteſtatam peti poſſunt. *l. 8. de re jud. l. 38. §. 7. ff. h. t.* quandoque & ante *d. l. 38. pr. & §§. ſeqq. ff. h. t.* ut & fructuum ante, non poſt litem conteſtatam perceptorum uſuræ in petitione hæreditatis. *l. 51. in fin. ff. de petit. hæred.* Obſt. *l. 15. ff. h. t.* vide *tit. de petit. hæred.* [XX.]

12. Cauſa eſt omnis rei qualitas & utilitas, quæ circa eam eſt *l. 20. ff. de rei vind. §. 2. Inſt. de off. Jud.* & vel interna eſt, ùt bonitas, fertilitas, integritas, libertas ab oneribus, & alia ſimilia; vel externa, ùt fœtus, partus, penſiones, fructus. [XXII.]

13. Acceſſio verò eſt omne illud, quod quomodocunque rei accedit; ſic ùt præter cauſam etiam inſula & alluvio, & alia ſimilia jure gentium alteri rei cohærentia ac cedentia comprehendantur. *l. 34. ff. de rei vind.* [XXIII.]

14. Mora eſt ſolutionis faciendæ vel accipiendæ fruſtratoria dilatio: quam frequentiùs debitor committit, rariùs creditor; committit tamen, ſi rem legitimo modo oblatam non acceptet, ſive ea mobilis ſit, ſive immobiliis, ac debitor ſe eam præſtare paratum denuntiaverit. *Nov. 91. c. 2.* (XXIV.)

15. Eſt autem mora alia ex re, alia ex perſona, hæc frequentior, illa rarior: unde & in *l. 32. pr. ff. h. t.* ſola mora ex

ex perſona deſcribitur, & inducitur, per interpellationem debito loco & tempore factam, ſive judicialem ſive extra judicialem. *d. l.* 32. *ff. h. t. l.* 23. *ff. de verb. oblig.* Sufficere verò poteſt etiam una interpellatio, modò creditor ei inhæreat à ſe aut ſervo ſuo factæ: atque ita non obſtabit. *d. l.* 32. *ff. h. t.* plures tamen quin adhiberi poſſint ex abundanti, haud dubium; uti & de facto adhibitas, narratur in *l.* 38. *ff. de minorib. & l.* 59. §. 3. *ff. mandati.* [XXV.]

16. Mora ex re eſt, quæ fit ſine interpellatione; veluti, ſi dies ſolutioni appoſitus interpellet pro homine. *l.* 12. *C. de contrah. & commit. ſtipul.* (ſecus ſi conditio ſit appoſita; utpote quam exiſtere debitor probabiliter poteſt ignorare.) Obſt. *l.* 1. *ff.* 3. *ff. de peric. & commod. rei vend.* Reſp. ibi interpellatio non ad moram, ſed licentiam vini effundendi pertinet. Sic & ex re mora fit, ſi quis pupillo vel fiſco debitum non ſolvat. *l.* 3. *C. in quib. cauſ. reſtit. in integr. neceſſ. non eſt. l.* 17. §. 5. *ff. h. t.* ſi fur res furto ſubtraxerit. *l.* 8. *l. ult. ff. de condict. furt.* ſi dos promiſſa ſit. *l. ult.* §. *ult. C. de jure dot.* ſi emptor fructus ex re venditâ percipiens pretium non ſolvat. *l.* 5. *C. de act. empti.* ſi nullus ſit qui interpelletur. *l.* 23. §. 1. *ff. h. t.* His verò caſibus, quibus ex re mora fit, quandoque in legibus mora abeſſe dicitur; quatenus ſc. abeſt mora ex perſona quæ frequentior, ùt in *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. l.* 5. *C. de act. empti.* [XXVI, XXVII.]

17. Effectus moræ ex parte debitoris eſt perpetuatio obligationis, ex parte creditoris translatio periculi à tempore moræ. *l.* 23. *l.* 91. §. 3. *ff. de verb. obl.* Nocétque mora regulariter ſoli moratori, non alteri, ne correo quidem. *l.* 32. §. *pen. ff. h. t. l.* 173. §. *pen. ff. de reg. jur.* Obſt. *l. pen. ff. de duob. reis.* Reſp. ibi non de morâ, ſed facto correi agitur. [XXVIII.]

18. Purgatur mora remiſſione, mora etiam poſteriore *d. l.* 91. §. 3. *ff. de verb. obl.* novatione purâ, non conditionali principalis debiti. *l.* 8. *ff. de novat.* denique oblatione ſecundùm dicta. [XXIX, XXX, XXXI.]

19. *Moribus.* Uſuræ non debentur hodie regulariter ex morâ, niſi poſt litem conteſtatam, ex quo tempore tam in ſtricti juris quàm bonæ fidei judiciis currere incipiunt. Ex nudo verò pacto eas etiam deberi, conſtat ex iis, quæ ſupra *tit. de pactis* dicta ſunt. Fiſcus autem exemplo privatorum hodie uſuras dat & accipit. Quòd ſi uſuræ in conventionem deductæ ſint, nec tamen earum ſit expreſſa quantitas, ex more regionis

regionis earum modus ſtatuendus eſt. Cæterùm ex cauſa judicati non ſunt apud nos debitæ uſuræ centeſimæ, ſed minores. Nec obſtat quicquam, quo minus hodie uſuræ ſortis quantitatem excedant.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 32. de uſuris.*

TIT. II.

De Nautico Fœnore.

1. NAuticum fœnus in pecunia aut merce vel re aliâ trajectitiâ ſeu trans mare vehendâ obtinet. *l.* 1. *ff. h. t.* & ex rationis parilitate eam in eâ, quæ per loca terreſtria periculoſa vehitur, imo etſi nihil transvehendum ſit, ſi tamen ſubſit periculum, ejúsque periculi pretium conſtituatur, ad fœnus nauticum videbitur accedere, cujus exempla ſunt in *l.* 5. *ff. h. t.* (1.)

2. Forma autem fœnoris nautici in eo conſiſtit, quòd pecunia tranſvehatur periculo creditoris ſeu mutuantis. *l. 6. ff. h. t.* pro quo fœnus nauticum præſtatur, quod uſque ad centeſimas uſuras, non ultra poteſt conſtitui. *l.* 26. *C. de uſuris.* etiam nudo pacto. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* non tamen ultra currit hoc fœnus graviſſimum, quàm quatenus durat periculum: quo ceſſante, ut vulgares quoque ſuccedunt uſuræ. Unde &, ſi pecunia debitoris ſeu mutuatarii transvehatur periculo, fœnus nauticum non præſtandum. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 1. 2. *C. h. t.* Quòd ſi res, quæ creditoris periculo tranſvehitur, culpâ aut dolo debitoris ſeu mutuatarii perierit, debitoris damnum erit; cui ſua culpa nocere debet, non creditori. *l.* 3. *C. h. t.* (11.)

3. *Moribus.* Non tam pecunia tranſvehi quàm potius per cambii litteras ejus numeratio in aliis locis procurari ſolet. Si quis res tranſvehendas ſuo nolit eſſe periculo, frequens hodie eſt contractus aſſecurationis, in quo periculi pretium uſuras centeſimas longè poteſt excedere, ex notiſſima praxi.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 33. de nautico fœnore.*

TIT. III.

De Probationibus & Præſumptionibus.

1. PRobatio eſt *rei dubiæ per argumenta facta fides*: ea verò vel *artificialia* ſunt, quæ induſtriâ & arte ex ipſa causâ ejúſque

ejúſque circumſtantiis deducuntur. *arg. l. 2. C. de teſtib. l. 2. C. quor. appell. non recip.* vel *inartificialia*, quæ extrinſecus ad fidem faciendam adhibentur, ut inſtrumenta & teſtes. Omnia tamen argumenta artificialia innituntur ferè inartificialibus; in quantum circumſtantiæ, ex quibus artificialia deducuntur, per inſtrumenta vel teſtes probandæ ſunt. (I.)

2. Probatio alia *ordinaria* eſt, quæ per inſtrumenta & teſtes fit, alia *extraordinaria* per jusjurandum aut confeſſionem adverſarii; quæ tertiis poſtea agentibus non obſtant. *l. 11. §. ult. ff. de jurejur. arg. l. 1. ff. confeſſ.* (II.)

3. Eſt & *plena* alia probatio, quæ per ſe ſufficiens eſt ad fidem faciendam & ſententiam ferendam, vel *minùs plena*, quam & *ſemiplenam* appellant, quæ per ſe ſufficiens non eſt ad ſententiam ferendam, niſi aliunde juvetur. *l. 31. ff. de jurejur. l. 3. C. de reb. cred. arg. l. 3. §. 1. ff. de teſtib. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* quo etiam pertinet unius teſtis depoſitio. *l. 9. C. de teſtib.* Eſtque his in caſibus locus jurijurando ſuppletorio vel purgatorio per Judicem deferendo. Adde *tit. de jurejur.* (III.)

4. Non tamen ſemiplenam probationem facit ſola fama publica, vel fuga; quamvis inde quædam naſcatur præſumptio, arbitrio Judicis æſtimanda. *l. 3. §. 2. ff. de teſtib. nov. 53. c. 4.* verbo *pene ſui accuſatorem per fugam.* Obſt. *l. 7. §. 2. ff. de ſuſp. tut.* Reſp. ibi fuga, ſeu potius latitatio non facit ſemiplenam delicti probationem, ſed magis ipſum illud delictum eſt, propter quod tutor ut ſuſpectus removetur. (IV, V.)

5. Fuit inſuper vulgo recepta probationis diviſio, quâ alia canonica eſt, alia vulgaris, quæ per flammam, aquam frigidam aut ferventem, ferrum candens, ſacram hoſtiam, duellum, &c. fiebat; nunc prorſus improbata. (VI, VII.)

6. Probantur autem facta. *l. 17. C. h. t.* ad rem pertinentia, eáque dubia, non notoria. *arg. l. 1. in fin. ff. de act. empti. l. 1. §. 12. ff. de obl. & act.* Non jura: niſi dubitetur utrùm jus tale vigeat; quod in conſuetudine & privilegio ſeu jure ſingulari poteſt contingere. *l. 5. ff. h. t. l. 34 ff. de legibus.* [VIII.]

7. Et actor quidem primò ſuam probat intentionem, dein reus exceptionem, cum excipiendo actor fiat: actore verò non probante reus abſolvendus eſt. *l. 19. 23. C. h. t. l. 4. C. de edend. l. 9. C. de except. l. 2. C. h. t.* Niſi contra reum graviores militent præſumptiones; quo caſu & in ipſum protinus rejicitur probandi onus. *l. 26. l. 3. l. 12. ff. h. t. nov. 115. c. 3. ſub fin.* (IX.)

8. Probat & qui aſſerit, non qui negat. 23. *C. h. t.* niſi circumſtantiis affirmationem continentibus ſit munita negatio, veluti ſi quis ſe delictum non perpetraſſe probet, docendo ſuum *alibi*, ut loquuntur. §. 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Probat denique is, qui non poſſidet: qui ſi in probando deficiat, poſſeſſor vincit. *l. 24. ff. de rei vind. l. ult. C. eod. l.* 14. 15. *ff. h. t.* (x, xi.)

9. Facienda verò probatio intra tempora à Judice conſtitui ſolita, plerumque convenienter legibus certas ad probandum dilationes tribuentibus. *l.* 1. *C. de dilat. l.* 38. *ff. de excuſat. tut.* Et quidem regulariter poſt litem conteſtatam, uſque ad concluſionem in cauſa, non ultra. *auth. atqui. C. h. t.* Ut tamen in criminalibus etiam poſt ſententiam admittenda ſit innocentiæ probatio. *l.* 1. §. *ult. ff. de quæſtion.* Quemadmodum ex adverſo etiam ante litem conteſtatam quandoque fit probatio, ſi metus ſubſit, ne fortè teſtes aut moriantur aut longè abfuturi ſint. *auth. ſed ſi quis. C. de teſtib.* (xii, xiii.)

10. Præſumptio eſt conjectura ex ſigno veriſimili ad probandum aſſumpta. Eámque triplicem DD. conſtituunt, aliam *hominis*, cum ex ipſius negotii probabilibus qualitatibus & circumſtantiis aliquid inducitur per Judicem, ac inductum pro vero habetur, donec contrarium probatum fuerit. Aliam *juris*, quæ ex legibus introducta eſt, & pro veritate habetur; ut tamen ſimiliter onus probandi contrarium poſſit in ſe recipere is, contra quem præſumptio hæç militat. *l.* 3. 9. 23. 25. *ff. h. t. l.* 3. *in fin. l.* 4. *l.* 18. *ff. de adim. le-l.* 1. *l.* 3. *ff. de pactis.* ſic ut idem fere ſit effectus præſumptionis hominis, qui eſt juris. Aliam denique *juris & de jure*, cum jus præſumit & ſuper præſumpto diſponit, nec admittit probationem in contrarium. Exempla ſunt in *l.* 9. *de ſponſal. l.* 1. §. *ult. ff. de minor. l* 53. *ff. de reg. jur.* junct. *l.* 50. *ff. de condict. indeb.* [xiv, xv, xvi, xvii.]

11. Cæterùm ex ſolis *juris* præſumptionibus etiam ſententiam ferri poſſe verius eſt in cauſis civilibus, non criminalibus, niſi ſint indicia manifeſtiſſima. *l. ult. C. h. t.* Obſt. *l.* 5. *ff. de pœnis.* Reſp. ea de *ſuſpicionibus* agit, quæ tantùm leves ſunt præſumptiones. [xviii.]

12. Præſumptioni affinis eſt juris fictio; commentum ſc. ad conciliandam æquitatem cum ratione & ſubtilitate juris: qualis fictio plerumque tantùm operatur in caſu ficto, quantum veritas in caſu vero; uti id ex ficta traditione aliisque plurimis ſparſim in jure occurrentibus apparet. (xix, xx.)

13. *Mori-*

13. *Moribus.* Poſtquam in cauſa concluſum eſt, nonnunquam adhuc hodie ex urgente ratione novæ admittuntur probationes, impetratâ priùs ad id licentiâ per reſtitutionem.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 19. de probationibus.*

Tit. IV.

De Fide Inſtrumentorum & Amiſſione eorum.

1. INſtrumentum eſt ſcriptura ad rerum geſtarum fidem comprobandam aſſumpta. *l. 4. ff. de pign. & hypoth.* non in civilibus tantùm, ſed & criminalibus negotiis fidem faciens. *arg. l. 15. C. h. t. l. ult. C. de probation. l. 22. C. ad Leg. Corn. de falſis.* Obſt. *l. 3. §. 3. ff. de teſtib.* Reſp. teſtimonia non ſunt inſtrumenta, ſed tantum ſcriptæ teſtium depoſitiones. (I.)

2. Dividitur in *publicum & privatum.* Publicum eſt, quod vel autoritate publicâ confectum; quò pertinent libri cenſuales & acta publica. *l. 10. de probat. l. 30. 31. C. de donat.* vel formâ ſolemni à perſonâ publicâ, puta tabellione, conſcriptum eſt. *l. 17. C. h. t. l. ult. C. de jure deliber.* cujus requiſita enumerantur in *Nov. 44. c. 2. & Nov. 47. c. 1. §. 1.* Quibus & locus adjungendus, in quo inſtrumentum conditur, utpote qui maximè ad fidem ejus firmandam, falſitatémve detegendam eſt neceſſarius. *arg. l. 14. C. de contrah. & commit. ſtipul. §. 12. Inſt. de inutil. ſtipul.* nec id *per d. Nov. 47. c. 1. §. 1.* mutatum. Sed & tabellionis ſubſcriptio videtur neceſſaria; non verò teſtium, quorum nomina manu tabellionis exprimi ſufficit. *arg. Nov. 73. c. 5.* exceptis teſtamentis, codicillis & ſimilibus. (II, III.)

3. Quòd ſi inſtrumentum ab eo confectum ſit, qui cùm tabellio non eſſet, omnium tamen opinione pro tali erat habitus, ex æquitate illud ut publicum videtur admittendum. *arg. l. 3. ff. de offic. prætor. l. 3. ff. ad SConſult. Maced.* (IV.)

4. Eſt & inſtrumentum quaſi publicum, quod trium teſtium fide dignorum ſubſcriptione munitum eſt. *l. 11. C. qui pot. in pig.* (VI.)

5. Vis inſtrumenti publici eſt, quod plenam fidem faciat; modò ſit authenticum, non item exemplum. *l. 2. ff. h. t.* niſi hoc fide publicâ fuerit ex authentico deſcriptum. *l. 57. ff. de*

admin. tut. quò etiam fortè pertinent actorum fiſcalium exempla. *l.* 45. §. 6. *ff. de jure fiſci.* & ea, quæ hodie ex protocollo tabellionis ſolenniter deſcripta citata adversâ parte. *arg. l.* 2. *C. de teſtamentis.* Quòd ſi in inſtrumento publico alterius inſtrumenti mentio fiat, non aliter fidem faciet, quàm ſi illud ipſum, cujus injecta mentio, exhibeatur. *auth. ſi quis in aliquo C. de edendo.* (VII, VIII.)

6. Inſtrumentum privatum eſt, quod privatâ autoritate à privatis eſt compoſitum, quò & epiſtolæ referendæ. *l* 34. *ff. mandati. l.* 34. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* Et vel obligatorium eſt vel liberatorium. Obligatorium aliter ſyngrapha, chirographum; idiochirum, cautio, dicitur. *l.* 40. *ff de reb. cred. l.* 11. *C. qui pot. in pign.* Liberatorium etiam apochæ venit appellatione. *l.* 14. § 2. *C. de non num. pecun.* (X.)

7. Omnis autem privata ſcriptura contra ſcribentem quidem plènè probat. *l.* 26. §. *ult ff. depoſiti.* Modò de ſcripturâ conſtet ex propria adverſarii confeſſione; non ſolâ litterarum collatione, niſi & alia concurrant. *l.* 20. *C. h. t. Nov.* 73. *c.* 7. Modò etiam cauſa debiti adjecta ſit. *arg. l.* 25. §. *ult. ff. de probation.* Planè contra tertium aut pro tertio privatum inſtrumentum non ſatìs probat. *arg. l.* 63. *ff. de re judic.* multóque minus pro ipſo ſcribente, niſi aliis juvetur adminiculis. *l.* 5. 6. 7. *C. de probation.* id quod & in libris mercatorum ac aliorum ſimilium ſervatur. (XI, XII, XIII.)

8. Cæterùm inſtrumenti & publici & privati fides nonnunquam penitus evertitur, puta probatione in contrarium. *d.* §. 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.* vel ſi teſtes adhibiti omnes obloquantur inſtrumento. *arg. Nov.* 73. *c.* 3. vel unus idémque duo ſibi invicem contrariantia inſtrumenta produxerit. *l.* 14. *C. h. t.* niſi illa ultimam voluntatem contineant, quo caſu vel poſteriori inſtrumento, vel, ſi eodem tempore conſcripta, ei quo minor comprehenſa quantitas, ſtandum foret. *l.* 12. §. *ult. ff. de legat.* 1. *l.* 47. *ff. de legat.* 2. Quandoque fides diminuitur, licèt non in totum tollatur; veluti cancellatione, raſione, &c. niſi id contigerit in ea inſtrumenti parte, quâ non ſit ſuſpectum. *l.* 24. *ff. de probat.* ut & ſi pauciores ex pluribus teſtes inſtrumento contradicant, aut ſuam non agnoſcant ſcripturam. *l.* 1. *in fin. ff. teſtam. quemadm. aper. inſp. & deſcrib.* (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII.)

9. Extra hos caſus regulariter pro inſtrumentis militat tam veritatis, quàm ſolennitatis, præſumptio. §. 12. 17. *Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 18. *C. de probat.* Adeò ut nec inſtrumentorum

torum fides in dubium vocari poſſit per teſtium depoſitiones, niſi ea falſitatis arguantur. *l.* 1. *C. de teſtibus.* junct. *d.* §. 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Quin imò generaliter eadem inſtrumentorum quæ teſtium vis & fides eſt. *l.* 15. *C. h. t.* atque inde teſtes omni exceptione majores, potiores erunt inſtrumentis non omni exceptione majoribus *d.* §. 12. & vice verſâ. *l.* 10. *ff. de probation. l.* 3 *in fin. C. ſi minor ſe mai. dix.* (tit. ſeq. 1.)

10. Amiſſio inſtrumenti non nocet creditori. *l.* 10. *C. h. t.* modò aliter de negotio conſtet. *l.* 4. *C. h. t. l.* 4. *ff. de pign. & hypoth* Probatur autem ejus amiſſio, deficientibus aliis, per jusjurandum, ſi fortè tertius illud ſibi exhiberi deſideret. *l. ult. in med. C. h. t.* (XIX. & ſeqq.)

11. *Moribus.* Libri mercatorum ſemiplenè probant pro ſcribente, ac jurejurando vel morte mercatoris ſcribentis confirmantur, atque ita plenè probant: modò ea inveniantur ſcripta, quæ ipſam concernunt mercaturam; non item mutui dationes aut fidejuſſiones aliáque ſimilia. Cæterùm inſtrumentis publicis præter tabellionem ipſi quoque teſtes ſolent ſubſcribere.

* Adde *ex Cod. libr.* 4 *tit.* 21. *de fide inſtrument. tit.* 22. *plus valere quod agitur quàm quod ſimulatè concipitur.*

Tit. V.
De Teſtibus.

1. Teſtis eſt perſona ad fidem rei faciendam adhibita in causâ civili vel criminali. In quo ante omnia requiritur teſtimonii perhibendi poteſtas tempore eo, quo in teſtimonium adhibetur. *arg. l.* 2. 3. *ff h. t.* (11.)

2. Teſtes autem in univerſum vetantur eſſe, qui juris infamiâ laborant. *l.* 13. *ff. h t.* licèt enim Lex Julia de vi quoſdam tantùm gravius notatos enumeret, *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* tamen, quod legi deërat, Judicis officio ſupplendum fuit. *d. l.* 13. Obſt. *l.* 20. §. 5. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* Reſp. addenda particula *non*, ùt contextus ſuadet, & *l.* 15. *ff. h. t.* Repelluntur & furioſi, mente capti, impuberes. *d. l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* prodigi. §. 6. *Inſt. de teſtam. ord.* junct *l* 40. *ff. R. J.* hæretici improbiores, vide *l pen. C. de hæret. & Manich.* ſervi, *l.* 11. *C. h. t.* niſi cauſa ſit ardua ad rei publicæ ſpectans utilitatem; aut aliæ deſint probationes. *l.* 53. *ff. de judic. l.* 7. *ff. h. t. l. ult. ff. de ſuſp. tut.* licèt per tormenta in plerisque veritas ex his inquiri poſſit. *l.* 1. §. 4. *ff. de quæſtion.* atque etiam liberi facti deponere

de iis, quæ in ſervitute viderint audiverintve. *arg. l.* 99. §. 2. *ff. de verb. ſignif.* Secus quàm in iis qui puberes facti obtinet; quorum teſtimonia in his, quæ durante impubere ætate geſta ſunt, haud recipienda; cùm nec videre quicquam nec intelligere cenſeantur. *arg. l. ult. ff. de jur. & fact. ignor. l.* 1. *in fin. C. de falſ. monet.* [II.]

3. Reprobatum inſuper omne domeſticum teſtimonium. *l.* 24. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* (quod non ex cohabitatione ſub eodem tecto, ſed magis ex familia æſtimandum. *arg. l.* 195. *ff. de verb. ſign.*) ut & patris in cauſa filii, aut vice verſâ. *l.* 9. *ff. h. t. l.* 6. *C. eod.* adeò ut ne inter duos quidem filios pater teſtis audiendus ſit; eò quòd pro uno contra alterum perhibens teſtimonium peccaturus eſt contra *d. l.* 9. *& d. l.* 6. Obſt. æqualis affectio removet falſitatis ſuſpicionem. *arg. l.* 67. §. 1. *ff. de ritu nupt.* Reſp. licèt tunc ceſſet fraudis ſuſpicio, non tamen ceſſat à pietatis officio deſumpta ratio, quæ patrem contra filium teſtari non patitur. Obſt. *l.* 13. *in fin. C. de quæſt.* Reſp. caſus ſingularis eſt. [III.]

4. Pari ferè ratione nec frater contra fratrem rectè teſtis eſt. *arg. l.* 13. 18. *C. qui accuſ. non poſſ.* nec pro fratre. *arg. d. l.* 3. *l.* 23. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* Non etiam Advocatus aut Procurator in cauſa, cui patrocinium præſtitit. *l. ult. ff. h. t.* ſive pro cliente, ſive contra eum producatur: ne arcana ſibi commiſſa pandat. Quò referunt & caſum auricularis confeſſionis Sacerdoti factæ, quam revelare nefas eſt. Sed nec cedens in cauſa ceſſionarii; nec autor in cauſa ejus, qui rem ab ipſo nactus eſt, ſi de ipsâ illâ re quæſtio ſit; nec executor in cauſa, quæ ei mandata eſt. *l. ult. ff h. t.* nec proxeneta in negotio, cui adhibitus, niſi partibus conſentientibus. *Nov.* 90. *c.* 8. nec quiſquam in cauſa propria, vel ea, ex qua lucrum ſperat. *l.* 10. *ff. h. t. l.* 10. *l.* 17. *C. h. t.* Obſt. *l.* 14. *ff. de reb. dub.* §. 11. *Inſt. de teſtam. ord.* Reſp. legatarii magis ibi teſtes ſunt in re hæredis. Nec ſocius in cauſa ſibi & ſocio communi. *arg. l.* 1. *C. de commun. rer. alien. l.* 1. §. 11. *ff. quando appell.* nec particeps criminis contra criminis ſocium. *l.* 11. *C. h. t.* nec minor annis 20. in criminalibus. *l.* 20. *ff. h. t.* [IV, V, VI, VII, VIII, IX, X.]

5. Non tamen prohibentur ſubditi in cauſa Principis, aut municipes in cauſa municipii. *arg. l.* 7. §. 1. *ff. quod cujuſque univ. nom.* licèt non omni ſint exceptione majores. *arg. l.* 5. *C. h. t.* quo modo etiam teſtes eſſe poſſunt amici, conjuncti, cognati pro amicis, &c. inimici contra inimicos, (niſi capitalis

ſit

ſit inimicitia. *l.* 3. *ff. h. t.* junct. *nov.* 90. *c.* 7.) infamia facti notati, & alii ſimiles. *l.* 2. *l.* 3. *ff. h. t.* ut & viles ac abjectæ perſonæ, quæ tamen plerumque non ſine tormentis teſtimonium perhibent. *l.* 21. §. 2. *ff. h. t.* (XI.)

6. Cæterùm regulariter teſtes etiam inviti ad teſtimonium dicendum cogi poſſunt, niſi milites ſint, aut ſenes. *l.* 8. *ff. h. t.* aut illuſtres. *l.* 16. *C. h. t.* aut publicani. *l.* 19. *ff. h. t.* aut cognatione vel affinitate propinquiore juncti. *l.* 4. *l.* 5. *ff. h. t.* Inviti verò producti, non ultra quindecim dierum ſpatium morari tenentur, intra quod ſi non examinentur, impunè diſcedent. *l. pen. C. h. t.* [XIII, XIV.]

7. Sunt autem teſtes ipſi interrogandi, præſtito veritatis, non credulitatis, jurejurando, ſine quo ſidem non facerent. *l.* 9. *C. h. t.* niſi illud ab adverſario remiſſum ſit. Proinde in judicio quoque producendi ſumptibus producentis. *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* *l.* 11. *l.* 16. *C. h. t.* teſtimoniis ſolis ſeu ſcriptis teſtium diſpoſitionibus haud credendum; cum Judex optimè ex teſtium præſentium conſtantia vel vacillatione aliiſque circumſtantiis æſtimare poſſit, quantùm fidei ipſis habendum ſit. Si tamen teſtes longè abſint, Judici loci, in quo commorantur, examen committendum; qui deinde depoſitiones tranſmittat. *l.* 18. *C. h. t.* idque in civilibus, non criminalibus. *arg. l.* 3. §. 3 *ff. h. t.* (XV, XVI.)

8. Productio verò teſtium non prima tantùm permiſſa eſt, ſed & ſecunda & tertia; non item quarta; niſi causâ cognitâ, & præſtito per producentem jurejurando, ſibi teſtium priorum depoſitiones innotuiſſe. *nov.* 90. *c.* 4. Unus tamen idémque teſtis non niſi ſemel regulariter in unaquaque cauſa producendus. *arg. l. ult. C. h. t.* (XVII.)

9. Peractâ teſtium productione, fiunt teſtificationum publicationes, partibus citatis. *d nov.* 90. *c.* 90. Poſt quas admiſſæ teſtium & teſtimoniorum reprobationes. *auth. ſi teſtes. C. h. t. nov.* 90. *c.* 6. quæ multis ex cauſis fiunt; puta quod teſtes ſint inidonei, ex amicitia vel inimicitia ſuſpecti, ex ea lite damnum metuentes lucrúmve ſperantes, ſibi ipſis vel ſibi invicem contradicentes, aut vacillantes, aut ſingulares, aut non rectè producti vel examinati, &c. Quæ omnia per teſtes probare poſt publicationem teſtimoniorum, nihil impedit. Quanta verò fides teſtibus productis, quanta ipſis reprobationibus habenda ſit, Judicis providi ac circumſpecti erit æſtimatio. *l.* 2. 3. *ff. h. t.* qui in genere magìs credet iis, qui id deponunt, quod naturæ negotii convenit *l.* 21. §. *ult. ff. h. t.*

magìs affirmantibus quàm negantibus; ocularibus quàm auritis, dignioribus quàm humilioribus. *d. l. 3. d. l. 21. §. ult. ff. h. t.* (XVIII, XIX.)

10. Ut autem plena fiat per teſtes probatio, duo ad minimum adhibendi omni exceptione majores. *l. 12. ff. h. t.* certis caſibus exceptis, in quibus plures ſunt neceſſarii, puta teſtamentis, codicillis, &c. Vide §. 3. *Inſt. de teſtam. ord. l. ult. C. de codicill. l. ult. C. de mortis cauſâ donat. l. pen. C. qui pot. in pign. l.* 18. *C. h. t.* (XX.)

11. *Moribus.* Teſtis hodie eſſe poteſt proxeneta juratus, etiam invito adverſario, reſpectu eorum, quæ ut proxeneta nomine officii geſſit; in quibus etiam libri eius plenam fidem merentur exemplo librorum mercatoris. Advocatus quoque contra clientem ſuum rectè teſtis producitur; quo tamen caſu arcana ſibi commiſſa pandere nec debet nec cogi poteſt. Teſtem unum quod ſpectat, is quandoque plenam fidem facit, puta, ſi graphiarius ſit, aut apparitor aliúſve ſimilis, qui teſtatur de his, quæ nomine officii geſſit. Cæterùm non in civilibus tantùm, ſed & criminalibus hodie teſtes examinantur à ſuo Judice, & ſcriptæ eorum depoſitiones ad Judicem de crimine cognoſcentem tranſmiſſæ fidem faciunt. Ubi autem poſt teſtimoniorum publicationes quis novos teſtes producere voluerit, id agit, impetratâ reſtitutione, quæ non facilè ei denegatur. Quòd ſi teſtes producens ipſe abſens ſit, nullum fit eorum examen, ſed, ipſis dimiſſis, in expenſas abſens condemnatur: ſecus, ſi abſens ſit is, contra quem producuntur: ſi enim is legitimè citatus fuerit, examen nihilominus peragitur.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 20. de teſtibus.*

Tit. VI.

De Juris & facti ignorantia.

1. Ignorantia ſeu error duplex eſt, juris & facti. Juris ignorantia eſt, cum quis ignorat ea, quæ legibus cauta ſunt. Quæ ſi circa Jus Divinum, Naturæ, vel gentium ſit, veniam non meretur. *arg. l. 38. pr. & §. 2. 3. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 2. C. de in jus voc.* Sin circa Jus civile ſit, errantem vel in totum vel pro parte ſaltem à pœnâ liberabit; *l. 2. §. 1. ff. ſi quis in jus vocat. non iverit. §. 1. Inſt. de vi bon. rapt. l. 1. §. ult. ff. de edendo. l. 3. §. 22. ff. ad Senatuſc. Silan.* (I, II.)

2. De

2. De cætero hæc Juris Civilis ignorantia lucrum quidem captantibus non prodeſt. *l.* 31. *ff. de uſucap* ſed & ſuum repetentibus aut retinentibus, adeóque de evitando damno necdum dato agentibus non nocet. *l.* 7. 8. 9. *ff. h. t.* obſtat tamen rem jam amiſſam condicere volentibus. *l.* 3. *l.* 10. *C. h. t.* vide. *tit. de condict. indeb.* niſi milites ſint, aut minores, quibus jus ignorare permiſſum eſt. *l.* 1. *C. h. t. l.* 9. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* aut mulieres, in caſibus, quibus ignorare jura poſſunt. *d. l.* 9. *ff. h. t. l.* 3. *l.* 11. *C. h. t.* (III, IV, V.)

3. Facti ignorantia vel probabilis eſt, vel ſupina & affectata. Probabilis plerúmque eſt facti alieni. *l.* 2. *ff. h. t.* éſtque pro eâ præſumptio; ut adverſario regulariter incumbat ſcientiæ probatio. *arg. l.* 21. *ff. de probat. l.* 23. *C. eod.* Nec hæc ſolet erranti obeſſe, *l.* 8. *ff. h. t. l.* 4. *l.* 10. *C. eod.* ſive in contractu, ſive in delicto. *l.* 3. *in fin. l.* 4. 18. §. 4. 5. *ff. de injur.* §. 7. *Inſt. de obl. ex delict. l.* 4. *C. de inceſt. nupt.* imo ne in lucro quidem faciendo, velut uſucapione. *l.* 4. *l.* 8. *ff. h. t. l.* 11. *ff. pro emptore.* nec impedit condictionem indebiti. *d. l.* 10. *C. h. t.* (VI.)

4. Affectata verò ignorantia eſt ut plurimùm facti proprii (exceptis caſibus in *l.* 22. *ff. de condict. indeb. l.* 44. *ff. de acquir. poſſ.*) ut & facti alieni, quod omnes reliqui in eâ civitate norunt. *l.* 9. § 2 *ff h. t.* Quæ nequaquam excuſat errantem, ſed perinde habetur, ac ſi ſcientia adfuiſſet: in genere enim neque ſupina ignorantia ferenda eſt, nec dilatoria curioſitas exigitur. *l.* 6. *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* (VII.)

5. *Moribus.* Error quidem juſtus ac probabilis hodie non nocet erranti, moris tamen eſt, ut adversùs errorem ſuum petat reſtitutionem in integrum, quâ impetratâ tutus erit.

* Adde *ex Cod. libr.* 1. *tit.* 18. *de juris & facti ignorantiâ.*

LIBER XXIII.

TIT. I.

De Sponſalibus.

1. SPonſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum, olim verbis, hodie ſolo conſenſu inter præſentes vel abſentes contrahi ſolita. *l.* 1. & *ſeqq. l. ult. ff. h. t.*

ff. h. t. adhibitis aliquando parariis ſeu proxenetis, qui & proxenetici nomine quid percipere non vetantur; modò illud nec decem auri libras, nec viceſimam dotis partem excedat. *l. ult. C. h. t.* Cæterùm ſponſalia de præſenti verbis præſentis temporis celebrata Jus Romanum non agnoſcit: quippe quæ magìs eo jure nuptiæ appellandæ forent. *arg. l.* 30. *ff. de reg. jur.* [I.]

2. Contrahunt ſponſalia omnes qui & nuptias; & viciſſim, qui à nuptiis, iiſdem & à ſponſalibus repelluntur. *l.* 16. *ff. h. t. l.* 60. *§. de ritu nupt.* exceptis impuberibus ſeptennio majoribus, Provinciarum Præſidibus & Viduis intra annum luctûs, quales ſponſalia quidem; at non nuptias rectè contrahunt. *l.* 14. *ff. h. t. l.* 38. *ff. de ritu nupt. l.* 10. *ff. de his qui not. infam.* Quòd ſi ſponſalia contracturi in patris poteſtate ſint, hujus quoque conſenſus, æquè ac in nuptiis, eſt neceſſarius. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* imo præcipuè ſpectatur; adeò ut ſufficiat, filiam non diſſentire, quam pater deſpondet. *l.* 11. 12. 13. *ff. h. t.* qui etiam, ſponſalibus jam contractis, nuncium remittere poteſt ſponſo ſuæ filiæfamilias. *l.* 13. *ff. h. t.* (II, III, IV, V.)

3. Poteſt autem ſponſalibus adjici conditio, modus, dies. Conditio ſi ſit appoſita, eam exiſtere neceſſe eſt, niſi poſtea contrahentes eam remiſerint vel expreſsè, vel tacitè ſubſecuto concubitu. Quòd ſi impoſſibilis naturâ vel moribus adjecta ſit conditio, ipſo jure nulla ſunt ex Juris Romani principiis ſponſalia. *arg. l.* 31. *ff. de obl. & act.* niſi quis cum DD. malit favore matrimonii diſtinguere inter impoſſibiles aut probroſas conditiones ſubſtantiam nuptiarum ſpectantes, & eas quæ non concernunt ſubſtantiam matrimonii, ſic ut illæ quidem vitient ſponſalia, hæ pro non ſcriptis habeantur. Si modus impoſſibilis aut turpis apponatur, nec implendus eſt, nec etiam ſponſalia vitiat, niſi, ſecundùm ante dicta, ſit contra matrimonii ſubſtantiam. Pœnam quod attinet, hanc ſponſalia planè reſpuunt; & ſi adjecta ſit, viribus carebit. *l.* 5. *in fin. C. h. t.* [VI, VII, VIII, IX, X.]

4. Ex ſponſalibus naſcitur ſpes matrimonii, & obligatio ad nuptias, intra biennium contrahendas. *l.* 2. *C. h. t.* niſi juſta cauſa, velut ætas, neceſſaria abſentia, aut ſimile quid dilationem ultra biennium exigat. *l. pen. ff. h. t.* interim ſponſi ſponſæque in plurimis uxoris & mariti loco habentur. *arg. l.* 4. *de fund. dot. l.* 15. §. 24. *ff. de injur. l.* 17. §. 1. *ff. de reb. aut. jud. poſſid.* (XII, XXIII.)

5. Poſſunt

5. Poſſunt tamen diſſolvi ſponſalia vel utroque volente vel etiam altero contrahentium invito, ſed amiſſis arrhis datis, vel, ſi acceptæ ſint, reſtitutis duplicatis: niſi diſſolvens juſtam habuerit dirimendi cauſam, veluti commiſſum ſtuprum, coëundi impotentiam, religionis diverſitatem, ingreſſum in monaſterium. Vide *l.* 5. *C. h. t. l.* 15. 16. *C. de donat. ante nupt. l.* 16. *C. de Epiſc. aud. Nov.* 123. *c.* 39. *l.* 13. §. 3. & 8. *ff. ad Leg. Jul. de adult. l.* 4. *ff. de divort. l.* 38. *ff. de ritu nupt.* (XIII.)

6. Dividunt Interpretes ſponſalia in legitima, quæ & publica dicuntur; & clandeſtina, quæ clam & ſine teſtibus aut ſine parentum conſenſu ſunt contracta, illa, licèt poſteriora, his clandeſtinis potiora ſunt. (XX, XXI.)

7. *Moribus.* Difficiliùs hodie diſſolvuntur ſponſalia alterutro invito, imò non aliter, quàm ſi juſta cauſa ſubſit; alioquin refractarius per carceres, mulctam, pignorúmve capionem ad matrimonii promiſſi celebrationem cogi poteſt. Et quia ceſſat rigida poteſtas patria, etiam patri conceſſum non eſt, ſuo arbitrio ſponſalia filiæ ſemel rite contracta diſſolvere. * Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 1. *de Sponſalibus.*

TIT. II.
De Ritu Nuptiarum.

1. NUptiæ ſunt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens. §. 1. *Inſt. de patr. poteſt.* vel conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. *l.* 1. *ff. h. t.* Polygamia uti jure divino, ita & civili improbata eſt. *l.* 1. *ff. de his qui not. infam. l.* 2. *C. de inceſt. nupt.* (I.)

2. Contrahuntur autem ſolo conſenſu. *l.* 30. *ff. de reg. jur.* quomodocunque declarato verbis aut facto, etiam ſolâ cohabitatione ſi mulier honeſta ſit. *l.* 24. *ff. h. t.* Ut non ſit neceſſaria pompa vel feſtivitas nuptialis. *l.* 22. *C. h. t.* nec ſponſæ deductio in domum ſponſi. *arg. l.* 6. *ff. h. t. d. l.* 22. *C. h. t.* Obſt. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 15. *ff. de condit. & demonſtr.* Reſp. deductio non tam facit ad ſubſtantiam, quàm potiùs ad probationem matrimonii, præſertim, ſi mulier abſenti nubat. (II.)

3. Quòd ſi conſenſus deficiat, deficiunt & nuptiæ; quod evenit, ſi quis, dum eas contrahit, furioſus ſit aut brutaliter ebrius. *arg. l.* 8. *ff. de Sponſal. l.* 40. *ff. de reg. jur.* aut dolo indu-

inductus aut metu coactus. *l. 14. C. h. t. l. 21. ff. h. t.* (niſi metus reverentialis tantùm ſit. *l. 22. ff. h. t.*) aut erret in perſona vel ſubſtantiali ejus qualitate, non accidentali, veluti formâ, divitiis, nobilitate.

4. Præter ipſorum tamen contrahentium conſenſum, etiam eorum, in quorum poteſtate ſunt, patris puta vel avi paterni conſenſus requiritur; adeò ut, ſi uterque & pater & avus vivat, etiam conſenſus utriuſque ſit neceſſarius ad nepotis nuptias, (excepto caſu. *l. 3 ff. h. t.*) non item neptis, cui ſolius avi conſenſus ſufficit. *l. 16. §. 1. ff. h. t.*

5. Quòd ſi vel pater vel avus furioſus ſit aut abſit, ſolius præſentis & mente valentis conſenſus ſufficiet, ſive pater ſit ſive avus. *l. 9. ff. h. t* Si verò nuptias contracturus tantùm in patris vel tantùm in avi ſit poteſtate, is autem furioſus ſit, aut per injuriam in nuptias conſentire nolit, ſuam magiſtratus interponit autoritatem, adhibito furioſi curatore & agnatis. *l. 19. ff. h. t. l. 25. C. h. t.* Sed ſi pater abſit, ut ignoretur ubi ſit, aut captus ſit, poſt triennii lapſum liberi rectè nuptias contrahunt: imò & ante triennium, ſi certum ſit patrem, ſi præſens eſſet, hujuſmodi conditionem non repudiaturum. *l. 9. §. 1. l. 10. 11. ff. h. t.* (VII.)

6. Matris conſenſus haud neceſſarius; cùm hîc patria poteſtas deſit, etiamſi filia nuptura minorennis eſſet, quo caſu judicium quidem matris & propinquorum explorandum dicitur. *l. 20. C. h. t.* non tamen conſenſus abſolutè neceſſarius. Quin tamen accedere poſſit ex honeſtate conſenſus maternus, uti & acceſſiſſe narratur in *l. 1. C. h. t.* nequaquam dubium. Sic nec ad nuptias liberorum emancipatorum patris conſenſus deſideratur. *l. 25. ff. h. t.* niſi filia emancipata minorennis ſit. *l. 18. C. h. t.* Nec ullo modo curatorum autoritas. *l. 20. ff. h. t.* (X.)

7. Cæterùm nihil intereſt, expreſſus an tacitus interponatur parentum conſenſus. *l. 5. C. h. t.* modò antecedat nuptias. *pr. Inſt. h. t.* neque enim hîc ratihabitio nuptias retro confirmat. Obſt. *l. 5. C. h. t.* Reſp. accipi poteſt de nuptiis non contractis ſed contrahendis. Obſt. *arg. l. 60. ff. de reg. jur. l. ult. C. ad SConſult. Maced. l. 1. §. 6. ff. quod juſſu.* Reſp. ratihabitio idem operatur, quod mandatum; niſi lex expreſsè ad formam negotii conſenſum antecedentem, ut hîc, vel concomitantem, ut in autoritate tutorum, deſideret. (VIII, IX.)

8. Nuptias contrahunt illi, qui ſunt puberes, & cives Romani; non ſervi, nec Judæi cum Chriſtianis. *l. 6. C. de Judæis.* nec

nec præſes cum provinciali. *l. 38. ff. h. t.* nec ſuſceptor cum ea quam de fonte baptiſmatis ſuſcepit. *l. 26. C. h. t,* nec raptor cum rapta. *l. un. C. de raptu virg.* nec tutor cum pupillâ. *tit. 6. de interd. matrim. inter tut. & pup.* nec tutoris filius aut nepos, aut hæres, aut libertus, ſive vivente ſive mortuo tutore. *l. 27. 64. 66. 67. ff. h. t.* niſi puella à patre ſuo tutori aut filio ejus deſponſata ſit. *l. 36. ff. h. t. l. 6. in fin. C. de interd. matrim. inter tut. & pup.* vel rationes per tutorem jam redditæ ſint, nec ultra ſuperſint reſtitutionis tempora. *l. 6. C. de interd. matrim. &c.* Tutor quoque filiam ſuam pupillo ſuo nuptum collocare, aut filium ſuum jungere filiæ ejus, quæ quondam pupilla fuerat & jam defuncta eſt, non prohibetur. *l. 64. §. ult. l. 67. §. 5. ff. h. t.* [XXV, XXVI, XXVII, XXVIII.]

9. Præterea nuptias impedit honeſtas. *§. 9. Inſt. h. t.* Præcipuè verò affinitas vel cognatio: illa eſt conjunctio ratione matrimonii orta inter conjugem & alterius conjugis cognatos, hæc verò proximitas eſt ſanguinis orta ex eo, quod commune naſcendi principium habeant. Cognationis quidem reſpectu nuptiæ ſunt in infinitum prohibitæ in lineâ deſcendente vel aſcendente, & collaterali eâ, in quâ ſibi invicem parentum & liberorum loco ſunt. De cætero in quarto gradu licitæ ſunt, velut inter conſobrinos. *§. 1. & ſeqq. Inſt. h. t.* idémque in affinitatis quaſi gradibus videtur ſtatuendum. *§. 6. 7. 8. Inſt. h. t. l. 5. l. 8. C. de inceſt. nupt.* [XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI.]

10. Quòd ſi intra gradus prohibitos nuptiæ contractæ fuerint, inceſtæ dicuntur, ac variè puniuntur: nam nec vir nec uxor, nec dos nec donatio propter nuptias, nec liberi in poteſtate aut legitimi cenſentur. *§. pen. Inſt. h. t.* Inſuper in eos, qui, cùm majorennes eſſent, ſcienter nuptias inceſtuoſas contraxerint, ſtatuta eſt dotis & bonorum publicatio, exilium, ſinguli privatio, & verberatio ſi vilis perſona ſit. *auth. inceſtas, C. de inceſt. nupt.* à quibus tamen pœnis immunes ſunt minorennes aut juſto errore lapſi, ſi modò majores facti aut errore comperto ſine procraſtinatione talem conjunctionem dirimant. *l. 4. C. de inceſt. nupt.* [XXXIX.]

11. Nuptiarum effectus eſt, quòd mulier ſit in viri familia & poteſtate maritali; ſic ut maritus etiam interdicto de uxore exhibendâ experiri poſſit, *l. 2. ff. de liberis exhib. l. ult. C. de incolis.* Quódque mulier ſequatur mariti dignitatem. *l. 8. l. ult. ff. de ſenator.* forum. *l. pen. ff. de juriſd. l. ult. C. de incolis.* domicilium. *d. l. ult. C. de incolis. l. 5. ff. h. t. l. 1. §. 15. ad SConſ. Silan.*

Silan. Non tamen de jure Romano per nuptias diſſoluta fuit patria poteſtas, *arg. l. 1. §. 5. ff. de liberis exhib.* nec introducta inter conjuges bonorum communio. (XL, XLV.)

12. Sunt autem nuptiæ vel primæ vel ſecundæ ſeu ulteriores; quæ omnino licitæ, licèt ſuperſtes morienti viduitatem promiſiſſet; ſi modò non ſint præmaturæ; quales forent, quæ à muliere intra annum luctûs contrahuntur. *l. 1. 2. C. de ſecund. nupt.* (XCVIII, XCIX.)

13. In gratiam tamen liberorum primi matrimonii certæ pœnæ in conjuges ad ſecunda vota tranſeuntes ſunt conſtitutæ: amittunt enim proprietatem relictorum ſibi à priore conjuge. *l. 3. & 5. C. de ſecund. nupt.* (non tamen relictum ſibi uſumfructum. *Nov. 22. c. 32.* abrogatâ. *l. 1. C. ſi ſecundo nupſerit.*) nec conjugi ſecundo inter vivos aut ultimâ voluntate plus donare poſſunt; quam ſingulis liberis prioris matrimonii, quibus minimum relictum eſt. *l. 6. C. eod.* & ſi plus datum fuerit, hoc totum aufertur, ſolis primi, non etiam ſecundi matrimonii liberis applicandum. *Nov. 22. c. 27.* (abrogatâ *l. 9. C. de ſecund. nupt.*) Obſt. *l. 18. C. de donat. ante nupt.* Reſp. ibi non agitur de caſu, quo mulier marito, ſed magis extraneo vult totam dotem relinquere; quod ei liberum, modò ſalva liberis ſit legitima, præterquam quod mulier etiam ſecundo marito poſſet totam dotem relinquere, ſi modò parem quantitatem ſingulis prióris thori liberis ex cæteris bonis tribuat. (CI, CX, CXI, CXII, CXIII, & ſeqq. ad num. CXXXVI.)

14. Adhæc, quicquid conjux ſecunda vota amplectens percipit ex ſucceſſione liberorum primi matrimonii ab inteſtato, quod à parente eorum profectum eſt, ejus proprietatem ſervat æqualiter reliquis liberis ex primo conjugio genitis. *auth. ex teſtamento C. de ſecund. nupt.* Amittat & ea, quæ ſibi à conjuge defuncto ſub conditione viduitatis relicta ſunt; quæ etiam non percipit in viduitate, niſi præſtitâ cautione Mutianâ. *Nov. 22. c. 43. 44.* abrogatâ *l. pen. & ult. C. de indict. viduit. tollend.* Pater quoque hæres inſtitutus ac oneratus legato conditionali liberis primi thori præſtando, ſi ſecundas nuptias contrahat, ad cautionem legatorum nomine tenetur. *Nov. 22. c. 41.* cùm aliàs non caveat. *l. 7. ff. ut legat. vel fideic. non cav.* Mulier verò binuba amittit prioris dignitatem. *l. ult. ff. de ſenator. Nov. 22. c. 36.* & liberorum tutelam ac educationem. *auth. ſacramentum. C. quand. mul. tut. off. fungi poſſ. Nov. 22. c. 40.* (CII, CIII, CIV, CV, CVI, CVII. CVIII, CXXXVII.)

15. Hæ

15. Hæ verò nuptiarum ſecundarum pœnæ etiam locum habebunt, ſi mulier non quidem iterato nubat, ſed impudicè vivat. *arg. nov. 39. c. 2.* Nec ceſſabunt, ſi conjux moriens ſuperſtiti in teſtamento dederit ad alia vota tranſeundi licentiam, cum non conjugis defuncti, ſed liberorum ſuperſtitum favore hæ pœnæ receptæ ſint. Uti nec ceſſabunt, ſi liberi in nuptias ſecundas parentum conſenſerint; cum non potuiſſent, diſſentiendo eaſdem impedire. Secùs, quàm ſtatuendum videretur, ſi & pœnarum perſecutioni renuntiaſſent. *arg. l. pen. C. de pactis.* (CXXXVII, CXXXIX.)

Moribus. Minorennes (qui, quales ſint, ex cujuſque loci æſtimandum conſuetudine) ſine conſenſu patris, aut eo deficiente, ſine matris voluntate nuptias nequeunt contrahere: majorennes poſſunt, adhitità Magiſtratûs authoritate, ſi nullam diſſentiendi cauſam juſtam parentes habeant. Conſenſus autem adeſſe præſumitur, ſi trinundinæ proclamationi non contradixerint legitimè citati. Avi verò conſenſus neceſſarius non eſt, cum non ſint in ejus poteſtate nepotes, licèt mortuus ſit pater intermedius. Nec in Hollandia tutorum aut cognatorum conſenſus requiritur, (ſecus Ultrajecti & in Zelandia, ſi juſta contradicendi cauſa ſubſit.) Quòd ſi ſine curatorum aut parentum voluntate minor nuptias contraxerit, ratihabitione quidem ſuperveniente, illæ firmæ manent, & illata parenti injuria ſic remiſſa creditur; ſed tamen pœnæ cæteræ manent, quatenus is, qui minorenni jungitur, nihil poteſt ex conjugis bonis lucrari, vi teſtamenti vel pactorum antenuptialium; nec ſtatutaria introducitur bonorum communio; ſi ea minori damnoſa ſit. Perſuadendi autem plerumque parentes, ne acerbè nuptiarum ſine ſuo conſenſu contractarum urgeant diremptionem, ipſiſque eandem urgentibus non facilè diſſolutio conceditur, niſi clam parentibus initæ eſſent.

Cæterùm ſola cohabitatio non facit nuptias, niſi interpoſita ſint ſolennia coram facie Eccleſiæ, vel lege loci, adhibitis ac præmiſſis præmittendis: quippe ſine quibus nullum foret matrimonium.

Valent autem inter Reformatos nuptiæ inter ſuſceptorem de fonte Baptiſmatis & ſuſceptam; inter tutorem aut filium ejus & pupillam; inter raptorem & raptam, ſi vel remiſſio impetrata, vel raptûs pœna mitigata fuerit. Inter adulterum & adulteram licèt poſſint ſubſiſtere, propter metum tamen inſidiarum per adulteros conjugi innocenti ſtruendarum, aliáque incommoda, difficiliùs permittuntur, tutiùs

tutiùs denegantur. Inter conſobrinos autem licèt apud nos matrimonium rectè contrahatur, alibi tamen in Helvetia, Saxonia, Geldria, non item, niſi acceſſerit magiſtratuum ſuperiorum diſpenſatio.

Secundas nuptias quod attinet, mulier ad eas intra annum luctûs tranſire poteſt; ſine metu infamiæ & aliarum pœnarum, quæ feſtinatis ſecundis nuptiis ſunt propoſitæ, modò tanto tempore expectet, ut nec ſcandalum præbeatur, nec fiat ſanguinis confuſio: quâ in re multum poteſt arbitrium eorum, quibus cauſæ matrimoniales demandatæ ſunt. Quòd ſi minorennis ad vota ſecunda ſe conferat, Ultrajecti parentum conſenſus rurſus exigitur, in Hollandia neceſſitatis non eſt.

Inter nuptiarum effectus hodie & illud rsferendum eſt, quòd maritus ſit uxoris ſuæ legitimus curator, quòdque pro debitis uxoris ante matrimonium contractis conveniri poſſit. Omnium quoque bonorum communio inter conjuges apud nos introducitur, niſi pactis antenuptialibus excluſa ſit; ut tamen dotalia à ſponſo ſponſæ data jure præcipui mulier ſoluto matrimonio deducat, nec feuda fiant communia.

* Adde *ex Cod. lib. 5. tit. 4. de nuptiis. tit. 5. de inceſt. & inutil. nuptiis. tit. 6. de interdict. matrimon. inter tut. & pupillam. tit. 7. ſi quacunque præditus poteſtate, vel ad eum pertinentes, &c. tit. 8. ſi nupt. ex præſcriptò pet. tit. 9. de ſecundis nuptiis. tit. 10. ſi ſecundo nupſerit, &c.*

TIT. III.
De Jure Dotium.

1. DOs eſt res, quæ à muliere, vel alio pro muliere datur marito ad ſuſtinenda onera matrimonii; à paraphernis in eo diſtincta, quòd eorum fructus à marito ad ſuſtinenda matrimonii onera non percipiuntur. *arg. l. 9. §. 3. ff. h. t. l. pen. ff. ad leg. Falcid. l. 8. C. de pact. conventis.* excepto caſu ſpeciali, quo exactorum nominum uſuras in ſuum & uxoris commodum poteſt convertere; fortè propter moleſtiam quam in iis exigendis ſubiit. *l. ult. C. de pact. convent.* & licèt ea ex juris diſpoſitione regulariter maritus adminiſtret. *l. ult. C. de pact. convent.* quin tamen mulier poſſet eorum adminiſtrationem ipſi adimere, haud dubitandum. *d. l. 8. C. de pact. convent.* ſed nec cum bonis mulieris receptitiis dos confundenda:

denda cum receptitia dicantur, quæ uxor pleno jure ſibi retinuit, nec mariti poteſtati commiſit. [I, II.]

2. Poſſunt in dotem dari res omnes, quæ ſunt in commercio, corporales & incorporales, nomina. *l. 2. C. de obl. & act.* uſusfructus. *l. 66. ff. h. t.* omnia mulieris bona. *l. 4. C. h. t. l. 13. §. 10. ff. de petit. hæred.* etiam id, quod maritus uxori debet; quo caſu uſuræ, quæ poſt contractum matrimonium incipiunt deberi, dotem non augent. *l. 77. ff. h. t.* niſi id nominatim actum, ut & uſuræ dotales eſſent. *l. 69. §. 1. ff. h. t.* Quòd ſi maritus, cui id, quod debebat ipſe, in dotem erat datum, ſit filiusfam. id cenſebitur dotale eſſe, quod in peculio ejus fuit tempore nuptiarum. *l. 45. ff. h. t.* Obſt. *l. 57. ff. h. t.* Reſp. verbis *eo tempore* deſignari poteſt tempus, quo nuptura. [III.]

3. Nec præſentia tantùm, ſed & futura rectè in dotem dantur: ut tamen futura non contineantur in dubio, datis ſimpliciter *omnibus bonis*, nullâ futurorum factâ mentione. *arg. l. 7. l. 27. §. 2. l. 34. ff. de auro & arg. legat.* neque enim donatio, cujus ſpecies & dos eſt, facilè præſumitur. Unde etſi mulier patiatur maritum omnibus ſuis bonis frui, nullâ tamen dotis mentione habitâ, ex eo ſolo bona omnia dotalia nequaquam cenſenda ſunt; ſed potius id, quia facti eſt, aliunde probandum. Obſt. in ambiguis pro dote reſpondendum. *l. 85. ff. de R. J.* Reſp. id verum, ſi de dote reſtituendâ quæſtio ſit. (V.)

4. Conſtituitur autem dos vel ante nuptias vel ſtante matrimonio; etiam ante nuptias conſtituta durante matrimonio poteſt augeri. *nov. 97. c. 2.* Et ſi non data, ſed promiſſa tantùm ſit, rectè petitur, licèt nudo pacto promiſſa eſſet. *l. 6. C. de dot. promiſſ.* modò ab extraneo vel muliere dotem promittente certa res vel quantitas expreſſa fuerit: nam ſi in genere tantùm ſeu ſimpliciter dotis interceſſerit promisſio, nihil peti poteſt. *l. 1. C. de dotis promiſſ.* niſi pater promiſerit; qui dotem congruam dare compellitur. *l. 69. §. 4. ff. h. t.* Duabus autem rebus alternativè in dotem promiſſis, regulariter promiſſoris eſt electio, quam dare velit. *l. 46. §. 1. ff. h. t.* excepto caſu. *l. 9. §. 1. ff. de fund. dotal.* (VII, VIII.)

5. Quòd ſi extraneus pro muliere donandi causâ dotem promiſerit ſupra vires ſui patrimonii; conventus ex promiſſione non gaudebit competentiæ beneficio. *l. pen. ff. h. t. l. 41. ff. de re judic.* Socer tamen ex ſuâ promiſſione ſtante adhuc matrimonio, non ultra, quàm facere poteſt, à genero convenitur; ſecus quam obtinet, ſi gener diſſolutâ jam affi-

nitate demum agat: in ſolidum enim tunc ſocer condemnandus foret, niſi aliud ſuadeant occurrentes circumſtantiæ & manifeſta ſoceri bona fides. *l. pen. ff. h. t. l. 21. 22. ff. de re judic.*

6. Si ipſa mulier omnia bona ſua in dotem promiſerit, eoque ſe læſam probet, reſtitui poteſt, ſive minorennis ſit. *l. 9. §. 1. ff. de minor. l. 1. C. ſi adverſ. dot.* ſive majorennis. *l. 6. §. ult. ff. h. t.* Multóque magìs reſtitutione juvanda, ſi majorem, quàm verè poſſidebat, ſubſtantiam ſe in dotem daturam ſit pollicita. *d. l. 9. §. 1. ff. de minor.* Obſt. talis promiſſio ipſo jure nulla eſt, ac proinde ipſo jure tuta mulier. *l. 61. ff. h. t.* Reſp. ibi caſus ſpecialis eſt, quo curator dolo malo ſupra vires matrimonii dotem conſtituerat. Quicquid ſit, mulierem ob dotem promiſſam & non ſolutam è domo expelli per maritum, aut alimenta ei denegari, aut matrimonium diſſolvi nec ratio nec jura ferunt. Obſt. *l. ult. C. ad SConſ. Velleian.* Reſp. narratur quod metuendum ſit, non quid jure fieri poſſit. Obſt. matrimonium ſub conditione dotis erat contractum. Reſp. actum quidem fuit, dotem nuptiis acceſſuram; at nequaquam eâ promiſſione, tanquam conditione, ſuſpenſum fuit matrimonium. (IV, IX.)

7. Ad dotem autem promiſſam agi demum poteſt contracto matrimonio, cum tacitè ſubſit promiſſioni conditio, *ſi nuptiæ ſequantur. l. 21. ff. h. t.* Unde ſi ante nuptias ſit miſſum repudium, evaneſcit dotis promiſſio; ut ne redintegratis quidem ſponſalibus reviviſcat. *l. 4. §. 2. ff. de pactis. l. 21. in fin. l. 22. ff. h. t.* Obſt. *l. 58. 68. ff. h. t.* Reſp. ibi ante ſponſalia dos mulieri quandoque nupturæ promiſſa erat: & nec alia ſponſalia nec aliæ nuptiæ interceſſerant aut diſſolutæ erant. Et licèt dotis ſolutionem in diem differre liceat; ſtipulari tamen dotem in id tempus; quo matrimonium futurum non eſt, nequaquam permiſſum. *l. 20. ff. h. t. l. 11. ff. de pact. dot.* Quòd ſi poſt tempus ſolutioni adjectum, aut aliàs nullo tempore expreſſo, intra biennium non fiat ſolutio, uſuræ trientes ex morâ præſtandæ erunt. *l. ult. §. 2. C. h. t.* (IX.)

8. Cæterùm, licèt plerumque ex libera voluntate dotes dentur, quidam tamen ad dotem conſtituendam etiam inviti cogi poſſunt: puta, pater liberis legitimis. *l. fin. C. de dot. promiſſ.* non naturalibus, nec ingratis, aut indignis; qualis & filia minorennis habetur, quæ ſine patris conſenſu nupſit: ſecus in majorenne. *arg. nov. 115. c. 3. §. 11.* abrogatâ. *l. 3. §. 5. ff. de bon. poſſ. contr. tab.* (X, XIII.)

9. Nec refert, utrùm egena an locuples ſit filia legitima; cum *d. l. ult. C. de dot. promiſſ.* generaliter loquatur. Obſt. pater

ter locupletem alere non tenetur. *l. 5. §. 7. ff. de agnoſc. & alend. lib.* Reſp. ab alimentis ad dotem non ſemper procedit argumentum. (XI.)

10. Non etiam intereſt; filiafamilias ſit, an emancipata; cùm eadem in utraque ratio ſit, & d. l. ult. generalitas id ſuadeat. Obſt. *l. 19. ff. de ritu nupt.* Reſp. non excluduntur emancipatæ: ſuarum tantùm fit mentio, quia ſimul ibi de patris conſenſu agitur, qui ad nuptias ſuarum, non item emancipatarum, requiritur. Obſt. *l. 5. §. 11. 12. l. 51. ff. h. t.* Reſp. determinatur ibi tantùm, quæ adventitia, quæ profectitia dos ſit; ſed non negatur, patrem teneri etiam de ſuo dotem conſtituere. Obſt *l. 44. ff. h. t.* Reſp. id tantùm vult lex, non perire dotis promiſſionem ob ſupervenientem filiæf. capitis diminutionem. (XII.)

11. Non denique intereſt, utrùm primas an ſecundas filia nuptias contrahat: nam & ſecundò nubenti dos à patre danda ejuſdem quantitatis, licèt dos prior non ad patrem reverſa fuerit, ſed ſine culpâ mulieris perierit: niſi tamen admodum decreviſſet medio tempore patris ſubſtantia. *auth. ſed quamvis C. de rei uxor. act.* (XIII.)

12. Quòd ſi pater inops ſit, matris erit officium dotem pro ſua dare progenie. *arg. l. ult. in med. C. de dotis promiſſ. l. 14. C. h. t.* aut ſi mater hæretica ſit, dotem conſtituere cogitur congruam, licèt pater non deficiat. *l. 19. C. de hæret.* Frater quoque ſororem pauperem germanam aut conſanguineam, aliunde dote deſtituram, dotare tenetur; non uterinam. *arg. l. 12. §. pen. ff. de admin. tutor.* Obſt. *l. 13. §. 2. ff. eod.* Reſp. nuptiale munus à dote differt; dos favorabilior. (XIV.)

13. Eſt autem dos vel *æſtimata*, vel *ineſtimata*. Vel *vera*, vel *putativa*, veluti in matrimonio illegitimo, & dote prælegatâ quæ non erat numerata. Inſuper alia *numerata* eſt, alia *cauta*, in qua exceptio non numeratæ dotis locum habere poteſt, opponenda intra annum à ſoluto matrimonio, ſi illud non ſteterit intra biennium; intra tres menſes, ſi illud intra decennium ſit diſſolutum; nullo modo, ſi poſtea. *auth. quod locum C. de dote caut. non numer.* (XVII.)

14. Denique dos alia *adventitia* eſt, quam ipſa mulier aut pro ea extraneus dedit: alia *profectitia*, quam pater filiæ ſuæ aut emancipatæ conſtituit. *l. 5. §. 6. 10. 11. ff. h. t.* vel alius, ſed patris contemplatione. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* Obſt. *l. 5. §. 9. ff. h. t.* Reſp. ibi dos patri data erat contemplatione filiæ. Obſt. dos profectitia minuit patris ſubſtantiam. *l. 5. §. 5. ff. h. t.*

 Reſp.

Reſp. ea diminuta videtur, dum datur filiæ, quòd aliàs patri fuiſſet acquiſitum. (XVIII.)

15. Effectus dotis datæ eſt, quod maritus inde fructus percipiat, & rerum dotalium dominium acquirat; revocabile quidem, ſi dos inæſtimata ſit, irrevocabile verò, ſi ea æſtimata, ſic ut æſtimatio venditionis loco fuerit habita. *l.* 10. *pr. &* §. 5. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t. l.* 30. *C. eod.* (XIX.)

16. Quòd ſi dos evicta fuerit, videndum, utrùm à datione an à promiſſione inceperit. Si à promiſſione, condictio vel actio ex ſtipulatu marito competit, ut alia dos detur. Sin à datione: aut æſtimata data eſt, & prodita eſt de evictione actio, cùm æſtimatio ſit emptionis ſpecies: aut inæſtimata, & nulla datur actio, niſi dolo res aliena data ſit: quo caſu de dolo actio eſt. *l.* 1. *C. h. t.* aut niſi pater rem alienam dederit, etiam bonâ fide, quippe qui aliam rem dare cogendus eſt. *arg. l.* 69. §. 4. *ff. h. t.* (XX.)

17. Doti ſimilis in plerîſque eſt donatio propter nuptias, quæ à marito datur in remunerationem & ſecuritatem dotis: ſic ut dos & hæc donatio pari paſſu ambulent, reſpectu quantitatis, pactorum, lucri, tranſlationis dominii, reſtitutionis, & ſimilium. *l.* 9. *l.* 10. *& auth. æqualitas, C. de pact. convent. l. ult. C. de donat. ante nupt.* §. *pen. Inſt. de donation.* eo excepto, quòd mulier, cùm non ſuſtineat onera matrimonii, etiam fructus donationis propter nuptias non percipiat, ſed ipſe maritus. *l.* 29. *C. h. t.* (XXI, XXII.)

18. *Moribus.* Si mulier ipſa dotem ſine certâ quantitate promiſerit, magìs eſt ut hodie omnia bona videatur in dotem dediſſe; ac poteſt etiam curator pupillæ ſuæ conſenſum præbere, ut omnia bona in dotem det. Filiam dotare, apud nos communiter paternum & maternum eſt officium, ſic ut & pater dotem ſimpliciter conſtituens credatur communiter de ſuis & uxoris bonis conſtituiſſe. In donatione verò propter nuptias nulla hodie mulieri eſt ſecuritas, nec ullus hujus donationis uſus.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 12. *de jure dot. tit.* 11. *de dot. promiſſ.*

Tit. IV.

De Pactis Dotalibus.

1. Dotis dationi vel promiſſioni adjiciuntur pacta, in genere talia, quæ non ſunt contra bonos mores; quale foret

foret illud, ne rerum amotarum, ne de moribus agatur. *l.* 5. *ff. h. t.* Quæque non pugnant cum dotis natura; quale foret ne ob impenſas neceſſarias agatur. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* vel ne maritus ſed uxor dotis fructus percipiat; niſi tamen ſimul uxor onera matrimonii in ſe recipere parata ſit. *l.* 21. §. 1. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Denique talia, quæ mulieres non reddunt indotatas; quale foret pactum, ut penes mariti defuncti hæredes dos remaneat. *l.* 2. *ff. h. t.* aut maritus ſolum dolum in dote præſtet. *l.* 6 *ff. h. t.* aut dotem die ulteriore reddat. Vide *l.* 14. 15. 16. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 10 *ff. h. t.* Reſp. ibi pro verbis, *pro nepote ſuſcepiſſet*, legendum, *pro nepte dixiſſet.* ex *l.* 13. *ff. de pactis*, & tunc non de dote reſtituenda; ſed tantùm promiſſa agitur. (I, V, XV, XVI, XVII.)

2. Valet ergo pactum, ut muliere in matrimonio defunctâ dos vel in totum vel pro parte penes maritum remaneat: vel vice verſâ, ut reſtituatur; quod tamen ab extraneo dotem dante pacto in continenti comprehendi neceſſe eſt, non ex intervallo, niſi mulieris conſenſus accedat. *l.* 20. §. 1. *ff. h. t.* (XVIII.)

3. Quòd ſi pater dotem dederit, pro libitu paciſci in continenti poteſt, & pactum ipſi quoque filiæ nocebit: ex intervallo autem ſive ſolus pater ſive ſola filia pactum ſuper dote interpoſuerit, ſoli paciſcenti id, non alteri oberit. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi filia pacta ſit, & pater adjunctâ filiæ perſonâ agat. *d. l.* 7. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 2. §. 1. *ff. ſolut. matrim.* ubi pactum filiæ non nocet patri, licèt is adjunctâ filiæ perſonâ experiatur. Reſp. inſpicienda fortè mens filiæ paciſcentis, an ſibi ſoli, an verò & patri nocere paciſcendo voluerit; ut hoc quidem caſu pactum ejus patri adjunctâ filiæ perſonâ agenti, obfuturum ſit; illo non item. (IX, X.)

4. Eſt autem illud hìc ſingulare, quod patris aut avi pactum filiæ vel nepti emancipatæ, pro quâ nubente dos data, proſit ad agendum utiliter, ut dos ei ſalva ſit; cùm aliàs per patrem actio non quæratur. *l.* 45. *ff. ſolut. matrim.* Obſt. *l.* 26. *C. de jure dot.* Reſp. ibi pater non filiæ emancipatæ nubenti, ſed filio *extraneo* ſeu emancipato ſtipulatus erat, in quo ceſſabat ratio, quòd publicè interſit mulieribus dotes ſalvas eſſe, licèt tale pactum etiam valere poſſet, ſi pater filio tanquam hæredi ſuo reddi dotem ſtipulatus eſſet. *l.* 40. §. *ult. ff. de pactis.* (X.)

5. Effectus pactorum dotalium eſt, quòd proſint ad excipiendum, etiam ad agendum, ſi in continenti adjecta ſint.

l. 1. C. de pact. convent. modò nuptiæ ſubſecutæ fuerint, licèt concubitus non interceſſerit; modò etiam is, qui lucrum inde ſperat, ex ſua parte impleverit ea, quæ pactis dotalibus promiſſa ſunt. *auth. ſed quia C. de pact. convent.* (LIX)

6. Quamvis autem frequens in jure fiat inſtrumentorum dotalium mentio, non tamen ad pacta dotalia ſcriptura præcisè deſideratur; ſed ſufficit alio quocunque modo probari quod actum eſt. *l. 6. C. de dotis promiſſ. arg. l. 4. ff. de pign. & hypoth.* (II.)

7. *Moribus.* Stante ſtatuto de bonorum inter conjuges communione, nobiles eam tacitè præſumuntur pactis dotalibus excluſiſſe, cùm nuptias contrahunt, eò quòd ipſorum bona maximè in feudalibus non communicabilibus conſiſtunt, non obſtante enim communione ſtatutariâ feuda manent conjugis cujuſque propria. Licèt autem regulariter apud nos maritus pro libitu alienare poſſit bona uxoris, pacto tamen dotali hanc alienandi licentiam ei poſſe adimi receptum eſt; adeò ut & eo caſu velint mulierem contra quosvis poſſeſſores habituram rerum alienatarum vindicationem.

Cæterùm ſive ſtatutaria ſit ſervata inter conjuges communio, ſive pactis dotalibus in caſum ſoluti matrimonii quid cautum fuerit de lucro dotis aliiſque, id omni in Hollandia effectum ſortitur protinus à contractis nuptiis, licèt ante copulam conjugum alter moriatur: quamvis Ultrajectini & Friſii copulam deſiderent.

Poteſt verò hodierno jure per pacta dotalia non melior tantùm ſed & deterior reddi dotis conditio. Poſſunt & inæquales partes pacto de lucrandâ poſt ſolutum matrimonium dote ac propter nuptias donatione concipi, ut vel majorem vel minorem ſponſus, quàm ſponſa, lucri partem ſperet. Poteſt quoque pactis antenuptialibus agi de futurâ ſucceſſione tertii in ea conſentientis; qui poſtea pœnitentiâ duci, aut voluntatem ſuam mutare nequit. Quin & conveniri poteſt, ut filia dote contenta, de cætero nullam ex ſucceſſione paternâ partem percipiat. Rectè inſuper pactis hiſce cavetur, ut bona in matrimonium collata redeant ad proximos cognatos illius conjugis, unde profecta. Quæ tamen conventio non impedit, quo minus conjuges de ſuis quisque bonis teſtamento diſponant vel in gratiam conjugis ſuperſtituri, quatenus id lege municipali licet, vel in commodum extraneorum, aut agnatorum remotiorum, præteritis proximioribus; niſi extraneus vel pater, (non ipſi conjuges)

dotem

dotem conſtituens pactus ſit, ut illa ad certam perſonam matrimonio ſoluto revertatur, quo caſu ſolâ conjugum diſpoſitione tertio adimi nequit jus quæſitum. De cætero quod pactis antenuptialibus cautum eſt, nullo contractu mutari poteſt, nec pacta dotalia publica per clandeſtina ſuper dotibus & dotariis aliiſque infirmantur.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 14. de pactis conventis, &c.*

TIT. V.
De Fundo Dotali.

1. MAritus, licèt dotis dominus ſit. *pr. Inſt. quib. alien. licet. l. 30. C. de jure dot.* fundum tamen dotalem nec obligare nec alienare poteſt, etiamſi mulier conſentiat, obſtante legis Juliæ prohibitione. *d. pr. Inſt.* quæ & ad ſponſum extenſa eſt, *l. 4. ff. h. t.* & ad fundum dotali ſervo relictum. *l. 3. ff. h. t.* In ſola tamen alienatione voluntaria recepta eſt; non item in neceſſaria, qualis eſt diviſio, in poſſeſſionem miſſio, &c. *l. 1. ff. h. t.* Etiam in ſola dote inæſtimatâ; non verò æſtimatâ, niſi mulier, non obſtante æſtimatione, electionem ſibi pacta ſit, utrùm rem an æſtimationem velit recipere. *l. 11. ff. h. t. l. 1. C. h. t.* vel maritus non ſit ſolvendo. *arg. l. 30. C. de jure dot.* Denique ad ſola pertinet immobilia; cùm nuſpiam mobilium, ut pretioſarum, alienatio inveniatur prohibita: & magna inter tutores (quibus res mobiles pupillorum pretioſas per *l. 22. de admin. tut.* alienare non licet) ac maritum ſit differentia; eò quòd maritus, quà dominus dotis, alienare poteſt, niſi prohibeatur, tutores verò quia domini non ſunt, alienandi poteſtate carent, niſi ea ipſis expreſsè concedatur. (I, II, III, IV.)

2. Quòd ſi maritus contra prohibitionem de facto alienaverit aut obligaverit, ipſo jure nullum eſt quicquid geſtum eſt; poteſtque mulier fundum dotalem à quocunque vindicare. *l. 30. C. de jure dot.* licèt jam uſucaptum, ſi modò cœpta demum ſit uſucapio ſtante matrimonio; ſecus, ſi jam ante nuptias & dotem conſtitutam fuiſſet inchoata. *l. 16. ff. h. t.* (V.)

3. Quandoque tamen ex æquo & bono ſuſtinetur alienatio, puta, ſi mulier ſemel iterumque poſt bienium in alienationem conſenſerit, & maritus ſolvendo ſit. *Nov. 61. §. 1. 2.* vel pecunia ex fundi dotalis alienatione redacta, in fundi utilioris

lioris emptionem converſa ſit mulieris conſenſu. *l.* 26. 27. *ff. de jure dot.* vel denique mulier in matrimonio deceſſerit, & dos ex pacto cedat lucro mariti. *l.* 17. *ff. h. t.* Obſt. ſervo alieno data libertas non convaleſcit, licèt manumittens poſtea dominus factus ſit. *l.* 20. *ff. qui & à quib. manum.* Reſp. ratio diverſa eſt; cum ipſo jure nulla ſit libertas ſervo alieno data. *l.* 49. *ff. de hered. inſtit.* rei alienæ venditio ſubſiſtat. *l.* 21. *ff. de contrah. empt.* [VI.]

4. *Moribus.* Sive introducta ſive excluſa ſit ſtatuto aut pacto antenuptiali bonorum inter conjuges communio, maritus tamen in Hollandia fundum dotalem etiam invitâ muliere alienare & obligare poteſt, niſi vel pactis dotalibus ea licentia ſit adempta, vel ob malos mariti mores ſtante matrimonio per uxorem bonorum ſeparatio impetrata ſit, & publicè marito interdicta bonorum uxoris alienatio. Ultrajecti tamen non aliter invitâ uxore maritus bona ejus alienat, quàm ſi communem prolem habeant, & in Friſia fundi dotalis alienationem vel à muliere conſenſu mariti, vel à marito conſenſu mulieris fieri obtinuit.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 23. *de fundo dotali.*

LIBER XXIV.

TIT. I.

De Donationibus inter Virum & Uxorem.

1. QUamvis regulariter licitum ſit donare bene meritis; non tamen conjugi, ne mutuo conjuges affectu ſpolientur, amor venalis ſit, & pretio concordia concilietur. *l.* 1. *l.* 3. *ff. h. t.* Unde ſi ſimplex inter conjuges donatio facta ſit, ipſo jure nulla eſt, nec tranſit rei donatæ dominium, poteſtque donans eam extantem vindicare, (niſi donatarius malit rei æſtimationem reddere, præſtitâ ſibi cautione de evictione. *l.* 36. *ff. h. t.*) conſumptam condicere, quatenus accipiens inde locupletior eſt litis conteſtatæ tempore, *l.* 5. §. *ult. l.* 6. 7. *ff. h. t.* aut dolo fecit, quo minus habeat. *l.* 37. *ff. h. t.* Quòd ſi ex donatâ pecuniâ res alias comparaverit, has ipſas utiliter vindicare poteſt donans, iiſque contentus eſſe tenetur, ſi minoris

ris valeant; ſin pluris, non tamen plus repetit quàm ipſe donaverat. *l.* 7. §. 3. *& ſeqq. l.* 28. §. 3. *& ſeqq. l.* 50. §. 1. *l.* 55. *ff. h. t.* (I, II, III, XVI.)

2. Confirmatur tamen inter conjuges donatio per mortem donantis, (non donatarii) licèt ſimul uno conjuges pereant naufragio. *l.* 32. §. 14. *ff. h. t. l.* 8. 9. §. 3. *ff. de reb. dubiis.* Modò quingentos aureos excedens vel actis inſinuata vel teſtamento confirmata fuerit; alioquin tantùm uſque ad 500. aureos eſt valitura. *l.* 25. *C. h. t.* Modò etiam per donantem ipſum non fuerit revocata, eo etenim revocante, non res tantùm ipſa ſed & fructus naturales ad donantem revertuntur; non item induſtriales. *l.* 45. *ff. de uſuris. l.* 15. §. 1. *l.* 16. 17. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 8. *C. h. t. l.* 20. *C. de jure dot.* Reſp. ibi agitur de ipſis fructibus donatis, non de rei donatæ fructibus. (IV, VII.)

3. Cæterùm ſi ipſe donans ſuam liberalitatem non revocaverit, hæredi haud liberum eandem revocare. *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* niſi defunctum jam pœnituiſſe hæres probet. *l.* 32. § 4. *ff. h. t.* ut tamen ultima ſit ſpectanda pœnitentia, adeò ut, ſi donantem pœnituerit, mox pœnitere deſierit, adhuc ſubſtitura ſit donatio; *l.* 32. §. 3. *ff. h. t.* Nonnunquam tamen pœnitentia præſumitur, veluti ſi matrimonium non bonâ gratiâ diſſolutum ſit, nec reconciliatio interceſſerit. *l.* 32. §. 10. 11. *ff. h. t.* aut donatarius donantem occiderit. *arg. l.* 10. §. 1. *ff. ſolut. matrim. l.* 3. *l.* 9. *ff. de his quæ indign.* non item, ſi donans rem donatam pignori dederit. *nov.* 162. *c.* 1. §. 1. abrogatâ. *l.* 32. §. 3. *ff. h. t.* (VI.)

4. Adeò autem morte donantis hæc confirmatur donatio, ut retro firma habeatur ex eo tempore, quo primitus facta eſt; niſi quingentos aureos excedens non inſinuata ſed teſtamento tantùm confirmata fuerit, quo caſu demum à confirmationis tempore, non retro firma cenſebitur. *l.* 25. *C. h. t.*

5. Nec refert, rei traditione facta ſit donatio, an verbis ſine traditione: hæres enim donantis poſt mortem ejus ad tradendum conveniri poteſt, tum jure noviſſimo. *nov.* 162. *c.* 1. tum ex oratione Antonini. *l.* 33. *ff. h. t.* non item ex oratione Severi, qui fuit Antonini pater. *l.* 23. *ff. h. t.* Uti nec intereſt, mors naturalis donantis an civilis ſupervenerit, velut deportatio; ad id ſaltem, ut, publicatis deportati donantis bonis, fiſcus à rebus donatis excludatur: quamvis deportato poſt deportationem adhuc integrum ſit donationem revocare. *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* Si tamen donans fiat ſervus alicujus privati, evaneſcit donatio. *l.* 32. §. 6. *ff. h. t.* [IV, V.]

6. Cæterùm non directa tantùm inter conjuges prohibita donatio, ſed & ea quæ per indirectum fit, veluti per fictum emptionis aut alterius contractûs onerosi titulum. *l.* 32. §. 24. *l.* 52. *ff. h. t.* vel per interpoſitam perſonam, unde donatio ipſi præſumitur facta conjugi; ut puta, ſi ſocer genero vel nurui donet, vel conſocer conſocero, cùm uterque liberos haberet in poteſtate. *l.* 3. §. 2. *& ſeqq. l.* 7. *l.* 32. §. 16. *& ſeqq. ff. h. t. l.* 3. *C. h. t.* (VIII, IX.)

7. Quandoque tamen ſubſiſtit ab initio inter conjuges donatio, veluti, ſi remuneratoria ſit, *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* vel mortis causâ. *l.* 9. *in fin. l.* 10. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 53. *ff. h. t.* Reſp. ibi non rectè nurui donat ſocer mortis *ſua* causâ, quia morte ſoceri non diſſolvitur matrimonium inter filium & nurum. (X, XI.)

8. Quid, quòd & ſimplex inter vivos donatio protinus inter conjuges valeat, quoties inde vel dans non fit pauperior, vel accipiens ditior; ut, ſi conjux conjugi rem alienam donet; quippe cujus dominium vel ſtatim donatarius acquirit, ſi in donationem verus dominus conſenſerit. *l.* 38. *ff. h. t.* vel ſi is non conſenſerit, uſucapiendi poteſtatem. *l.* 25. *ff. h. t.* (quamvis uſucapioni locus non foret, ſi conjux conjugi rem propriam donaſſet. *l.* 1. §. *ult. ff. pro donato.*) Atque ex hoc fundamento eſt, quòd marito liceat rogare ſibi legaturum, ut uxori leget. *l.* 31. §. 7. *ff. h. t.* licèt nequeat acquiſitum ſibi legatum uxori cedere; nec rogare ſibi donaturum, ut uxori donet ſive inter vivos ſive mortis causâ. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. h. t.* idque propter fictam traditionem, quâ rei donatæ dominium marito jam videbatur acquiſitum. *d. l.* Valet & donatio in caſibus propoſitis in *l.* 5. §. 8. *& ſeqq. ff. h. t. l.* 7. §. 1. *l.* 14. *l.* 18. *l.* 21. *l.* 28. §. 2. *l.* 34. *l.* 40, 41. 42. *ff. h. t. l.* 21. *C. eod.* (XII, XIII, XIV.)

9. Hæc autem donationis prohibitio ad ſponſos ſponſasque nequaquam extendenda. *l.* 5. *ff. h. t.* nec ad concubinas. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Nov.* 89. *c.* 12. §. 2. (IV.)

10. *Moribus.* Donationes inter generum & ſocerum ſimiléſque perſonas valent & ſunt irrevocabiles; eò quòd parentes & liberi hodie non ita, ut apud Romanos pro eadem perſona habeantur. Ultrajecti autem uſque adeò prohibita eſt inter conjuges donatio, ut ne mortis quidem causâ vel teſtamento liceat conjugibus ſibi invicem gratificari; ſive directò, ſive in fraudem ſtatuti, adhibitis interpoſitis perſonis: eo excepto, quòd ultimâ voluntate ſibi poſſint reciprocè (non item ab uno tantùm latere) uſumfructum relinquere.

Si quid

Si quid concubinæ donatum fuerit, id ei ut indignæ hodie adimi poſſe DD. cenſent; quod tamen vix in praxi deduci poteſt.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 16. de donat. inter vir. & uxor. tit. 3. de donat. ante nuptias.*

Tit. II.

De Divortiis & Repudiis.

1. Divortium eſt ſeparatio conjugum animo non redintegrandi conjugii. Repudium ad ſponſam quoque extenditur, quæ tamen divertiſſe dici nequit. *l. 191. ff. de verb. ſign.* Fiebat autem divortium vel inter abſentes per libellum. *l. 7. ff. h. t.* vel inter præſentes; adhibitis ad minimum ſeptem teſtibus. *l. 9. ff. h. t.* hâc formulâ, *tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito*; utì repudium hâc vel ſimili, *conditione tuâ non utor. l. 2. ff. h. t.* (I.)

2. Et olim quidem divortia facilè ex utriuſque conſenſu fieri poterant; ſed jure novo non niſi caſtitatis intuitu. *l. 9. & auth. quod hodie C. h. t.* quamvis jure noviſſimo *per Nov. 140. c. 1.* reducta ſit libertas mutuo conſenſu matrimonia promiſcuè diſſolvendi, adhibito repudii libello. (II.)

3. Invito quoque altero conjugum, unius voluntate, olim ex pluribus cauſis licita fuêre divortia, jure novo ex paucioribus, enumeratis in *Nov. 117. c. 8. & 9.* inter quas & adulterium mariti numeratur. *d. c. 9.* licèt mulier maritum criminaliter adulterii accuſare non potuerit. *l. 1. C. ad Leg. Jul. de adult.* (III, IV, V, VI, VII, VIII.)

4. Non tamen jure dirimitur matrimonium ob ſupervenientem, ſtante conjugio, impotentiam, aut morbum contagioſum. *arg. l. 22. §. 7. in med. ff. ſoluto matrim.* Nec propter conjugis captivitatem. *Nov. 117. c. 11.* abrogatâ *l. 7. C. h. t. l. 1. l. 6. ff. h. t.* deportationem aut ſervitutem pœnæ. *Nov. 22. c. 8. & 13.* abrogatâ pro parte. *l. 1. C. h. t.* Quòd ſi temere & ſine causâ quis fecerit divortium, in eum variæ ſunt pœnæ conſtitutæ, de quibus vide *l. 8. §. 4. C. h. t. Nov. 117. c. 13. Nov. 127. c. 4. Nov. 134. c. 11.* (XI, XVI.)

5. Sunt autem caſus, quibus non tam divortium fit, quàm potiùs matrimonium declaratur retro nullum, eò quòd ab initio non ſubſiſtit: quod evenit, ſi inceſtuoſum ſit. *arg. §. pen. Inſt. de nuptiis. l. 4. C. de inceſt. nupt.* ut &, ſi impotentia generandi ab initio adfuerit, & toto triennio ſit continuata. *l. 10. & auth. hodie C. h. t.* (XV.)

6. Mor-

6. *Moribus.* Non aliæ apud nos manſerunt juſtæ divortii cauſæ, quàm adulterium & malitioſa deſertio; ita ut abſens ac deſertor citandus ſit, & adversùs eum ut contumacem ex more recepto ſit agendum. Ubi autem propter adulterium ſententiâ Judicis diſſolutæ fuerint nuptiæ, non aliter redintegrari poſſunt, quàm adhibitis novis ex regionis conſuetudine ſolennitatibus, ſecus, ſi necdum judiciale decretum ſit interpoſitum de matrimonio dirimendo; quo caſu ſola ſufficit privata reconciliatio, quæ & interveniſſe cenſetur, ſi conjugale debitum ſit præſtitum ab eo, qui crimen non ignorabat. Quòd ſi ſoluto matrimonio conjuges in gratiam redire nolint; non innocenti tantùm liberum eſt ad ſecunda tranſire vota, ſed & ipſi nocenti, cùm innocens vel mortuus fuerit, vel alteri novo conjugio junctus. Cæterùm ſi mulier à marito diverterit, ſi quidem ex juſtâ causâ, fortè propter nimiam mariti ſævitiam, cogi poteſt maritus, ut mulieri extra domum alimenta pro dignitate ſuppeditet; ſervátque mulier omnia jura conjugalia integra. Aliter quàm obtinet, ſi nulla juſta divertendi cauſa ſubſit, tunc enim, licèt maritus omnia dotis lucra percipiat, tamen ad alendam foris uxorem non tenetur, ſibique ſoli lucratur quidquid durante divortio acquiſierit.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 17. de repudiis & judicio de moribus ſublato.*

Tit. III.

Soluto Matrimonio quemadmodum dos petatur.

1. SI poſt dotis dationem non ſequatur matrimonium, dos vindicatione vel condictione repetitur. *l. 17. §. 1. ff. de jure dot.* Sin illud ſubſecutum ſit, eo quidem adhuc durante dotis reſtitutio peti nequit, niſi mariti bona publicata ſint, aut ipſe ad inopiam vergat. *l. 29. C. de jure dot. l. 24. ff. h. t. l. 1. C. de divortiis.* ut & ob cauſas expreſſas in *l. 73. §. 1. ff. de jure dot.* ſi tamen mulier inopi ſciens nupſerit, ei ſtante matrimonio deneganda videtur dotis repetitio. *arg. l. 13. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult.* (1, 11.)

2. Diſſolutis verò nuptiis dos regulariter repeti poteſt; actione ex ſtipulatu bonæ fidei privilegiatâ, quæ in locum rei uxoriæ actionis ſucceſſit. §. 29. *Inſt. de action. l. un. C. de rei uxor.*

uxor. act. Et adventitiam quidem repetit ipſa mulier vel hæredes ejus, aut etiam extraneus, ſi is dotem dans eandem ſibi reddi in continenti pactus ſit, aut etiam ex intervallo, ſed muliere conſentiente. *l. un.* §. 13. *C. de rei ux. act.* Profectitiam verò repoſcit pater, qui eam dederat; ſi modò filia ſit mortua, vel pater eam adhuc habeat in poteſtate: nam ſi ipſa filia vivat, & emancipatione vel morte patris ſui juris facta ſit, ipſa repetit. *l. un.* §. 14. *C. de rei ux. act. l.* 22. §. 5. *l.* 34. *ff. h. t. arg. Nov.* 97. *c.* 5. *in pr.* Quòd ſi avus nepti dotem dederit, ipſe quoque eam repetit; ſed avo præmoriente, pater eam repetit, ſi patris intermedii contemplatione dotem dederit. *l.* 6. *ff. de collation.* junct. *l.* 5. §. 2. *ff. de jure dot.* non item ſi neptis intuitu ea data fuerit. *l.* 79. *ff. de jure dot.* (III, IV, V.)

3. Repetit autem pater dotem profectitiam, mortuâ in matrimonio filiâ, etiam ſi ex eâ liberi nati ſuperſint, ne aliàs filiæ amiſſæ ſimul & pecuniæ damnum ſentiat. *l.* 6. *ff. de jure dot.* Obſt. *l. ult.* §. *pen. ff. ut legat. nomine cav.* Reſp. accipi poteſt de dote adventitiâ. Obſt. dos profectitia eſt proprium mulieris patrimonium. *l.* 3. §. 5. *ff. de minorib.* Reſp. id verum; quamdiu durat matrimonium; ſed id non impedit, quo minùs eo ſoluto dos, quæ filiæ fuerat, ad patrem revertatur. Obſt. ibi dos eſſe debet, ubi & onera matrimonii. *l.* 56. §. 1. 2. *ff. de jure dot.* Reſp. non aliud lex indigitat, quàm, quod penes patrem dos eſſe debeat, ſi is onera matrimonii ſui filiif. ſuſtineat; penes filium verò, ſi is ipſe onera ferat, quo modo & in *l.* 46. *ff. famil. erciſcund.* agitur de matrimonio adhuc conſtante, & ejus oneribus à patre ad filium tranſeuntibus. Obſt. *l.* 23. *l.* 26. §. 2. *ff. de pact. dotal.* ubi pactum videtur neceſſarium, ut patri poſſit competere dotis repetitio. Reſp. narratur, pactum interveniſſe; id verò neceſſarium fuiſſe, non aſſeritur, & in *d. l.* 26. §. 2. quia pater ſpecialiter pacto comprehenderat caſum non exiſtentium liberorum, tacitè pactus videtur, ut altero caſu; ſi nempe liberi extarent, dos ſibi non redderetur, ſic ut nunc penes liberos dos remaneat non ex juris diſpoſitione, ſed ex vi taciti pacti. Obſt. *l.* 40. *ff. h. t.* Reſp. ibi legendum *ſine voluntate filiæ*, convenienter *l.* 29. *ff. h. t.* atque ita non rectè pater fuerat ſtipulatus, juxta *d. l.* 29. nec jus liberis filiæ quæſitum poterat perperam ſtipulando adimere: iis verò non extantibus, convaleſcit ſtipulatio; quia & ſine ſtipulatione dos patri ut hæredi ſuæ filiæ ab inteſtato reſtituenda foret. (VI, VII, VIII.)

4. Non aliter tamen ſoluto matrimonio dos repetitur, quàm

quàm ſi numerata fuerit, ne alioquin obſtet non numeratæ dotis exceptio intra certa tempora opponenda. *Nov.* 100. *c.* 1. 2. vide *tit. de jure dot.* & olim quidem non ſtatim, ſed demum annuâ bimâ trimâ die facienda erat dotis reſtitutio; jure verò novo immobilia ſtatim, mobilia intra annum reddenda ſunt. *l. un.* §. 7. *C. de rei ux. act.* eáque integra, cum ſuis acceſſionibus & fructibus ante matrimonium perceptis. *l.* 6. *ff. h.t.* nec non perceptis poſt ſolutum matrimonium, ita ut anni poſtremi fructus dividantur pro ratâ temporis, quo ſtetit matrimonium. *l.* 7. §. 1. *l.* 11. *l.* 31. §. *ult. ff. h.t.* (x, xi, xii.)

5. Ceſſat autem quandoque dotis repetitio; puta ſi pactum de lucranda dote fuerit appoſitum, & caſus extiterit, quo dotis lucrum potuit habere locum. Ut &, ſi divortium mulieris culpâ factum ſit. *Nov.* 117. *c.* 8. niſi maritus uxorem in adulterio deprehenſam occiderit, *arg. l.* 38. §. 8. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* vel dos ſit profectitia, & pater vivat ac filiam habeat in poteſtate. *Nov.* 22. *c.* 19. vel adventitiam extraneus ſibi reddi in continenti pactus ſit. *l.* 24. *C. de jure dot.* vel maritus etiam ipſe adulterium commiſerit. *l.* 39. *ff. h.t.* Ceſſat & reſtitutio, ſi dos inæſtimata ſine dolo & latâ vel levi culpâ mariti perierit. *l.* 10. *pr.* & §. 1. *ff. de jure dot.* Denique non totam dotem, quanta data erat, recuperari, facit competentiæ beneficium; quod datum eſt marito & ejus liberis ex eodem matrimonio, non hæredibus extraneis; datum & ſocero, qui pro filio dotem recepit. *l.* 15. *pr.* & §. 1. 2. *l.* 18. *ff. h.t.* niſi tamen hi bona dolo dilapidaverint. *l.* 18. §. 1. *ff. h.t.* (xix, xx.)

6. *Moribus.* Dos profectitia non ad patrem ſed mulierem vel hæredes ejus revertitur. Eſtque dos reſtituenda protinus à ſoluto matrimonio, niſi quod honeſtatis causâ per ſex ſeptimanas ſoleat expectari. Et ſi in reſtituendo mora fiat, poteſt mulier manere in domo mortuaria, donec facta ſit reſtitutio; nec maritus hæredésve ejus gaudent competentiæ beneficio. Quòd ſi ex pecuniâ dotali maritus fundum comparaverit, ſi quidem pro muliere, habet illa ſoluto matrimonio ejus vindicationem, ſin ſuo nomine, mulier in re emptâ nihil juris habet, niſi quatenus id ipſi tribuere poſſet bonorum inter conjuges communio. Dotis privilegia quod attinet, ea apud nos non obtinent, licèt excluſa ſit bonorum communio; & mulier ſibi dotem ſalvam fore pacta ſit: niſi inſuper id nominatim actum fuerit, ne lucri aut damni particeps eſſet mulier, aut uxori reſervata ſit electio, utrùm do-

tem

tem ſalvam habere, an lucri ſtante matrimonio quæſiti particeps eſſe velit; quo caſu res dotales extantes vindicare poteſt, pro conſumptis legalem habet hypothecam; imo & res dotales alienatas poteſt à quovis poſſeſſore vindicare, ſi pacto dotaſi marito ſpecialiter adempta ſit alienandi licentia. Reſtituendi autem fundi dotales in eo ſtatu, in quo ſunt ipſo diſſoluti matrimonii momento, cum fructibus, ſi pendeant, vel ſine fructibus, ſi ſeparati ſint, uti id de Jure Romano in fructuariis receptum eſt. Penſiones tamen & uſuræ pro ratâ anni poſtremi dividendæ ſunt. Non tamen, quaſi dotalia, veniunt reſtituenda alimenta, quæ pater mulieris ei ac marito ejus ſuppeditavit, cum ad ea non eſſet obligatus; ac ne id quidem, quod fortè quotannis pater ad onera conjugii ſuſtentanda præſtitit.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 15. de rei uxor. actione. tit. 18. ſoluto matrim. quemadm. dos pet. tit. 19. ſi dos conſtante matrim. ſoluta fuer. libr. 7. tit. 74. de privil. dotis.*

LIBER XXV.

TIT. I.

De Impenſis in rem Dotalem factis.

1. OLim propter impenſas, erat licita dotis retentio, at ea jure novo prohibita. *l. un. §. 5. in med. C. de rei uxor. act.* Si tamen factæ fuerint impenſæ neceſſariæ; (quales ſunt, quibus non factis res redderetur deterior. *l. 14. ff. h. t.*) ipſo jure dotem minuunt, modò dos in quantitate in totum vel pro parte conſiſtat. *l. 5. pr. ff. h. t. d. l. un. §. 5.* Sin utiles, (quales, quæ fructuum proventum augent,) actione mandati vel negotiorum geſtorum repeti poſſunt. *d. l. un. §. 5. in fin.* At ſi voluptuariæ, non repetuntur, licèt mulieris voluntate factæ; ſed tantùm tolluntur, quatenus poſſunt, ſine rei detrimento. *l. 9. l. 11. ff. h. t. d. l. un. §. 5. in fin. C. h. t.* niſi factæ fuerint in res promercales, vel mulier pati nolit maritum tollentem; tunc enim etiam voluptuariarum exactio eſt. *l. 9. in fin. l. 10. ff. h. t.* leviores planè impenſæ, quæ ad præſens tantùm factæ, non in perpetuam rei utilitatem, non repetuntur, ut ut maximè fuerint utiles vel neceſ-

ſariæ,

fariæ, veluti ad fructuum perceptionem, aut tributorum nomine. Vide *l.* 1. 2. 3. §. 1. *l.* 12. 13. *§.pen. ff. h. t. l.* 7. *§. ult. ff. ſolut. matrim.* [I, III, IV.]

2. Quòd ſi maritus in aperturam lapicidinarum in fundo dotali impenſas fecerit, & renaſcantur lapides, non modò lapidum eductorum ſit Dominus, ſed & impenſas in aperturam, [non in lapidum ipſorum eductionem] factas recuperat, cum fundus apertura tali fiat melior. *l. ult. ff. de fund. dot.* ſed ſi non renaſcantur, diſtinguendum: aut enim per aperturam fructuoſior redditus eſt fundus; eóque caſu lapides ad maritum pertinent, qui tunc etiam impenſas fert. *l.* 7. *§.* 13. *ff. de ſolut. matrim.* aut non eſt factus fructuoſior; quo caſu lapides ad mulierem pertinent, impenſam verò maritus repetit, ad quam ſpeciem reſtringenda *l.* 32. *ff. de jure dot.* [V.]

3. *Moribus.* Si ſit acquæſtuum communio inter conjuges, excluſâ bonorum communione, quicquid maritus ſtante matrimonio in res alterutrius volente vel invitâ uxore ſive benè ſive malè impendit, communi conjugum damno cedere, cenſent. Quòd ſi acquæſtuum quoque ſit excluſa communio, ut uxor tantùm dotem ſalvam habeat, impenſæ non ultra repetuntur, quàm quatenus ex iis ſoluto matrimonio res melior apparet, ſive volente ſive invitâ muliere factæ ſint.

TIT. II.

De Actione rerum Amotarum.

1. Licita quoque olim dotis retentio ob res amotas: at jure novo, ſilente retentione, ſupereſt prætoria rerum amotarum actio. *l.* 2. *C. h. t.* ceſſante furti actione propter honorem matrimonii. *l.* 1. 2. *ff. h. t.* Eo excepto, quòd furti actio noxalis ex facto ſervi, ad mulierem pertinentis, marito adversùs eam dari poſſet; ſi modò ipſa furtum fieri non juſſerit. *l.* 3. *§.* 1. *ff. h. t. l.* 52. *§.* 3. *ff. de furtis.* alioquin, ſi mandaverit, ipſa furtum feciſſe videtur, & actioni rerum amotarum locus erit. *l.* 21. *§.* 1. *ff. h. t.* (I.)

2. Competit autem hæc rerum amotarum actio, ſoluto, non ſtante matrimonio, propter res ſtante matrimonio divortii causâ amotas, ſive illæ mariti propriæ ſint, ſive ei commodatæ aut pignori datæ. *l.* 17. *§. ult. ff. h. t. l. ult. C. de furtis.* Et datur marito ejúſque hæredibus. *l.* 6. *§.* 1. *ff. h. t.* ut & fiſco in locum mariti ſuccedenti per bonorum publicationem.

nem. *l.* 6. *ff. h. t.* contra uxorem, & patrem ejus, quatenus ex rebus amotis locupletior factus eſt. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *l.* 5. *ff. h. t.* contra hæredes quoque mulieris quatenus ad eos pervenit, id eſt, pro qua parte hæredes ſunt *l. ult. C. h. t.* Vice versâ etiam uxori quandoque accommodatur contra maritum. *l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* Non verò ei, qui concubinam alit, adversùs ipſam; utpote contra quam magìs actio furti eſt prodita, ceſſante honore matrimonii. *l.* 7. *ff. h. t.* (II, III.)

3. Tendit hæc actio ad id, ut res amota reſtituatur; vel ſi perierit, pretium ejus, quanti ea valuit eo tempore quo amota. *l.* 29. *ff. h. t.* etiam ad id quod intereſt. *l.* 21. §. 4. *ff. h. t.* aut quanti in litem juratum fuerit. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* nec hîc locus eſt beneficio competentiæ. *l.* 21. §. *ult. ff. h. t.* (IV.)

4. Quòd ſi mulier, cùm de viri vitâ deſperaret, ſurreptis quibuſdam rebus diverterit, utilis rerum amotarum actio marito convaleſcenti datur. *l.* 21. *ff. h. t.* eo verò mortuo, hæredibus hæreditatis petitio vel condictio ob injuſtam cauſam, vel ad exhibendum actio ex ea cauſa competit. *l.* 6. §. 5. *l.* 22. §. 1. *ff. h. t.*

5. Ceſſat rerum amotarum actio, ſi ſine divortio res ſtante matrimonio amotæ ſint; maritus enim eas vel vindicare vel condicere poteſt, non hâc actione petere, *l.* 24. 25. *ff. h. t.* Obſt. *l. ult. in med. C. de furtis.* Reſp. ibi generaliùs vocabulum *actionis rerum amotarum* accipitur pro actione, quâ repetuntur res amotæ. Ceſſat & ſi vel ante matrimonium, vel eo jam ſoluto res ſint amotæ, iis enim caſibus quin furti actio locum habere poſſit haud dubium, licèt ob reverentiam matrimonii ex æquo & bono receptum ſit, condictionem potiùs furtivam quàm furti actionem dandam eſſe, tùnc ſaltem, cum mulier ante matrimonium res amoverit. *l.* 3. *pr. &* §. 2. *ff. h. t.* Ceſſat denique, ſi maritus & uxor invicem ſibi furtum fecerint. *l.* 7. *ff. h. t.* [VI, VII.]

6. Cæterùm, ſi uxor rem mariti, quam is alteri commodaverat, commodatario ſurripuerit, nihil impedit, quo minùs actione furti adversùs eam commodatarius experiatur. *l.* 28. *ff. h. t.* quod non videtur per *l. ult.* §. *ult. in fin. C. de furtis* mutatum. [VI. in fine.]

7. *Moribus.* Maritus rem per uxorem amotam à quovis poſſeſſore poteſt vindicare, cum ea ſine mariti conſenſu non poſſit quicquam alienare. Si tamen pactis dotalibus reductum fuerit inter conjuges Jus Romanum, etiam actioni rerum amotarum locus erit.

* Adde *ex Cod. lib.* 5. *tit.* 21. *rerum amotarum.*

TIT. III.

De Agnoſcendis & Alendis Liberis vel Parentibus vel Patronis vel Libertis.

1. DE liberis agnoſcendis duo fuerunt condita Senatusconſulta, Plancianum nempe, & alterum temporibus Hadriani factum. Planciani quidem duo membra ſunt, quorum primo cautum, mulierem facto divortio intra triginta dies proximos denuntiare marito vel patri ejus debere ſe ex illo gravidam eſſe; maritum verò tunc mittere debere ventris cuſtodes, vel renuntiare eam ex ſe gravidam non eſſe: alioquin partum agnoſcere tenetur & alere, ni malit extra ordinem coërceri. *l.* 1. *pr.* §. 1. *&* 4. *ff. h. t.* Ut tamen nec renuntians nec cuſtodes mittens adhuc audiendus ſit, partum non eſſe ſuum probare deſiderans; interim, donec probaverit, ad alimenta obſtrictus. *l.* 1. §. 14. *ff. h. t.* Quòd ſi eam ex ſe gravidam eſſe in continenti maritus neget, de eo deinde judicio diſceptandum eſt. Sin cuſtodes mittat, præſumptio quidem contra mittentem militat, quòd pater ſit; non tamen ita, quin adhuc contrarium docere volens ſit admittendus. *l.* 1. §. 11. *ff. h. t.* (1.)

2. Altero Planciani membro actum de partu ſuppoſito, quale factum in falſi crimen incidit. *l.* 1. *ff. h. t.*

3. Sed ſi conſtante matrimonio partus ſit editus, Senatuſconſulto temporibus Hadriani condito locus eſt, quo etiam de eodem agnoſcendo & agendo agitur. *l.* 1. *ff. h. t.* Si quid autem in denuntiando vel renuntiando prætermiſſum fuerit à marito vel uxore, id ipſis quidem, at partui nequaquam obeſt. *l.* 1. § 8. *&* 13. *&* 15. *ff. h. t.* (III.)

4. Cæterùm, quia generaliùs hoc tit. de alimentis agitur, obſervandum eſt nonnullos ad alendum obligatos eſſe, adeò ut, ſi alimenta denegaverint, necare videantur. *l.* 4. *ff. h. t.* inter quos primo pater eſt, qui liberos (modò non ingrati ſint. *l.* 5. §. 11. *ff. h t.*) alere tenetur, ſive ſuos, ſive emancipatos, primi vel ulterioris gradûs. *l.* 5. §. 1. 2. *ff. h. t.* ſive legitimos ſive naturales; donec ſe ipſos exhibere poſſint. *l.* 5. §. 7. *ff. h. t.* Nec patrem liberabit, quòd jam bonorum partem liberis, ut ſe exhibeant, aſſignaverit; eaque prodigalitate conſumpta ſit, cum id ſuæ levitati pater imputare

debeat,

debeat, quòd prodigis portionem temere ſubminiſtraverit. (V, XIV, XV, XVIII.)

5. Patre verò inope vel mortuo, onus alendi matri incumbit. *Nov.* 117 *c.* 7. quod & obtinet, ſi pater incertus ſit, dum liberi vulgo quæſiti ſunt. *l.* 5 §. 1. 2. 3. 4. *ff. h. t.* Quid quòd & legitimam ſobolem ad triennium uſque mater teneatur alere, donec infans ablactâtus fuerit. *l. pen. C. de patr. poteſt.* In inceſtuoſis planè liberis id ſingulare eſt, quòd à parentibus non ſint alendi. *auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.* (VI, VII.)

6. Vice versâ parentes quoque inopes alendi à liberis. *d. l.* 5. §. 1. 2. *ff. h. t.* etiamſi inceſtu polluti ſint. *auth. inceſt. nupt.* Frater quoque & ſoror à fratre vel ſorore. *arg. l.* 13. §. *ult. ff. de adminiſtr. tut. l.* 1. §. 2. *in med. ff. de tut. & ration. diſtrah.* liberti à patronis, patroni & eorum liberi à libertis. *l.* 5. §. 18. *l.* 6. *ff. h. t.* Remotioribus autem ultra fratres & ſorores nulla impoſita alendi neceſſitas; licèt hoc agendo, pietatis impleant officia. *arg. l.* 27. §. 3. *ff. de inoffic. teſtam.* Uti nec onus alendi, quod alicui incumbebat, ad hæredes quâ tales, regulariter tranſmittitur. *l.* 5. §. 17. *ff. h. t.* (VIII, IX, X, XVIII.)

7. Quòd ſi quis ad alendum obligatus alere perfractè nolit, Judex pro modo facultatum alimenta conſtituit, eáque captis ac diſtractis pignoribus, præbet ei, qui alendus eſt. *l.* 5. §. 10. *ff. h. t. l. ult. C. h. t.* Veniunt verò alimentorum nomine cibaria, veſtitus & habitatio, non ſumptus in ſtudia. *l.* 6. *ff. de aliment. legatis.* (IV, XIII.)

8. *Moribus.* Communibus patris & matris impenſis liberi alendi ſunt: etiamſi factum ſit divortium ob alterius conjugis delictum; aut ſaltem pro rata facultatum, quæ & nocenti & inſonti conjugi ſuppetunt, arbitrio Judicis ad liberos alendos impenſæ ſubminiſtrandæ ſunt; naturales tamen magìs patris ſumptibus, ſi id mater ſtupro polluta petat, educandi. Quòd ſi liberi legitimè nati bona habeant adventitia, ex quorum reditu ſeſe poſſunt exhibere, pater eos ſuis impenſis alere non tenetur. Inceſtuoſi autem liberi etiam hodie à parentibus alendi ſunt.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 24. *divort. facto apud quem liberi morari vel educ. deb. tit.* 25. *de alendis liberis ac parentibus.*

Tit. IV.

De inſpiciendo Ventre cuſtodiendoque partu.

1. SI mulier facto divortio ſe prægnantem neget, marito id affirmante, dum ſe patrem optat; ad ejus petitionem, ubi præſtiterit jusjurandum calumniæ, mittuntur obſtetrices probatæ artis & fidei tres: quarum ſi duæ mulierem prægnantem aſſerant, ventri cuſtos apponitur. *l. 1. ff. h. t.* (1, 11.)

2. Quòd ſi vice verſâ, mortuo marito, mulier ex eo ſe prægnantem dicat, iis, quorum intereſt propter ſucceſſionem, id denuntiandum eſt, ut quinque mittantur mulieres inſpecturæ, mittantur & cuſtodes, qui partum cuſtodiant, ut & tempore partûs procuratores, qui partum inſpiciant, ne alienus ſubjiciatur. *l. 1. §. 10. & ſeqq. ff. h. t.* (111.)

Tit. V.

Si Muliere ventris nomine in poſſeſſionem miſſâ, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium translata eſſe dicatur.

1. SI mulier ſit gravida, ventris nomine in poſſeſſionem mittitur; ut tamen eam in alium transferre nequeat: ſi id egerit, tenetur actione in factum perpetuâ, ad id, quod intereſt ejus, qui experitur, poſſeſſionem dolo translatam non eſſe. Atque etiam is, qui poſſeſſionem nactus, inde cogitur decedere. *l. 1. pr. §. 1. 2. l. 2. ff. h. t.*

Tit. VI.

Si Mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ causâ eſſe dicetur.

1. SI mulier ſciens ſe prægnantem non eſſe, dolo tamen malo ventris nomine in poſſeſſionem mitti petierit, actione in factum convenitur ad id quod intereſt; quæ actio annalis eſt. *l. un. §. 1. 2. 3. 4. 6. ff. h. t.* & famoſa adeò, ut vel ipſa

ipſa mulier notetur, ſi ſui juris ſit; aut pater ejus, ſi is filiam in poteſtate habens eandem mitti deſideraverit. *l.* 15. *& ſeqq. ff. de his qui not. infam. l. un.* §. 5. *ff. h. t.* Non verò huic actioni locus eſt, ſi mulier in bonâ fide ſit, quo caſu ne alimenta quidem ventris nomine ſuppeditata reſtituit. *l.* 3. *ff. de ventre in poſſeſſ. mitt.*

TIT. VII.
De Concubinis.

1. CONcubinatus eſt, cùm vir cælebs mulieri liberæ affectu non conjugali cohabitat, adeò ut ex ſola animi deſtinatione concubina vel uxor ſit. *l.* 4. *ff. h. t.* & non niſi dignitate & honeſtate ſeu honore concubina à legitimâ diſtinguatur uxore. *l.* 41. §. 1. *ff. de ritu nupt. l* 48. §. 4. *ff. de legat.* 3. unde & in concubinatu plerumque fuerunt inferioris conditionis fœminæ. *l.* 1. §. 1. *l.* 3. *ff. h. t.* quamvis in dubio juſta potiùs uxor, quàm concubina, præſumatur, niſi corpore quæſtum fecerit. *l.* 24. *ff. de ritu nupt.* Toleratus autem fuit concubinatus, non plenè probatus Jure Romano, modò ſolutus uni cohabitet, non pluribus. *l. un. C. h. t. Nov.* 18. *c.* 5. *Nov.* 59. *c.* 12. §. 5. quæ fortè ratio, quòd inæquale dicatur conjugium *l.* 3. *C. de liberis natural.* (I, II, III.)

2. Cæterùm ex concubinâ naſcuntur liberi naturales tantùm; in quibus tamen locum habere poteſt legitimatio, quæ actus eſt, quo illegitimi liberi fiunt legitimi. Et fieri poteſt vel per oblationem Curiæ, vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis. §. *ult. Inſt. de nupt. tit. C. de liberis nat.* Quomodo peragatur ea, quæ fit per oblationem Curiæ, vide *l.* 3. *C. de liber. natur.* (IV, V.)

3. Per ſubſequens autem matrimonium fit, ſi quis concubinam, ex qua liberos ſuſcepit, in uxorem ducat, quocunque tempore, etiam in mortis articulo ſeu agone. *arg. l.* 106. *ff. de condit. & demonſtrat.* Nec hoc caſu neceſſaria præcisè ad nuptias inſtrumenta dotalia, licèt ad evidentiorem legitimationis probationem conſultum ſit omnino ea adhiberi. *arg. l.* 4. *ff. de pign. & hypoth. l.* 4. *ff. de fide inſtrum.* (VI, VIII, IX, XI.)

4. Legitimato autem filio naturali per ſubſequens matrimonium, fiunt quoque avo legitimi nepotes, qui ex filio naturali legitimè nati erant. *arg. l.* 220. *ff. de verb. ſign.* junct.

§. *ult. Inſt. de nuptiis*, ubi generaliter *liberi* dicuntur legitimari. (VII.)

5. Denique per Reſcriptum Principis fit legitimatio, quando Princeps ad petitionem patris, vel ipſorum legitimandorum, jura legitimorum liberorum illegitimè natis concedit, qualis legitimatio ordinaria licèt Juſtinianum autorem habeat. *Nov. 74. c. 2 Nov. 89. c. 9.* extra ordinem tamen gravioribus de cauſis etiam ante fuit adhibita. *l. 57. §. 1. ff. de ritu nupt.* (XIII, XIV, XV.)

6. *Moribus.* Concubinatus hodie illicitus eſt, & qui concubinam monitus non dimiſerit, arbitrariâ pœnâ coërceri poteſt. Legitimatio autem per oblationem Curiæ in deſuetudinem abiit.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 26. de concubinis. tit. 27. de natural. liberis.*

LIBER XXVI.

TIT. I.

De Tutelis.

1. Tutela eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data ac permiſſa. *l. 1. ff. h. t.* §. 1. *Inſt. h. t.* Cujus originem ſi ſpectes, eſt ex jure gentium & æquitate naturali. *§. pen. Inſt. de Attil. tut.* ſi formam, juris civilis eſt. *d. l. 1. d. §. 1.*

2. Huic ſimilis in multis eſt cura, quæ eſt poteſtas ad tuenda ejus bona, qui ea propter ætatem aut animi vel corporis vitium tueri nequit. *pr. Inſt. de curator.* junct. §. 3. & 4. *eod. tit.* Similis & in plurimis tutori eſt actor; qui tutore negotia pupillaria gerere impedito, conſtituitur à prætore vel præſide, ex voluntate & periculo tutoris, ſi pupillus abſens aut infans ſit. *§. ult. Inſt. de curator.* qualis & *adjutor* dici poteſt, ſi ipſe tutor prætore permittente eum conſtituat. *l. 13. §. 1. ff. h. t.* (I.)

3. Eſt autem tutela munus virile. *l. 16. ff. h. t.* & publicum, autoritate, non utilitate. *pr. Inſt. de excuſ. tut.* non munus reipublicæ. *arg. l. 12. §. 1. ff. de vacat. & excuſ. mun.* Eſt & gratuitum,

tuitum, niſi tutor paupertinus ſit, cui ſalarium conſtituendum. *l.* 33. §. *ult. de admin. tut.* (II.)

5. Tutores eſſe poſſunt omnes, qui non prohibentur, tam filiif. quàm patresfam. *pr. Inſt. qui teſt. tut. dari poſſ.* Prohibentur autem tutores eſſe debitores & creditores pupillorum, niſi mater aut avia ſit. *nov.* 72. *c.* 4. *nov.* 94. *c.* 1. ſervi durante ſervitute. §. 1. *Inſt. qui teſtam. tut. dari poſſ. l.* 10. §. *ult. ff. de teſtam. tut.* transfugæ, *arg. l.* 19. §. 4. *ff. de captiv. & poſtlim. l.* 5. §. 1. *ff. de captis diminut.* Obſt. *l.* 15. *ff. h. t.* Reſp. per transfugam illic intelligi poteſt is, qui explorandi gratiâ transfugit, non hoſtili animo. Monachi quoque & Epiſcopi nullam rectè tutelam gerunt; reliqui verò clerici, licèt nec teſtamento nec à magiſtratu ad tutelam vocari poſſint, legitimi tamen tutores eſſe poterunt, ſi intra quatuor menſes ſe liberè tutelam ſuſcepiſſe declarent. *nov.* 123. *c.* 5. *auth. Presbyteros. C. de Epiſc. & Cleric.* abrogatâ pro parte. *l.* 25. *C. eod.* Non etiam ad tutelam admittendi milites. *l.* 14. *Inſt. de excuſ. tut. l.* 4. *C. qui dare tut.* nec illi, quos in ſuo taſtamento mater tutores eſſe vetuit. *l. un. C. ſi contra matris volunt.* non denique, quotquot alienâ magis tuitione ipſi indigent. *l.* 1. §. *pen. & ult. l. pen. ff. h. t. l. un. C. qui morbo ſe excuſ.* (III, IV, V.)

5. Dantur tutores perſonis, non rebus, niſi per conſequentiam. *l.* 12. *& ſeqq. ff. de teſtam. tut.* impuberibus ſui juris, non filiisfamilias, nec puberibus. *pr. Inſt. h. t. pr. Inſt. quib. mod. tut. fin.* nec ſervis, excepto caſu. *l.* 13. *ff. de tut. & curat. dat. ab his.* Legitimi autem, an illegitimi nati ſint impuberes, quibus tutor dandus eſt, nihil intereſt. *l.* 7. *ff. de confirm. tut. l. fin. C. quando mul. tut. off. fungi.* (VII.)

6. Cæterùm tutela olim alia ſexûs erat, in quâ perpetuo erant mulieres, donec alium defenſorem per nuptias nactæ eſſent: alia ætatis, de quâ hîc; quæ iterum vel teſtamentaria legitima vel dativa eſt. Tutores quoque non ejuſdem omnes conditionis ſunt; alii enim *honorarii* dicuntur, alii *notitiæ causâ dati*, alii denique *adminiſtratores. l.* 14. *ff. de ſolution.* (VIII.)

7. *Moribus.* Etiam certæ rei vel cauſæ tutor dari poteſt; & mulieres in maritorum tutelâ ſunt. Poſſunt autem etiam tutores eſſe, qui vectigalia conduxerunt, cum datis fidejuſſoribus pro vectigalium penſione conductores caveant. Et ſi debitores vel creditores pupillorum tutelam ſuſceperint, non ideo cadunt credito, aut ad ſolutionem iterato faciendam obligati ſunt.

TIT. II.

De Teſtamentaria Tutela.

1. Teſtamentaria tutela eſt, quâ pater aut avus paternus, non mater; liberis proximè in poteſtate conſtitutis, non emancipatis aut in alterius poteſtatem recaſuris, tutorem dat teſtamento vel codicillis teſtamento confirmatis. *l. 3. ff. h. t.* §. 3. *Inſt. de tutelis.* modò ex eo teſtamento vel unus tantùm ex ſcriptis hæredibus hæreditatem adierit. *l. 9. ff. h. t.* (I.)

2. Nec refert liberi nati ſint an poſthumi. §. 4. *Inſt. de tutel.* maſculi, an fœminæ. § *ult. Inſt. qui teſt. tut. dari.* inſtituti an exhæredati. *l. 4. ff. h. t.* Obſt. *l. 73.* §. 1. *ff. de reg. jur.* junct. *l.* 1. §. 10. *ff. de ſuis & legit. hæred.* Reſp. exhæredati conſiderantur ut ſui hæredes, donec adita fuerit hæreditas; cum aditione demum rata fiat & firma exhæredatio. *l. 20. ff. de bon. poſſeſſ. contra tab.* (II, III.)

3. Dantur autem tutores teſtamento vel purè, vel in diem, vel ſub conditione, vel ex die. §. 3. *Inſt. qui teſt. tut. dari. l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* Obſt. *l. 77. ff. de reg. juris.* Reſp. datio tutelæ, quæ fit teſtamento, non eſt actus legitimus, ſed tantùm ea, quæ fit à magiſtratu. (IV.)

4. *Moribus.* Tutorem impuberibus & curatorem puberibus (confuſo tutorum ac curatorum jure) teſtamento dare poteſt etiam mater, & avus ac avia paterni vel materni: eò quòd plerumque tutores teſtamentarii, præmiſsâ cognitione, à Magiſtratu confirmari ſolent. Qua de cauſa nec neceſſe videtur, ut per unum ex inſtitutis hæredibus ſit adita hæreditas, ad id ut tutori teſtamentario locus eſſet.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 28. de teſtamentaria tutela.*

TIT. III.

De Confirmando Tutore.

1. Tutor, qui non rectè teſtamento datus eſt, confirmari ſolet ab eo Magiſtratu, qui & tutorem dare poteſt. *arg. l. 5 ff. h t.* niſi ſubſit juſta non confirmandi cauſa. *l. 8. 9. ff. h. t.* Confirmatur autem vel ſine inquiſitione; quoties pater filio ſuo verbis precariis vel codicillis teſtamento non confirmatis tutorem dedit. *l. 1. §. 1. l. 3. 6. 7. ff. h. t.* Vel cum inquiſi-

inquiſitione : ſi mater aut avia tutorem dederit liberis etiam inſtitutis. *l. 4. ff. de Teſtam. tut. l. fin. ff. h. t.* vel pater filio naturali cui nihil reliquit. *d. l. 7. ff. h. t.* vel extraneus extraneo, quem hæredem inſtituit. *l. 4. §. ff. h. t.* [II, III, IV.]

2. Ex inquiſitione verò confirmatio tum demum fieri dicitur, cum exploratur, an bonis moribus tutor inſtructus ſit; an ſufficiente patrimonio; an ſatis idoneus ſeu habilis; & denique non ſe ingeſſerit. *l. 1. §. 2. ff h. t. lib. 21. §. ult. ff. de tut. & curat. dat. ab his, &c. l. 18. §. 1. ff. ad leg. Corn. de falſis.* (III.)

3. Cæterùm, licèt tutor confirmatus habeat pro ſe teſtatoris judicium. *l. 3. C. h. t. l. 32. in med. ff. de excuſ. tut.* dativis tamen potiùs quàm teſtamentariis tutoribus annumerandus eſt; eò quòd omnem autoritatem ex Magiſtratûs decreto habet. *l 26. §. ult. ff. de teſt. tut.* nec ante confirmationem ex neglecta adminiſtratione tenetur, nec ei currunt excuſationis tempora. *l. 2. C. h. t. l. 40. l. 58. §. 2. ff. de admin. tut. l. 13. §. 12. ff. de excuſ. tut.* [I.]

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 29 de confirm. tut.*

Tit. IV.
De Legitimis Tutoribus.

1. Deficiente tutelâ teſtamentariâ, locus eſt legitimæ. *l. 11. de teſtam. tut.* quæ legis beneficio citra factum hominis defertur agnatis, etiam jure novo cognatis proximis. *nov. 118. c. 5.* & patrono. *tit. Inſt. de legit. patron. tut.* quia æquum viſum eſt eò tutelæ onus redire, quò & hæreditas impuberis perventura creditur *l. 73. ff. de reg. jur. l. 1. pr. ff. h. t.* niſi fœmina intercedat, quæ licèt ſucceſſionem ſperet, tutrix tamen non eſt. *tit. Inſt. de legit. patron. tut. d. l. 73. d. l. 1. §. 1. ff. h. t.* exceptâ matre & aviâ, quæ, ſi voluerint, [neque enim coguntur] jure novo in tutela liberorum præferuntur omnibus agnatis à latere venientibus, modò renuncient Senatuſconſ. Velleiano, & ſecundis nuptiis, antea quidem jurejurando interpoſito, at jure poſteriori ſine eo. *l. 2. 3. & auth. ſubjunctis C. quando mulier tut. off. fungi poſſ.* Nec hiſce pater pupillorum poteſt tutelam adimere ſimpliciter prohibendo in teſtamento, ne tutrices ſint; niſi inſuper alium teſtamento tutorem det, qui matri & aviæ præfertur. [I, II.]

2. Præfertur autem mater aviæ in tutelâ; cum & in ſuc-

ceſſione potior ſit; niſi mater ſit minorennis. *arg. nov.* 118. *c.* 5. Sed ſi contra fidem datam mulier tutrix ad ſecunda vota tranſeat, ipſo jure à tutelâ repellitur. *auth. ſacramentum. C. quando mul. tut. off.* adeò ut nec pater posſit teſtamento diſponere, ne iterato nubens removeatur. *arg. l.* 55. *ff. de legat.* 1. junct. *l.* 22. *verſ. ſervi autem C. de admin. tut.* Licèt tutor maneat maſculus, qui à patre pupillorum teſtamento datus, viduam ejus uxorem duxit, & ita vitricus factus eſt. *l.* 32. §. 1. *ff. de adopt. l.* 3. *C. de contrah. tut. judic.* (II, III.)

3. *Moribus.* Legitimi tutores hodie non niſi prævio magiſtratûs decreto ad tutelam vocantur; ſic ut & ex pluribus in pari gradu conſtitutis maximè idoneus eligi posſit; nonnunquam & parentibus extranei tutores adjungi, ubi juſta magiſtratum ratio moverit.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 30. *de legit. tutoribus. tit.* 33. *quando mulier tutelæ offic. fungi poſſit.*

TIT. V.

De Tutoribus & Curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent, &c.

1. TUtela dativa eſt, quam magiſtratus major, vel municipalis, ſi facultas pupilli non excedant 500. aureos, ex poteſtate, ſibi ſpecialiter lege, Senatuſconſulto aut Principis conſtitutione conceſſâ, defert. *l.* 6. §. 2. *ff. de tutelis.* §. 5. *Inſtit. de Attil. tut.* unde & hæc tutelæ datio nec ordinariæ juriſdictionis eſt. *d. l.* 6. §. 2. nec alteri demandari poteſt. *l.* 8. *ff. h. t.* eique locus eſt, quoties vel planè deficit teſtamentaria & legitima, vel teſtamentaria adhuc in ſuſpenſo eſt & ſperatur. *pr. &* §. 1. *Inſt. de Attil. tut. l.* 11. *ff. de teſt. tut.* (I.)

2. Dantur autem illis tantùm pupillis, qui ſubſunt dantis juriſdictioni ratione patrimonii vel domicilii vel originis. *l. un. C. ubi pet. tut. l.* 27. *ff. h. t.* nec alii tutores dantur, quàm qui etiam juriſdictioni dantis ſubjecti ſunt. *l.* 3. *l.* 24. *ff. h. t.* & idonei facultatibus, induſtriâ, moribus. *l.* 21. §. 5. 6. *ff. h. t.* Nemo tamen ſemetipſum rectè tutorem dat. *l.* 4. *ff. h. t.* licèt collega collegam tutorem dare non prohibeatur. *l.* 19. §. 1. *ff. h. t. l.* 3. *ff. qui pet. tut.* quem tamen invitum ad eam ſuſcipiendam cogere nequit. *arg. l.* 14. *ff. de manumiſſ. l.* 13. §. 4. *ff. ad Senatuſc. Trebell.* (II, III, IV.)

3. *Mori-*

3. *Moribus.* Tutores dantur hodie à camerà pupillari, aut eâ deficiente, ab ordinariis Magiſtratibus illius loci, in quo pupillus moratur, non, ubi res habet. Poteſt & Hollandiæ Curia furioſo, prodigo & amenti curatorem dare.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 34 qui dare tut. vel curat. poſſ. tit. 33. de tut. & curat. illuſtr. perſonarum. tit. 47. ſi cont. volunt. matr. tut. dat. ſit.*

TIT. VI.

Qui petant Tutores.

1. QUidam ex libera voluntate tutores pupillis poſtulant, quales agnati remotiores, affines, amici, familiares, &c. *l. 2. pr. ff. h. t.* quidam tenentur, puniendi, ſi id prætermiſerint. Ita mater & avia privandæ ſucceſſione impuberum intra pubertatem (non poſtea. *l. 3. C. ad Senatuſc. Tertull.*) morientium, ſi iis intra annum, ex quo ipſæ vel noluerunt vel non potuerunt tutrices eſſe, tutorem non petierint. *l. 2. §. 1. ff. h. t. l. 2. §. 32. & ſeqq. ff. ad SConſult. Tertull.* ſive nullo modo petierint, ſive petierint quidem, ſed excuſato eo tutore, alium ejus loco petere neglexerint, aut cum non rite teſtamento datus eſſet, eum confirmari non curaverint. *l. 2. §. 1. l. 4. pr. & §. 2. ff. h. t. l. 2. §. 32. ff. ad SConſult. Tertull.* Eadémque obtinent in omnibus proximis cognatis, qui ſucceſſionem impuberis ab inteſtato vel ex ſubſtitutione ſperantes, tutorem ei non poſtulaverint. *l. 10. C. de legit. hared* (I, II, III.)

2. Libertus autem, ſi patroni liberis tutorem non petat, à Magiſtratu puniendus eſt. *l. 2. §. 1. in fin. ff. h. t.* Nec ceſſant hæ pœnæ propter juris ignorantiam. *l. fin. C. h. t.*

3. *Moribus.* Licèt & hodie pietatis ratio poſtulet, ut mater aut agnati proximi impuberibus tutores vel puberibus curatores petant; ſi tamen id neglexerint, non ideo ſucceſſione privantur, quandocumque mortui fuerint illi, quibus non curarunt proſpici.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 31. qui petant tut. vel curat. tit. 32. ubi pet. tut. vel curat.*

Tit. VII.

De Adminiſtratione & periculo Tutorum, &c.

1. Tutor ſimul ac ſe datum noverit, tutelam tenetur adminiſtrare. *l.* 8. *C. h. t.* præmiſsâ tamen triplici cautione; puta repromiſſione de pupillo defendendo. *l. fin.* §. 4. *C. h. t. l.* 32. *C. de Epiſcop. & Cleric.* cautione juratoriâ de omnibus ex utilitate pupilli gerendis. *auth. quod nunc C. de curat. furioſ.* ac denique ſatisdatione rem pupilli ſalvam fore. *tit. ff. rem pup. ſalvam fore.* quamvis non omnes, ſed ſoli legitimi ac ſine inquiſitione dati, rariùs teſtamentarii, hanc præſtent. *pr. Inſt. de ſatiſd. tut.* (I, II.)

2. His adjungenda inventarii ſolennis confectio, intra tempus arbitrio Judicis definiendum (cùm nuſpiam illud expreſſum ſit) abſolvenda. *l.* 24. *C. h. t.* adeò ut ob neglectum bonorum repertorium adversùs tutorem in litem jurari poſſit. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi is juſtam habeat excuſandi cauſam. *d. l.* 7. aut pater pupilli ei remiſerit inventarii conſcriptionem. *l. ult.* §. 1. *C. arbitr. tut.* ſimplicem enim bonorum adnotationem, quæ ad rationes reddendas eſt neceſſaria, remitti non poſſe, verius eſt. *arg. l.* 5. §. 7. *ff. h. t.* junct. *l.* 119. *ff. de legat.* I. (III, IV, V.)

3. In ipsâ autem adminiſtratione eam adhibeat diligentiam, quam in ſuis rebus ſolet diligens paterfamilias: omnia expendat, quæ ex utilitate vel honore pupilli eroganda videntur pro quantitate patrimonii & dignitate natalium. *l.* 12. 13. *ff. h. t. l.* 16. *C. eod.* Non tamen temere & ſine causâ donet. *l.* 46. §. *ult. ff. h. t. l.* 1. §. 1. *ff. de tut. & ration. diſtrah.* Inſuper res pupillorum ſartas tectas tueatur. *l.* 22. *verſ. nec vero domum C. h. t.* debita ſolvat, ut pœnam evitet aut uſurarum præſtationem. *l.* 23. *ff. h. t.* ſive extraneo pupillus ſive ipſi tutori debeat; cùm tutor ſibi quoque ſolvere poſſit ſine decreto. *l.* 9. §. 5. 7. *ff. h. t.* excepto caſu in *l.* 1. §. 12. *ff. ad Senatuſc. Trebell.* & *l.* 3. §. 6. *ff. de contrar. tut. & utili act.* Adhæc conditiones, ex quarum implemento lucrum pupillo obventurum eſt, adimpleat. *l.* 21. *C. h. t.* pupillum in judicio defendat, & pro eo actiones inſtituat, modò juſtam habeat litigandi cauſam. *l.* 9. §. 6. *ff. h. t. l.* 6. *l.* 11. *l.* 28. *C. h. t.* debita ab aliis & à ſe exigat. *l.* 40. §. *ult. ff. h. t.* pecuniam pupillarem

fœnori

fœnori collocet, aut in emptiones prædiorum impendat. *l.* 3. §. 2. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 24. *C. h. t.* ſi neutrum fecerit, initio quidem tutelæ poſt ſex, deinde verò poſt duos menſes ad uſuras tenetur. *l.* 7. §. 11. *l.* 15. *ff. h. t.* quamvis jure novo ſatisfaciat, ſi pecuniam pupillarem aſſervet; niſi pupillo ſufficientes deſint aliunde reditus, quo caſu adhuc tenetur in fœnore nummos ponere. *Nov.* 72. *c.* 6. 7. (VI, VII, VIII. & ſeqq.)

4. Quo modo & quo ordine tutores conveniendi ſint, libr. ſeq. dicendum.

5. *Moribus.* Quo modo tutores cavere debeant, an fidejuſſoribus an repromiſſione, id totum ex Judicis arbitrio dependet. Uti & Judex, perpenſis circumſtantiis, æſtimat, an inventarii ſolennis confectio tutori injungenda an remittenda ſit, prout id maximè ſuaſerit pupilli utilitas. Arbitrarium quoque tempus eſt, intra quod hodie tutor pupillarem pecuniam fœnori collocet; quem ſi Judex admodum negligentem in eo deprehenderit, ad pecuniæ otioſæ uſuras vel id quod intereſt pupillo condemnabit.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 37. *de admin. tut. tit.* 38. *de peric. tut. vel curat. tit.* 42. *de tut. vel curat. qui ſatis non dedit. tit.* 49. *ubi pup. educari debeat. tit.* 50. *de aliment. pupillo praſt.*

TIT. VIII.

De Authoritate & conſenſu Tutorum & Curatorum.

1. AUthoritas eſt conſenſus de præſenti, & probatio ejus quod geritur, quæ interponenda expreſsè, & purè, licèt negotium ſub conditione contraheretur. *l.* 8. *ff. h. t.* per tutorem præſentem & ſcientem quid agatur. *l.* 14. *ff. h. t.* (non invitum detentum, aut ignorantem. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* non abſentem. *d. l.* 14. *ff. h. t.*) ac denique in ipſo negotio. §. 2. *Inſt. h. t.* ejúſque vel initio. *l.* 31. *ff. de uſucap.* vel fine, antequam ad alia digreſſi ſunt contrahentes. *l.* 25. §. *ff. de acquir. hered.* non poſt tempus. *d.* §. 2. *Inſt. h. t.* (I.)

2. In quibuſdam autem negotiis neceſſaria non eſt tutoris authoritas; puta ſi pupillus meliorem faciat conditionem, nec ſe alteri viciſſim obliget. ~~*pr. Inſt. h. t.*~~ Quamvis & ſine tutoris authoritate nonnunquam obligari poſſit; veluti ex delictis. *l.* 111. *ff. de reg. jur.* §. *pen. Inſt. de obl. quæ ex delict.* & pleriſque

riſque quaſi contractibus, in quibus ex re ipſa naſcitur obligatio. *l.46. ff. de obl. & act.* (II.)

3. In pleriſque aliis eſt neceſſaria ; non modò in contractibus utrimque obligatoriis, qui deficiente tutoris autoritate claudicaturi eſſent,& ſolum eum,quocum pupillus contraxit, obligaturi. *d. pr. Inſt. h. t.* ſed & in adeundâ hæreditate ut ut lucroſâ. *d pr. Inſt. h.t.* (III, IV.)

4. Quandoque tamen ne adhibita quidem ſufficit tutoris authoritas,puta in rebus pupillorum immobilibus alienandis,de quo alibi ; ut & in ſolutione pupillis faciendâ, quam debitor non ſatis tutò facit interpoſitâ ſolâ tutoris autoritate ; ſed inſuper Judicis decretum intervenire neceſſe eſt. *§. ult. Inſt. quib. alien. licet.* niſi ſolvendæ ſint uſuræ biennii tantùm aut brevioris temporis centum aureorum quantitatem non excedentes. *l. 27. C. de admin. tut.* (V, VI, IX.)

5. Quòd ſi plures ejuſdem pupilli tutores fuerint, unius ſufficit autoritas. *l. 4. ff. h t.* niſi agatur de pupillo adrogando. *l. ult. C. h. t.* Nec refert,autor fiat tutor adminiſtrator,an honorarius qui non adminiſtrat. *l. 14. §. 1. ff. de ſolution.* niſi tutori interdicta fuerit adminiſtratio ; qualis non rectè autor eſt. *d. l. 14. §. 1.* atque ita intelligenda *l. 4. ff. h. t.* Si tamen tutela per regiones aut partes diviſa ſit inter tutores,quiſque tantùm reſpectu ſuæ partis, nullus in parte alteri commiſsâ autor fit. *l. ult. C. h. t.* (VII.)

6. Licèt autem officii ratio tutorum obliget ad autoritatem interponendam, ad id tamen invitus cogi nequit, cùm judicio tutelæ pupillo ſatis proſpectum videatur,ſi ex denegatâ autoritate læſus ſit. *l. 17 ff. h. t.* (VIII)

7. *Moribus.* Ratihabitio tutoris vel curatoris poſt tempus interpoſita negotium à minore geſtum confirmat ; quod aliàs deficiente ratihabitione ipſo jure nullum foret. Quòd ſi evidens in negotio contrahendo appareat minorum utilitas,tutor ad interponendam autoritatem hodie cogi poteſt. Cæterùm,præſuppoſitâ perpetuâ maritorum in uxores curâ mulieres ſine maritorum conſenſu vel ratihabitione contrahentes nihil agunt ; ſic ut nec maritus obligetur,nec mulier ipſa ex tali contractu ſtante vel ſoluto matrimonio conveniri in Hollandiâ poſſit : quamvis Ultrajecti mulier ſolutò matrimonio rectè conveniatur, aut hæredes ejus. Si tamen uxor publica mercatrix ſit, & quà talis contraxerit,vel etiam circa ea, quæ victum & amictum ac œconomiam in genere ſpectant, ſe & maritum hactenus rectè obligat.

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 59. de autor. præſt.*

TIT.

TIT. IX.

Quando ex facto Tutoris vel Curatoris minores agere vel conveniri poſſunt.

1. MInoribus ex facto tutorum utiles acquiruntur obligationes & actiones. Quâ ratione ex pecunia pupillari, per tutorem mutuo datâ, certi condictio, aut ſi tutor in judicio ſuperaverit, actio judicati; ſi prædia pupillaria elocaverit, locati; ſi res ex pecunia pupilli comparaverit, utilis rei vindicatio; ſi tutori pro pupillo debitum conſtitutum, actio de conſtituta pecunia pupillo competit. *l.* 5. §. 9. *ff. de conſtit. pecun. l.* 2. *l.* 6. *ff. h. t. l.* 2. *l.* 4. *C. eod.* (I.)

2. Vice verſâ etiam ex tutoris facto pupillus convenitur; veluti, ſi pecuniam mutuo acceptam tutor in rem pupilli verterit. *l.* 3. *C. h. t.* aut pro pupillo condemnatus ſit. *l.* 7. *ff. h. t. l.* 1. *C. h. t.* Quid quòd & ex tutoris dolo rectè pupillus conveniri poſſit; adhibitis tamen diſtinctionibus: nam ſi extrinſecus à tutore dolus ſit admiſſus, pupillo haud nocebit. *l.* 4. *ff. h. t.* Sin in ipſis rebus pupillaribus dolum tutor fecerit, ſi quidem pupillus inde ſit factus locupletior, non dubium, quin teneatur ſaltem quatenus ad eum pervenit. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 21. §. 1. *ff. de peculio. l.* 15. *ff. de dolo. l.* 4. §. 23. *ff. de doli mali & met. except.* ſed ſi nihil inde ad pupillum pervenerit, pupillus conveniri nequit, ſi tutor ſolvendo non ſit, eo verò ſolvendo exiſtente, pupillus ex ejus dolo tenebitur, regreſſum contra ipſum judicio tutelæ habiturus. *l.* 1. §. 6. *ff. ne vis fiat ei qui in poſſ. l.* 1. *ff. h. t.* Ut tamen ſemper conventus pupillus à judicio liberari poſſit, ſi actiones actori cedat contra tutorem, *l. fin. in med. ff. de admin. tut. l.* 3. §. 1. *ff. de tribut. act.* atque ita effectû inſpecto, non nocet pupillo dolus tutoris. Juxta *l.* 198. *ff. de reg. jur.* [II, III, IV.]

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 39. *quando ex fact. tut. minor, agere vel conven. poſſut.*

TIT.

Tit. X.

De ſuſpectis Tutoribus & Curatoribus.

1. SUſpectus dicitur, qui non ex fide tutelam gerit. Quaſi ſuſpectus; qui non ex fide tutelam geſturus eſt. §. 5. *Inſt. h. t.* Poſſunt autem ut ſuſpecti poſtulari cujuſcunque generis Tutores, teſtamentarii, legitimi, & dativi, etiam ipſi parentes & patroni, modò parcatur eorum famæ. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* idque durante tutelâ, non item eâ finitâ; cùm hæc ipſa accuſatio non ad aliud tendat primariò, quàm ut Tutor removeatur, & ejus intuitu finiatur tutela. *l.* 1. *C. h. t.* §. 8. *Inſt. h. t.* [I, II, III.]

2. Suſpectum poſtulare poſſunt quivis è populo, etiam fœminæ favore pupillorum. §. 3. *Inſt. h t.* contutor quoque contutorem. *l.* 1. *C. de peric. tut.* Nemine verò accuſante, in ſubſidium ſervus tandem pupillaris, fraudem tutoris detegens, audiendus eſt. *l. ult. ff. h. t.* vel etiam prætor ipſe dolum manifeſtum tutoris deprehendens, eundem nullo urgente removebit. *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* Non tamen ipſe pupillus rectè ſuſpectum tutorem poſtulaverit, ne autore quidem contutore: quamvis id minori liceat, reſpectu curatoris, ex conſilio neceſſariorum. §. 4. *Inſt. h. t.* Obſt. *l.* 7. *C. h. t.* Reſp. vel delenda vocula *tuarum:* vel intelligenda lex de tutelâ ſexûs. [IV, V.]

3. Remotio autem tutoris non ab aliis fit Magiſtratibus, quàm quibus id lege datum eſt. *arg.* §. 1. *Inſt. h. t.* *l.* 1. §. 11. *ff. ad Senatuſc. Turpill.* licèt propter utilitatem pupillorum ſuſpecti tutoris cognitio alteri mandari poſſit. *l.* 4. *ff. de off. ejus cui mand. juriſd.* *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* [VI.]

4. Effectus accuſationis eſt, quod eâ pendente, tutori interim adminiſtratio adimatur. §. 7. *Inſt. h. t.* &, ſi probentur ea, quorum accuſatus eſt, removeatur, ac infamiâ notetur ob dolum latámve culpam, non item ob levem. §. 6. *Inſt. h. t.* junct. *l.* 226. *de verb. ſignif.* *l.* 1. *ff. ſi menſ. falſ. med.* quandoque etiam graviùs coërceatur pœnâ corporali. §. 9. 10. 11. *Inſt. h. t.* [VII.]

5. *Moribus.* Remotus ob dolum non fit infamis, niſi concurrat delictum per ſe infamans.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 43. *de ſuſpect. tut. & curat.*

LIBER

LIBER XXVII.

TIT. I.

De excuſationibus Tutorum.

1. CUm tutela ſit munus publicum, quiſque eam adminiſtrare cogitur, ſi tutor datus fuerit, niſi ſe excuſet. Eſt autem excuſatio *juſta cauſa allegatio, quâ quis tutelæ vel curæ onus deprecatur* : quæ facienda, citatis pupillorum propinquis, aut ipſis minoribus. *arg. l.* 1. *C. ſi tut. vel curat. falſ. alleg. excuſ. l.* 11. *§.* 2. *ff. de minor.* vel dato impuberibus curatore ad refellendam tutoris excuſationem. *arg. §. ult. Inſt. de autor. tut.* Non tamen per libellum rectè fit excuſatio, cùm cauſæ cognitionem deſideret. *l.* 15. *ff. h. t.* junct. *l.* 71. *ff. de reg. jur.* licèt libellus offerri poſſit excuſationis conteſtandæ gratiâ, ut præſcriptio ſummoveatur; non, ut fiat de excuſatione diſceptatio. *l.* 13. *§.* 10. *ff. h. t.* [1, 11, VI.]

2. Cauſæ juſtæ excuſationis ſunt variæ; puta numerus liberorum Romæ trium, in Italiâ quatuor, in Provinciis quinque; modò naturales & legitimi ſint, viventes, ac primi gradûs: non naturales tantum aut adoptivi. *l.* 2. *§.* 3. *ff. h. t.* non mortui, niſi in acie perierint; nec ulterioris gradûs liberi, niſi mortuo patre intermedio, quo caſu nepotes quotquot numero fuerint, unius perſonæ, parentis ſc. perſonam repræſentabunt. *pr. Inſt. h. t.* Tria quoque onera tutelæ non affectatæ. *§.* 5. *Inſt. h. t.* niſi tutela ſit admodum laborioſa; quo caſu vel una ſufficit. *l.* 31. *§. ult. ff. h. t.* vel tres leves, aut una ex illis brevi ſit expiratura; quo caſu & quarta ſuperaddi poſſet. *l.* 15. *§.* 15. *l.* 17. *ff. h. t.* Adhæc inimicitiæ capitales. *§.* 11. *Inſt. h. t.* Poteſtas, dum quis Magiſtratus eſt creatus, ſive major ſive municipalis. *§.* 3. *Inſt. h. t. l.* 6. *§.* 16. *ff. h. t.* nec obſt. *l.* 23. *ff. h. t.* agit enim de eo qui necdum Magiſtratus eſt, ſed magiſtratum *adminiſtraturus.* Præterea dignitas ſenatoria reſpectu tutelæ plebeiorum; non Senatorum. *l.* 15. *§.* 2. 3. *ff. h. t.* Adminiſtratio rerum fiſci vel Principis. *§.* 1 *Inſt. h. t. l.* 41. *ff. h. t.* Conductio vectigalium publicorum, ſeu fiſci. *l.* 8. *§.* 1. *ff. de vac. & excuſ. mun. l. pen.*

§. 10. ff. de jure immunitat. non civitatum. *l.* 15. *§.* 10. *ff. h. t. arg. l.* 16. *ff. de verb. ſignif.* Mutatio domicilii, jubente Principe. *l.* 12. *§.* 1. *ff. h. t.* Artes liberales, Grammatica, Rhetorica, Medicina, modò intra ſtatutum numerum ſint, qui eas exercent. *§.* 15. *Inſt. h. t. l.* 6. *§.* 2. *ff. h. t.* Paupertas, adverſa valetudo. *§. 6. 7. Inſt. h. t.* Imperitia literarum, ſi conjuncta ſit cum imperitiâ negotiorum. *l.* 6. *§. ult. ff. h. t.* Abſentia reipublicæ causâ, tam reſpectu eorum, qui principaliter abſunt, quàm reſpectu Comitum & Miniſtrorum. *§.* 2. *Inſt. h. t. l.* 41. *§.* 2. *ff. h. t.* Ætas annorum ſeptuaginta §. 13. *Inſt. h. t. l.* 2. §. 1. *ff. de vacat. & excuſ. mun.* Excuſantur denique etiam legum Doctores Romæ docentes. *l.* 6. *§.* 12. *ff. h. t.* & Principis Conſiliarii. *l.* 30. *ff. h. t.* nec non Philoſophi. *l.* 6. *§.* 7. *ff. h. t.* (VIII, IX, X, XI, XII.)

3. Quamvis autem pleræque ex cauſis enumeratis à tutelâ tantùm ſuſcipiendâ, non item à ſuſceptâ excuſent: quædam tamen ſunt, quæ & à ſuſceptâ excuſationem præbent, qualis eſt abſentia reipublicæ causâ. §. 2. *Inſt. h. t.* mutatio domicilii juſſu Principis facta. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* ſenatoria dignitas. *l.* 15. *§.* 3. *ff. h. t.* valetudo. *l.* 40. *ff. h. t.* patriciatûs honor. *l.* 30. *ff. h. t. l.* 11. *§.* 2. *de minor.* (VII.)

4. Quòd ſi plures cauſæ imperfectæ concurrant, ad excuſationem non ſunt profuturæ. *l.* 15. §. 11. *ff. h. t.* At ſi quis plures habuerit, quæ per ſe ſingulæ ſufficiunt, vel omnes ſimul, vel una poſt alteram proponi poteſt; modò vel ſimul vel ſeparatim proponantur intra dies quinquaginta continuos, à tempore ſcientiæ & aditæ hæreditatis aut exiſtentis conditionis ſub quâ tutor datus eſt, computandos. *l.* 13. *§.* 8. *l.* 21. *§.* 1. *l. pen.* §. 1. *ff. h. t.* §. 16. *Inſt. h. t.* ac intra quatuor menſes, ex quo quis tutor nominatus eſt, probentur. *l.* 38. *ff. h. t.* (III, IV.)

5. An autem tutor ſe electum ſciverit, an ignoraverit, id ipſum facti eſt, adeóque probandum: ut tamen & præſumptionibus locus ſit; quatenus nonnunquam ſcientia præſumitur, ut tutori incumbat ignorantiæ probatio, fortè ſi præſens fuerit. *l pen. C. de peric. tut.* nonnunquam ignorantia, adeò ut ipſi pupillo onus probandi ſcientiam ſit imponendum; fortè ſi tutor abſens datus fuerit, ſicut hîc circumſtantiæ multum conferant. *l.* 6. *ff. de adminiſtr. tut.* (IV. in fine.)

6. Si autem ex falſa cauſa quis excuſationem meruerit, periculum tutelæ nihilòminus ad eum ſpectat. *l.* 1. *C. ſi tut. vel curat. falſ. alleg. §. ult. Inſt. h. t.* (V.)

7. Mori-

2. *Moribus.* Quæ ſint juſtæ excuſationis cauſæ, maximè ex magiſtratuum arbitrio ac prudentiâ dependet.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 62. *de excuſ. tut. & curat. tit.* 63. *ſi tut. vel curat. falſ. alleg. excuſ. tit.* 64. *ſi tut. vel cur. reipubl. cauſ. abſ. tit.* 65. *de excuſ. veteran. tit.* 66. *qui numero liber. tit.* 67. *qui morbo. tit.* 68. *qui ætate. tit.* 69. *qui numero liberor.*

TIT. II.

Ubi pupillus educari vel morari debeat, & de Alimentis ei præſtandis.

1. PUpillus in tutela conſtitutus regulariter educandus apud eum, quem pater deſignaverit, niſi is ſuſpectus ſit, alioquin apud matrem, niſi illa vitricum ſuperinduxerit; tunc enim apud alios educandus cognatos: ſed non facilè apud eos, qui ſucceſſionem pupilli ſperant, ne forſan ei ſtruant inſidias. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. 2. *C. h. t.* nec apud tales, qui pudicitiæ pupillorum poſſent inſidiari. *l.* 5. *ff. h. t.* (I.)

2. Commoda etiam pupillo alimenta decernenda ſunt, plerumque prætoris arbitrio pro modo facultatum; aliquando & ſine prætore, ne pandantur arcana patrimonii. *l.* 2. *C. de alim. pup. præſt.* ut tamen auctis facultatibus alimenta quoque augeri poſſint, iis verò diminutis & hæc diminuenda ſint. *l.* 3. *pr.* §. 1. *& ult. ff. h. t.* Si tutor latitet, ne alimenta pupillo decernantur, pupillus in poſſeſſionem bonorum tutoris mittitur: ſin præſens per mendacium neget, alimenta pupillo decerni poſſe, ad Præfectum urbis puniendus mittitur. §. 9. 10. *Inſt. de ſuſp. tut.* (II, III.)

3. *Moribus.* Pupillus etiam apud proximos ſucceſſionem ſperantes, & matrem, quæ vitricum ſuperinduxit, educari poteſt, niſi juſtæ cauſæ aliud ſuadeant.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 49. *ubi pup. educ. deb. tit.* 50. *de aliment. pup. præſt.*

Tit. III.

De Tutelæ & rationibus diſtrahendis & utili curationis cauſâ actione.

1. Finitâ tutelâ; per pubertatem, conditionis, aut diei exiſtentiam, capitis diminutionem omnem pupilli, maximam & mediam tutoris, mortem tam pupilli quàm tutoris, excuſationem, aut remotionem. (*tit. Inſt. quib. mod. tut. fin.*) ex adminiſtratione ejus datur actio tutelæ directa & contraria: utraque generalis quidem; ita tamen, ut iterato agi poſſit de ſpecie, de quâ ante actum non erat. *l. 2. C. de judic.* (11.)

2. Directa eſt actio civilis bonæ fidei. *§. 28. Inſt. de act.* quæ pupillo datur, & hæredi ejus, licèt hæres non habeat pupilli privilegium. *l. 42. ff. de admin. tut.* Contra tutorem & hæredem ejus, ut reddat rationes adminiſtrationis, in loco ubi geſſit. *l. 1. 2. C. ubi de ratiocin. l. 1. §. 3. ff. h. t.* examinandas deinde, an juſtæ ac probæ ſint imputationes iis comprehenſæ, accepta rectè relata, &c. *arg. l. 28. l. 111. ff. de condit. & demonſtrat. l. 6. §. ult. ff. de ſtatu lib.* (IV, V, VI, VII.)

3. Inſuper ut res juxta inventarium reſtituat, reliqua ſolvat. *l. 9. l. 20. §. 1. l. 28. §. 4. ff. de liberat. leg. l. 69. §. 4. ff. de evictïon.* unà cum uſuris ſi moram fecerit. *l. 7. §. pen. & ult. ff. de admin. tut. l. 2. C. de uſur. pupill. l. 7. §. 1 ff. de admin. tut.* aut pecuniam pupillarem in ſuos uſus converterit. *l. 47. §. 6. ff. de admin. tut.* Quæ reliqua etiam ſolvenda, licèt pupilli pater vel ipſe pupillus pubes factus tutori rationum redditionem remiſerit. *l. 5. §. 7. ff. de admin. tut. l. 20 §. 1. l. 28. §. 4. l. ult. §. 2.* (ubi delenda particula *non.*) *ff. de liberat. legat. l. 72. §. 3. ff. de condit. & demonſtr.* [VIII, IX, X, XI.]

4. Denique, ut damna reparet dolo, latâ vel levi culpâ datâ. *l. 1. ff. h. t. l. 23. ff. de reg. jur.* exceptis caſibus in *l. 5. §. 7. l. 7. §. 2. ff. de admin. tut. l. 2. C. arbitr. tutelæ.* ubi ſolum dolum & culpam latam tutor præſtat, excepto quoque caſu *l. 53. §. 3. ff. de furtis.* ubi de leviſſimâ tenetur, quia ſe obtulit: cui & addi poteſt, ſi in ſuis rebus ſit diligentiſſimus. *arg. l. 1. ff. h. t.* [XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII.]

5. Quòd ſi curator curam geſſerit, utilis curationis cauſâ actio datur; etiam *utilis negotiorum geſtorum* appellata; *l. 7.*

C. arbit. tut. ad eadem, quæ tutelæ actione continentur, tendens. *l.* 20. §. 1. *ff. h. t.* Et ſi quidem bonorum omnium curator ſit; quia talis tutori ſimilis, finitâ demum curâ actioni locus erit. *l.* 2. *l.* 14. *C. de admin. tut.* ſin certæ rei vel cauſæ ſit curator, etiam curâ durante conveniri poteſt. *l.* 26. *ff. de admin. tut. l.* 4. §. *ult. l.* 16. §. *ult. ff. h. t. l.* 2. *l.* 14. *C. admin. tut. l.* 4. §. *ult. l.* 16. §. *ult. ff. h. t. l.* 26. *ff. admin. tut. l.* 1. §. 3. *ff. de contrar. tut. act.* [XX.]

6. Præter directam tutelæ actionem etiam finitâ tutelâ de rationibus diſtrahendis actio eſt prodita. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* quæ eſt ex delicto pœnalis mixta in duplum, competens pupillo & ejus hæredibus, contra tutorem, non hæredem ejus, niſi quatenus ad eum pervenit, quoties tutor durante tutelâ ex bonis pupilli quid interverterit, & ita rationes turbaverit. *l.* 1. §. 19. *& ſeqq. &* §. 23. *l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* (XIX.)

7. Poteſt autem cum hâc actione concurrere actio furti & Legis Aquiliæ, aliæque ſimiles, nec altera per alteram perimitur. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Concurrit & tutelæ actio; ſed ſi priùs actum fuerit tutelæ judicio, actio de rationibus diſtrahendis ceſſat quidem quantum ad rem, quomodo limitanda. *l.* 1. §. 21. *ff. h. t.* non verò quoad pœnam. *arg. l.* 7. §. 1, *ff. de condict. furt. l.* 7. §. 1. *ff. commodati.* (XIX.)

8. *Moribus.* Tutela non pubertate, ſed majorennitate finitur, confuſis tutelæ & curæ juribus. Rationes verò etiam durante tutelâ quotannis per tutorem reddendæ, niſi aliud teſtatori tutorem conſtituenti vel Magiſtratui viſum fuerit.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 51. *arbitrium tutelæ.*

TIT. IV.

De contraria Tutelæ & utili actione.

1. Contraria tutelæ actio eſt prætoria. *l.* 1. *ff. h. t.* quæ finitâ tutelâ tutori hæredique ejus datur contra pupillum & hæredes ejus. *l.* 1. §. 3. *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* ad id ut conſequatur quod ſibi abeſt ratione tutelæ adminiſtratæ, unà cum uſuris; niſi potuerit ſibi antea ex pupillari pecuniâ ſatisfacere. *l.* 3. §. 3. 4. *ff. h. t.* [I, II, III, VII.]

2. Nec refert, quòd fortè non expedierit pupillo, has aut illas impenſas per tutorem factas eſſe; ſufficit enim, quòd niſi caſus ſuperveniſſet inexpectatus, utiles eſſe potuiſſent. *l.* 3. §. 7. *ff. h. t.* utì nec intereſt, utrùm durante tutelâ, an ante aut

aut poſt eam tutor erogaverit; ſi modò ex cauſis & negotiis tutelæ connexis. *l.* 3. §. 8. *ff. h. t.* aliàs enim magis negotiorum geſtorum quàm tutelæ actio inſtituenda foret. *l.* 13. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* (IV.)

3. Quòd ſi ultra tutor expenderit, quàm patiebantur patrimonii pupillaris vires, tamen & hoc repetit, quoties id fieri pupillo expedierit. *l.* 3. *pr. ff. h. t.* (V, VI.)

4. Petit inſuper hac actione tutor, ſe liberari à fidejuſſione, & bona ſua à nexu pignoris, ſi ſe vel ſua obligaverit pro pupillo. §. 2. *in fin. Inſt. de oblig. ex quaſi contractu.* Etiam ſibi cedi actiones adversùs contutores, niſi ex propriâ culpâ aut proprio vel communi dolo ſolverit. *l.* 1. §. 13. 14. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* quamvis & ſine ceſſione utiles intentare poſſit actiones contra contutorem. *l.* 2. *C. h. t.* *d. l.* 1. §. 13. (IX, X, XI, XII.)

5. Quod autem contrario petitur tutelæ judicio, id etiam per compenſationem ſervari poſſe conſtat, quoties habiles inveniuntur compenſationis termini. *l.* 1. § 4. *ff. h. t.* (VIII.)

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 58. *de contrario judicio.*

TIT. V.

De eo qui pro Tutore vel Curatore negotia geſſit.

1. PRo tutore gerere dicitur, qui cùm tutor non eſſet, pupillaria tamen negotia tanquam tutor, adminiſtrat, ſive ſciverit ſe tutorem non eſſe, ſive ignoraverit. *l.* 1. *ff. h. t.* Ex qua geſtione actio protutelæ naſcitur, directa & contraria. (I.)

2. Directa pupillo datur contra protutorem, qui tenetur de geſtis, & non de geſtis quæ attigit: non item de iis, quæ non attigit, niſi alius ea geſturus fuiſſet. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Quòd ſi primò quidem ſe tutorem crediderit, deinceps verò errore comperto velit deſiſtere, neceſſarios pupilli tenetur certiores reddere, ut illi tutorem pupillo petant. *d. l.* 1. §. *ult.* (II.)

3. Contraria protutori competit contra pupillum ad id, ut indemnis ſervetur. *l. ult. ff. h. t.* & generaliter in his protutoribus ac protutelæ actionibus eadem ferè, quæ in veris tutoribus & tutelæ judicio, obtinent. *arg. l.* 4. *ff. h. t.* eo excepto,

quòd

quòd rerum pupillarium alienatio à protutore facta non ſit valida, uti quidem eſt ea, quæ fit à tutore. *l. 2. ff. h. t.* quódque protutelæ actio durante adhuc adminiſtratione locum habeat. *l. 26. ff. de admin. tut. l. 1. §. 3. ff. h. t.* (111.)

* Adde *ex Cod. lib. 5. tit. 45. de eo qui pro tutore negotia geſſit.*

TIT. VI.

Quod falſo Tutore authore geſtum eſſe dicetur.

1. QUiſquis ſciens ſe tutorem non eſſe, pupillo tamen per dolum autor fit, quaſi tutor eſſet, actione in factum tenetur ei, qui cum pupillo contraxit, ad id, quod intereſt. Ipſi etiam pupillo obſtringitur, ſimili in factum actione, ſi is inde læſus ſit. Denique & in factum actione is tenetur, qui dolo alium induxit, ut ille ſe tutorem crederet & autor fieret. *l. 7. 8. 9. §. ult. ff. h. t.* Quæ in factum actiones hæredibus quidem, at non in hæredes, nec ultra annum competunt. *l. 9. §. 1. ff. h. t.* (11.)

2. Interim & ei, qui bonâ fide ac errore probabili cum falſo tutore, quem verum eſſe putabat, contraxit, in integrum reſtitutio concedi ſolet. *l. 1. §. ult ff. h. t.* Non tamen, ſi duo autores facti ſint, quorum alter verus, alter falſus tutor erat. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* Uti nec, ſi contrahens falſum tutorem eſſe ſciverit. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* niſi minor fuerit; vel cogente prætore cum falſo tutore ſciens contraxerit. *l. 4. 5. ff. h. t.* (1.)

TIT. VII.

De Fidejuſſoribus & Nominatoribus & Hæredibus Tutorum & Curatorum.

1. HÆredes tutorum tutelæ judicio tenentur quidem ex dolo & latâ culpâ propriâ; non autem ex latâ culpâ vel dolo tutoris, niſi aliquid ad eos pervenerit: aut lis cum defuncto fuerit conteſtata. *l. ult. §. 1. ff. h. t. arg. §. 1. Inſt. de perpet. & temp. act. l. 44. ff. de reg. jur.* Obſt. *l. 1. C. de hæred. tut.*

Reſp. pro *non lata* legendum *lata*, deletâ particulâ *non*: ùt libri Baſilic & ratio legis ſuadent. (IV, V, VI)

2. Tenentur & fidejuſſores actione ex ſtipulatu; ſive expreſsè fidejuſſerint, ſive tacitè, dum ſcientes præſentes paſſi ſunt ſua nomina, tanquam fidejuſſorum in acta referri. *l.* 4. *§. ult. ff. h. t.* Et hi, licèt ex tutoris perſona habeant diviſionis beneficium, eatenus nempe, quatenus ipſe tutor eo potuiſſet uti. *l.* 6. *ff. b. t.* non tamen eo gaudent ex perſonâ propriâ. *l. ult. ff. rem pub. ſalv. fore.* Obſt. *l.* 7. *ff. h. t.* Reſp. ibi minor novaverat; cum fidejuſſoribus, & ita ſibi præjudicaverat; ut hic caſus ſpecialis ſit. (I, II.)

3. Nominatores quoque & affirmatores tutorum, qui ſc. idoneos dixerunt tutores, pupillo ob id obſtricti ſunt *l.* 4. *§. ult. ff. h. t.* Cæterùm & nominatores & fidejuſſores eaſdem, quas & ipſi tutores, habent reputationes, & ad eadem præſtanda obligati ſunt, etiam ad uſuras ex morâ tutoris. *l.* 3. *l.* 5. *ff. h. t.* (III.)

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 54 *ne hered. tutor. & curatorum. tit.* 57. *de fidejuſſorib. tut. & curatorum.*

Tit. VIII.

De Magiſtratibus conveniendis.

1. Tandem occaſione tutelæ comparata fuit, velut ultimum refugium, actio in factum ſubſidiaria; quæ & utilis tutelæ actio dici poteſt. *arg. l. ult. ff. h. t.* & utilis ex Senatuſconſulto. *l.* 5. *C. h. t.* competens pupillo & ejus hæredibus. *l.* 1. §. 4 *ff. h. t.* non item contutori, qui propter alterius contutoris inopiam ſolidum ſolvere coactus fuit; niſi extra omnem culpam conſtitutus ſit, nec ei imputari poſſit, quòd contutorem ſuſpectum non poſtulaverit. *l.* 2. 3. *ff. h. t.* contra magiſtratus, non majores, ſed minores, ut & actuarios, ſcribas, ſimileſque, qui ſatiſdationem exigunt. *§. ult. Inſt. de ſatiſd. tut.* ſi vel planè non, vel non idoneè caveri curaverint; vel moniti tutores non dederint, vel minùs idoneos Præſidi nominaverint aut ipſi dederint. *l.* 1. §. 3. 6. 8. 13. *ff. h. t.* Etiam contra eorum hæredes, eo modo quo conveniendi hæredes tutorum. *l.* 4. *ff. h. t.* Non tamen contra magiſtratuum fidejuſſores. *l.* 1. *pr. ff h. t.* (I, II.)

2. Tendit hæc actio regulariter ad ea omnia, ad quæ ordinaria datur tutelæ actio, cum hâc recuperare debeat pupillus à magiſtratibus, quod à tutoribus eorúmque fidejuſſoribus

ribus propter inopiam ipſorum ſervare non potuit. *l. ult. ff. h. t.* eo excepto, quòd hâc actione agens pupillus non habeat privilegium aut hypothecam in bonis magiſtratuum, uti quidem habet actione tutelæ contendens in bonis tutorum. *l.* 1. §. 14. *ff. h. t.* niſi fortè fuerit pupillus illuſtris aut clariſſimus. Vide *l.* 1. *in fin. C. de tut. & curat. illuſtr & clariſſ.* (V.)

3. Quòd ſi ab initio idonei tutores dati fuerint vel nominati, vel ab initio idoneè cautum ſit, magiſtratum non onerabit, quòd poſtea vel tutores vel fidejuſſores ſolvendo eſſe deſierint *l.* 1. §. 11. 12. *ff. h. t* cujus tamen probatio non pupillo incumbit, ſed ipſi magiſtratui. *d. l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* (III.)

4. Cæterùm quod ſpectat ordinem, quo propter tutelæ adminiſtrationem perſonæ, hoc & tit. ſuperioribus enumeratæ, conveniendæ ac excutiendæ ſunt; diſtinctione non unâ opus eſt. Aut enim unus tantùm, aut plures ſimul tutores conſtituti ſunt: ſi unus tantùm, is priùs conveniendus; eóque excuſſo, fidejuſſores, ſi quos dederit; ac tandem magiſtratus cæterique, qui ſubſidiariâ actione tenentur. Si verò plures dati ſint, videndum an unus tutela geſſerit, an omnes. Si unus, is ſolus ante reliquos excutiendus, oppoſito per reliquos ordinis beneficio, ſive privatâ conventione, ſive teſtatoris aut Judicis autoritate, ſolus adminiſtraverit. *l. ult. C. de divid. tut. l. 6. C. arbitr. tut.* Sin omnes, explorandum an pro diviſo, an pro indiviſo adminiſtraverint: nam ſi pro indiviſo, ſinguli in ſolidum ſummo jure conveniri poſſunt; gaviſuri tamen diviſionis beneficio, ſi reliqui ſolvendo ſint, aut per moram minoris non agentis ſolvendo eſſe deſierint. *l.* 1. §. 11. *ff. de tut. & rat. diſtrah. l.* 1. *C. de divid. tut. l. ult. ff. rem pup. vel adoleſc. ſalv. fore.* Si verò diviſim tutelam geſſerint per partes vel regiones, juxta *l.* 4. *ff. de admin. tut.* videndum rurſus, utrùm privatâ autoritate facta ſit adminiſtrationis diviſio, an Judicis aut teſtatoris diſpoſitione. Illo quidem caſu liberum erit pupillo cum quovis eorum ita agere, ac ſi omnes promiſcuè & pro indiviſo adminiſtraſſent. *l.* 2. *in fin. C. de divid. tut.* At ſi tutelæ diviſio Judicis aut teſtatoris arbitrio facta ſit, ſinguli pro eâ tantùm parte, quam adminiſtrarunt, tenentur; neutiquam pro parte alteri commiſsâ: niſi negligentes fuerint in contutore ſuſpecto poſtulando; tunc enim, excuſſo eo qui adminiſtraverit, tutores reliqui excutiendi ſunt, antequam actione ſubſidiariâ contra magiſtratum agatur. §. 2. *Inſt. de ſatiſd. tut. arg. l.* 2. *C. de divid. tut.* ceſſante verò hâc contutorum negligentiâ, ſic ut nihil iis imputari poſſit,

ipſi potiùs excutiendi Magiſtratus minores, aliique ſimiles. Quàm contutores. *l.* 3. *ff. h. t. de magiſtrat. conveniend. l.* 1. §. 15. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* in cujus §. fine delenda videtur cum Cujacio particula *non.* [VI, VII.]

5. *Moribus.* Actio ſubſidiaria contra magiſtratus hodie non datur, niſi manifeſtus eorum dolus in dando tutore minùs idoneo appareat.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 75. *de magiſtrat. conveniendis, tit.* 52. *de divid. tutelâ.*

Tit. IX.

De rebus eorum qui ſub Tutelâ vel Curâ ſunt, ſine Decreto non alienandis.

1. Quamvis tutor mobilia pupilli, quæ ſervando ſervari nequeunt, privatâ poſſit autoritate alienare; reliqua tamen mobilia ut & immobilia ac incorporalia non ſine decreto. *l.* 22. *C. ad admin. tut. l.* 1. *l.* 3. §. 4. 5. *ff. h. t.* adeò ut deficiente decreto, nullius momenti ſit alienatio, ac pupillus res alienatas à quovis poſſeſſore vindicare queat, reſtituto tamen pretio cum uſuris, quatenus illud in rem ejus verſum eſt. *l.* 2. 10. 14. 16. *C. h. t.* Idémque erit, ſi prætori obreptum ſit, ut decretum interponat. *l.* 5. §. *pen. ff. h. t.* (I, II, IX, X, XI.)

2. Interponitur autem à prætore decretum, tantùm causâ cognitâ. *l.* 6. *C. h. t.* qui etiam ſenſus eſt. *l.* 12. *C. h. t.* Et ex oratione quidem Severi tantùm propter æs alienum. *l.* 1. *l.* 5 §. 14. *ff. h. t.* ſed poſtmodum etiam propter aliam maximè evidentem pupilli utilitatem, veluti ad dotem conſtituendam in pecunia numerata, cum rebus ipſis adultæ in dotem datis nollet ſponſus contentus eſſe. *l.* 61. §. 1. *ff. de jure dot.* (V, VI, VII, VIII.)

3. Latiori verò ſenſu hìc accipienda alienatio, ſic ut non tantùm venditionem contineat, ſed & in ſolutum dationem. *l.* 15. *C. h. t.* & legati repudiationem. *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.* [quod hìc ſingulare, contra *l.* 28. *ff. de verb. ſignif. l.* 119. 134. *ff. de reg. jur.*] ut & ſervitutis impoſitionem, conceſſionem in emphyteuſin aut uſumfructum. *l.* 4. *C. h. t.* pignoris & hypothecæ conſtitutionem. *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *ff. h. t.* adeò ut nec fundus pro pupillo emptus venditori in ſecuritatem pretii poſſit obligari. *d. l.* 1. §. *ult. l.* 2. *ff. h. t.* (III, IV.)

4. Sunt

4. Sunt tamen caſus varii, quibus & ſine decreto ſubſiſtit immobilium pupilli alienatio, puta ſi tutor retrovendat fundum pupillo ſub expreſſo pacto de retrovendendo diſtractum; cùm dominus vendens talem potuerit rei ſuæ cauſam imponere, cum qua deinde in pupillum tranſeat. *arg. d. l. 2. ff. h. t.* Valet quoque, ſi pater pupilli vel teſtator, à quo rem pupillus nactus eſt, alienationem permiſerit. *l. 3. C. quand. decret. opus non eſt.* ſi veſtes detritæ aut animalia ſuperflua ſint vendita. *l. ult. C. eod. tit.* ſi majorennis minorem ad prædii communis diviſionem provocet. *l. pen. C. h. t.* ſi minor jam major factus alienationem ratam habuerit expreſsè vel tacitè per lapſum quinquennii in oneroſo; decennii inter præſentes, vicennii inter abſentes in lucrativo titulo. *l. ult. C. ſi major fact. al. rat. hab.* Obſt. *l. ult. C. de temp. in integ. reſt.* Reſp. lex illa locum habet in negotiis ſummo jure validis, & reſtitutione reſcindendis; non item in negotiis ipſo jure nullis, qualis eſt ſine decreto alienatio. Alios inſuper caſus, quibus ſine decreto procedit alienatio. Vide *l. 3. pr. l. 5. §. 4. 6. 7. l. 7. §. pen. & ult. ff. h. t. l. 1. §. 14. ff. ad Senatuſc. Trebell.* (XII, XIII, XIV.)

* Adde *ex Cod. libr. 5. tit. 71. de præd. & aliis rebus minorum ſine decr. non alien. tit. 72. quando decr. opus non eſt. tit. 73. ſi quis ignorans rem min. eſſe ſine decr. comparas. tit. 74. ſi major. fact. alien. ſine decr. factam rat. hab.*

TIT. X.

De Curatoribus furioſo & aliis extra minores dandis.

1. MInoribus quidem annis 25. poſtquam puberes facti fuerint, curatores plerumque dantur; ſed volentibus, non invitis, præterquam ad litem. *pr. & §. 2. Inſt. de curat.* ut & in caſu *l. 7. §. 2. ff. de minor. l. 7. C. qui pet. tut.* Obſt. *l. 1. §. ult. ff. de minorib.* Reſp. agit de caſu, quo minor ſponte curatorem admiſit, à cujus poteſtate ante annum vigeſimum quintum liberari nequit; ut id ex ſeq. *l. 2. & 3.* poteſt colligi. (I, II.)

2. Quandoque tamen & impuberibus curatores dari, id vel generaliter, vel ad unum actum. *§. pen. Inſt. de curat.* junct. *§. ult. Inſt. de autor. tut.* non tamen ad adeundam hæreditatem, ad

ad quam,tanquam actum legitimum, tutore opús eſt. *l.* 17. §. 1. *ff. de appellat.* junct. *l.* 19. *ff. de autor. tut.* Dari etiam quandoque majorennibus, puta furioſis, prodigis, mente captis, &c. *l.* 1. 4. 6. *& paſſim h. t.* §. 3. 4. *Inſt. de curator.* Prodigi autem in jure noſtro illi demum cenſentur, quibus eſt bonis interdictum, neque enim ipſo jure, ſed demum ex decreto, causâ cognitâ, prodigi declarantur. *l.* 10. *ff. h. t.* (III, IV, V, VI, VII, IX, XII, XIII.)

3. Finitur cura in minoribus anno vigeſimo quinto impleto; in furioſo & prodigo, ceſſante furore vel prodigalitate per decretum contrarium. Et generaliter, ceſſante ratione, ob quam datus eſt curator: denique iiſdem ferè modis, quibus etiam tutela extinguitur. (XV.)

5. *Moribus.* Invitis etiam minoribus curatores dantur; ſic ut & illi, qui impuberibus tutores dati ſunt, etiam curam adminiſtrent eorundem jam puberum, ſublatâ inter tutores & curatores differentiâ: unde & curatorem hodie teſtamento dari, nihil impedit. Quòd ſi maritus furioſus ſit, uxor ejus curatrix eſſe poterit, adjuncto tamen aliquo ex conſanguineis, qui ſucceſſionem ſperat. Prodigus verò nullus creditur hodie ante ſolennem decreti publicationem.

* Adde *ex Cod. libr.* 5. *tit.* 70. *de curatore furioſi.*

LIBER XXVIII.

TIT. I.

Qui Teſtamenta facere poſſunt & quemadmodum Teſtamenta fiant.

1. HÆreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. *l.* 24. *ff. de verb. ſignif. l.* 62. *ff. de reg. jur.* & vel ex teſtamento defertur, vel ab inteſtato; potior tamen ea habetur, quæ ex teſtamento eſt. *l.* 19. *ff. de reg. jur.* (I, II.)

2. Teſtamentum eſt *voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo quod quis poſt ſuam mortem fieri velit. l.* 1. *ff. h. t.* Eſtque vel *ſolenne*; cui ſimile Teſtamentum coram Principe conditum. *l.* 19. *C. de*

C. de teſtam. vel *minus ſolenne.* Utrumque rurſus vel *ſcriptum* eſt vel *nuncupativum.* (III.)

3. *Scriptum* dicitur, quod per teſtatorem aut alium ejus juſſu in ſcripturam ab initio redactum eſt. In quo condendo licèt neceſſarius non ſit tabellio; *arg. l. 8. C. qui teſtam. fac. poſſ.* plurimæ tamen ſolennitates adhibendæ ſunt. Ante omnia quidem requiritur, ut unico fiat contextu, nullo interveniente actu extraneo. *l. 21. §. ult. ff. h. t.* niſi neceſſitatis. *l. 28. C. de teſtament.* Atque hinc eſt, quòd contractus in teſtamento celebrari nequit. *arg. l. 20. ff. de verb. ſignif.* Obſt. *l. 26. ff. de pignorat. act. l. 1. §. 3. ff. de aſſign. libert. l. 37. §. 5. ff. de legat. 3.* Reſp. nec pignus teſtamentarium, nec aſſignatio liberti aliáque ſimilia contractus ſunt, aut actus extranei; ſed ad teſtamentum pertinentes. (IV.)

4. Adhibendi inſuper ſeptem teſtes idonei, tempore facti teſtamenti. *l. 22. §. 1. ff. h. t.* (quales ſunt puberes, maſculi, ſanæ mentis, cives Romani; non ſervi, fœminæ, hæredes, aut domeſtici. §. 6. 8. 9. 10. *Inſt. h. t.* nec cæci. *arg. l. 9. C. de teſtam.* nec redempti ab hoſtibus in teſtamento redemptoris ante lucrum redditum. *l. 20. §. 1. ff. h. t.*) ſpecialiter ad hoc rogati, ab initio ad finem uſque præſentes, ac teſtatorem videntes. *l. 20. §. 8. ff. h. t. l. 9. C. de teſtam.* ſubſcribentes, & ſignantes teſtamentum ſuo vel alieno annulo. *§. 4. 5. Inſt. h. t.* Denique & ipſum teſtatorem, aut alium pro eo, ſubſcribere neceſſe eſt. §. 3. *Inſt. h. t.* (V, VI, VII, VIII, IX.)

5. *Nuncupativum* eſt, cùm teſtator vivâ voce coram ſeptem teſtibus idoneis ſpecialiter rogatis & ſimul præſentibus unico contextu ſuam declarat voluntatem. *§. ult. Inſt. h. t. l. 21. ff. h. t.* Nec requiritur, ut præcisè teſtes monuerit, ſe velle nuncupativum teſtamentum condere. *l. 26. C. de teſtamentis.* (X.)

6. Quamvis autem nuncupata voluntas ex poſt facto in ſcripturam redigi & teſtium ſubſcriptione muniri poſſit, ne alioquin unius teſtis obitu interveniente corruat. *arg. l. 2. C. de teſtament.* ſolâ tamen relaxatione & remiſſione ad ſcedulam, aut ſolo nutu ad alterius interrogationem non poſſe ab initio nuncupativum condi teſtamentum, verius eſt. *arg. l. 21. ff. h. t.* (II.)

7. Quòd ſi vel minima deſit in ſcripto vel nuncupativo teſtamento ſolennitas, inutile eſt quicquid eo fuerit comprehenſum. *l. 12. C. h. t.* [XXVIII.)

8. Minùs ſolenne teſtamentum dicitur, in quo quædam, ex

ex requiſitis vulgo ſolennitatibus, per juris diſpoſitionem remiſſæ ſunt. Quale eſt, quod tempore peſtis conditum, in quo licèt ſeptem teſtes adhibendi ſint, eos tamen omnes ſimul adeſſe haud neceſſarium. *l. 8. C. h. t. de teſtam.* Ut &, quod ruri factum eſt, in quo quinque teſtes ſufficiunt, ſi plurium copia non ſit. *l. ult. C. h. t.* Denique teſtamentum patris inter liberos; hoc enim, ſi pater manu propriâ non notis, ſed plenis litteris perſcripſerit, nullos; ſin alius ſcripſerit, duos tantùm teſtes deſiderat. *Nov. 107.* Ut tamen talis diſpoſitio tantùm inter liberos ſubſiſtat; extraneorum verò ſimul cum liberis honoratorum intuitu nulla ſit. *l. ult. C. fam. erciſc. l. 21. §. 1. & auth. quod ſine C. h. t.* idque quantum ad inſtitutionem; nam ſi legata uxori vel extraneis relicta ſint, debentur ea, ſi ſit holographum, & legata illa coram duobus teſtibus lecta vel nuncupata ſint, licèt deſit ſubſcriptio teſtium & alia. *Nov. 107. c. 1. in med.* (XII, XIII, XV, XVI, XVII, XIX.)

9. Cæterùm, etiamſi pater tali inter liberos teſtamento poſſit inæquales liberis portiones dare, cùm alioquin fruſtra diſponeret, lege liberos ad ſucceſſionem æqualiter vocante; non tamen ei uſpiam conceſſa legitur poteſtas liberos tali diſpoſitione minùs ſolenni exhæredandi, fortè quia exhæredatio odioſa eſt, nullo privilegio vel interpretatione juvanda. *l. 19. ff. de liber. & poſthum.* Quemadmodum nec liberis datum eſt, hujuſmodi privilegiatum inter parentes teſtamentum condere; nec ipſis parentibus inter liberos naturales; cùm hi non ſoleant in privilegiis liberorum appellatione propriè venire. *arg. l. 2. §. 3. ff. de excuſ. tut.* [XV, XVI, XVII.]

10. Teſtamenta facere poſſunt omnes, quibus id jus permiſit; quales ſunt patresfamilias puberes, habentes mentis ſenſuumque integritatem. *tot. tit. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* ſive corpore valeant, ſive ægrotantes & in agone mortis conſtituti, ſemineces, balbutiente linguâ voluntatem protulerint. *l. 15. C. de teſtam.* [XXXVI.]

11. Non tamen rectè teſtantur impuberes, quippe quorum teſtamenta nec poſt pubertatem valere poſſent, obſtante regulâ Catonianâ, nec autoritate tutoris ſuſtinentur. *arg. l. 32. ff. de hæred. Inſtit.* Nec furioſi vel prodigi, licèt valeant eorum diſpoſitiones furore vel prodigalitate vetuſtiores. *l. 18. ff. h. t. §. 1. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. arg. l. 85. §. 1. ff. de reg. jur.* Nec muti & ſurdi conjunctis vitiis, ſi ſcribere nequeant. *l. 10. C. qui teſt. fac. poſſ.* Nec cæci, niſi juxta formam præſcriptam in *l. 8. C. eod.* adhibito nempe tabellione vel

octavo

octavo teſte, & nuncupatâ ac ſimul in ſcriptum redactâ voluntate. Nec filiifamilias, excepto caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio; nam quod ſpectat adventitium, de eo illos non potuiſſe jure veteri teſtari expeditum eſt. *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* circa *fin.* id verò nuſpiam correctum legitur. Obſt. *nov.* 117. *c.* 1. §. 1. Reſp. agitur ibi de diſpoſitione inter vivos; cum deſideretur ætas perfecta, quæ eſt 25. annorum. *arg. l. ult. C. de his qui ven. ætat.* ea verò ætas non ad teſtamenta condenda, ſed ad diſpoſitiones & alienationes inter vivos faciendas ſit neceſſaria, quam reſtrictionem & Græcus in *d. nov.* textus ſuadet. Obſt. *l. ult.* §. 5. *in med. C. de bon. quæ liber.* Reſp. eâ lege filiiſf. non eſſe datam poteſtatem teſtandi de plenis adventitiis, ipſe declarat Imperator in *l. pen. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Obſt. *l.* 9. *ff. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* junct. *l.* 3. *ff. h. t.* Reſp. teſtamenti factio eſt quidem *juris publici*; at non *cauſa publica.* (XXXI, XXXII, XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII.)

12. Denegata inſuper teſtandi licentia hæreticis, apoſtatis. *l.* 4. §. 5. *l.* 15. *& auth. Gazaros C. de hæretic. l.* 2. 3. 4. *C. de apoſtat.* deportatis, de ſtatu ſuo dubitantibus, obſidibus. *l.* 8. §. 1. 2. *l.* 11. 15. *ff. h. t.* damnatis ad ultimum ſupplicium, niſi appellaverint, & pendente appellatione mortui ſint. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* vel ſint milites, condemnati ex delicto fidem ruptam non continente. *l.* 11. *ff. qui teſtam. milit.* quod non mutatum per *nov.* 134. *c. ult.* cum ibi tantùm jus fiſci in gratiam quorumdam proximiorum ab inteſtato ſuccedentium ſit imminutum ac remiſſum. (XXXIX.)

13. *Moribus.* Condi poſſunt hodie teſtamenta coram tabellione & duobus teſtibus, vel Secretario & duobus Scabinis, ceſſantibus cæteris ſcrupuloſis Juris Romani ſolennitatibus; unde & apud nos teſtamenta ruri condita non amplius privilegiata ſunt; ut tamen velint, teſtamentum temporis peſtis conditum, vel in favorem piæ cauſæ, valere coram duobus teſtibus, ſi tabellionis copia non ſit. Frequentia de cætero ſunt hodie teſtamenta clauſa, quæ teſtibus non prælegguntur, ſed à tabellione & teſtibus ſubſcribentibus indorſantur, ut dici ſolet.

Poſſunt autem hodie teſtamenta condere etiam filiif. de adventitiis ſine patris conſenſu; ut & capti ab hoſtibus aut Turcis, ac ob crimen famoſum etiam ad ultimum ſupplicium damnati, modò non omnia eorum bona publicata ſint. Valet & teſtamentum prodigi, ſi is poſteritati vel agnatis prudenter conſuluerit, convenienter novellæ Leon. 39.

*Adde

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 22. qui teſt. facere poſſ. tit. 23. de teſtamentis.*

Tit. II.

De Liberis & Poſthumis Hæredibus inſtituendis vel exhæredandis.

1. PArentes ultimum condituri elogium liberos ſuos tenentur vel nominatim inſtituere vel nominatim exhæredare, tam fœminas quàm maſculos; tam emancipatos quàm ſuos, tam poſthumos quàm jam natos. Alioquin, *ſuis* præteritis, teſtamentum ipſo jure nullum eſt, licèt hi *ſui* ante patrem fuerint mortui. *l. 7. ff. h. t. pr. Inſt. de exhæred. liber.* Obſt. *auth. ex cauſ. C. de liber. præterit.* Reſp. præteritio ad matrem, exhæredatio ad patrem referenda, convenienter juri antiquo, ex *§. ult. Inſt. de exhæred. liber.* emancipati præteriti acquirunt bonorum poſſeſſionem contra tabulas; poſthumi agnatione teſtamentum rumpunt. *pr. & §§. ſeqq. Inſt. de exhæred. liberor.* [I, IV, V, VII.]

2. Præteriti autem cenſentur non illi tantùm, quorum nulla in teſtamento eſt facta mentio, ſed & qui tantùm ſunt in conditione poſiti. *l. 16. §. 1. ff. de vulg & pup. ſubſtit. l. 8. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Obſt. *l. 101. ff. de condit. & demonſt.* Reſp. ibi tantùm dicitur, liberos tacitè cenſeri in conditione poſitos ex præſumpta pietate; at non, eos eſſe inſtitutos. Obſt. *l. 85. ff. de hæred. inſt.* Reſp. *pratuliſſe* dicitur ibi teſtator, ſed non inſtituiſſe; quatenus nempe deficit conditio ſubſtitutioni adjecta. [IX, X.]

3. Inſuper pro præteritis habendi, qui inſtituti quidem vel exhæredati, ſed non ita ut oportet: veluti ſi ſub conditione moribus impoſſibili inſtituti ſint. *l. 15. ff. de condit. inſtit.* vel ſub poſſibili, non poteſtativâ, ſed caſuali. *l. 4. ff. de hæred. Inſtit. l. ult. ff. de condit. Inſtit.* niſi ſub caſuali conditione inſtituti, in ejus defectum fuerint exhæredati. *l. 4. C. de Inſtit. & ſubſtit.* Idemque erit, ſi vel ex re certa exhæredati ſint. *l. 19. ff. h. t.* vel ſub conditione caſuali, niſi & hîc in defectum conditionis adjectæ inſtituti ſint. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* junct. *l. 4. C. de Inſtit. & ſubſtit.* Planè ſi vel cauſa exhæredationis omiſſa ſit, vel falſa aut non juſta ſit adjecta, magis eſt, ut querelæ locus ſit; ùt dictum *tit. de inoffic. teſt.* [VIII.]

4. Cum

4. Cum verò frequens in *h. t.* ſit poſthumorum mentio, obſervandum eſt, eos vel veros eſſe vel quaſi poſthumos. Veri, vel primi gradûs ſunt, filii nempe qui poſt humatum patrem nati; vel gradûs ulterioris, quales nepotes nati poſt patris primò defuncti & avi poſtea morientis obitum: qui, quia ex formulâ Galli Aquilii inſtituendi erant, poſthumi Aquiliani appellantur *l.* 29. *ff. h. t.* Quaſi poſthumi dici poſſunt, qui poſt conditum teſtamentum aut patris captivitatem nati aut agnati ſunt. Et multiplices numerantur: vel enim vivo patre aut avo teſtatore poſt conditum teſtamentum proximè in poteſtate naſcuntur, quales ex primo legis Velleiæ capite inſtituendi. Vel ante teſtamentum quidem nati; ſed poſt illud conditum ſui demum hæredes avo fiunt, ſubductâ patris intermedii perſona; quales inſtituendi ex Legis Velleiæ capite ſecundo. *l.* 29. §. 11. *& ſeqq. ff. h. t.* Vel poſt conditum teſtamentum nati quidem; ſed tempore nativitatis non obtinentes proximum in poteſtate gradum; deficiente poſtmodum patre intermedio incipiunt avo ſui hæredes eſſe; quales inſtituendi ex ſententia Juliani. *l.* 29. §. 15. *ff. h. t.* Vel denique naſcuntur poſtquam pater ab hoſtibus captus eſſet; concepti tamen ante captivitatem ex uxore, quam pater prægnantem in urbe reliquerat; qui poſthumi Corneliani ex Legis Corneliæ fictione dicuntur. *l.* 15. *ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt.* (II, III.)

5. Quòd ſi quis poſthumos in unum caſum inſtituerit, veluti; *ſi ſe vivo naſcantur*, alter verò caſus exiſtat, dum naſcuntur teſtatore jam mortuo; caſus omiſſus non cenſetur ſubintellectus; magiſque poſthumi videbuntur præteriti. *l.* 10. *ff. h. t.* niſi fortè id mutatum ſit per *l. ult. C. de poſthum. hæred. Inſtit.* (VI.)

6. Ruptum autem per veri poſthumi agnationem teſtamentum non convaleſcit ex eo, quòd fortè poſthumus illicò poſt nativitatem deceſſerit. *l.* 2. *de poſth. hæred. inſt.* cum hoc caſu concipi nequeat præſumpta nova patris jam defuncti voluntas; per quam teſtamentum ſuſtineretur. Idemque in poſthumo Corneliano ſervatur. *l.* 15. *ff. de Injuſt. rupt. irrit.* Sed aliter receptum in eo quaſi poſthumo, qui poſt conditum teſtamentum natus vivo teſtatore deceſſit; tunc enim velut ex novâ patris voluntate jure prætorio teſtamentum ſubſiſtit. *l.* 12. *ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt.* [IV.]

7. *Moribus.* Si parentes ſuos liberos exhæredare velint, non aliter quàm Scabinis teſtibus adhibitis id eis facere permittitur.

tur. Poſſunt autem liberi à parentibus hodie ſub quavis conditione inſtitui, deductâ tamen prius legitimâ; quippe quæ nullâ conditione, ne poteſtativâ quidem gravari poteſt. Quòd ſi pater liberos ſilentio præterierit, tacitè videtur exhæredaſſe, ſic ut ejus teſtamentum non ſit ipſo jure nullum aut agnatione rumpatur, ſed per querelam reſcindendum ſit, uſque ad legitimam, cæteris omnibus, etiam inſtitutionibus, quatenus legitima liberis ſalva eſt, firmis manentibus.

* Adde ex *Cod. libr. 5. tit. 28. de liberis præteritis. tit. 29. de poſthum. hæred. inſtituend. vel exhær.*

TIT. III.

De Injuſto, Rupto, Irrito facto Teſtamento.

1. Injuſtum teſtamentum dicitur, in quo deſunt ſolennitates, *l. 1. ff. h. t.* Ruptum, cum in eodem ſtatu manente teſtatore teſtamenti jus vitiatur §. 1. *Inſt. h. t.* Irritum, licèt quandoque confundatur cum rupto. §. 5. *Inſt. h. t.* propriè tamen eſt, cum teſtator patitur ſtatûs mutationem, etiam minimam. §. 4. *Inſt. h. t.* Ut tamen reconvaleſcat teſtamentum jure prætorio, ſi priſtinum ſtatum teſtator recipiat, cum minimam paſſus fuiſſet capitis diminutionem; non item cum maxima vel media interceſſerit. §. 6. *Inſt. h. t. quib. mod. teſt. infirm.* niſi quis jure poſtliminii revertatur ex captivitate. §. *ult. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* vel pleniſſimâ Principis indulgentiâ reſtitutus ſit. *l. 6. §. pen. ff. h. t.* Irritum quin etiam teſtamentum dicitur, ſi teſtator non tædio vitæ aut ex jactantiâ, ſed ſceleris conſcientiâ ſibi violentas manus intulerit. *l. 6.* § 7. *ff. h. t.* ut &, ſi non adeatur hæreditas. *l. 1. ff. h. t.* quamvis jure novo legatarii & fideicommiſſarii aliis deficientibus adire poſſint. *nov. 1. c. 2. in fin.* [XII, XIV.]

2. Rumpitur autem teſtamentum non tantùm agnatione poſthumi vel quaſi, ut *tit. ſup.* dictum; ſed & poſteriori teſtamento rite facto, aut ſaltem perfecto in ſuo genere, licèt reſpectu prioris teſtamenti minùs ſolenne ſit, *l. 2. ff. h. t.* Si tamen poſteriore teſtamento quinque tantùm teſtibus munito, adeòque imperfecto, ſcripti ſint ab inteſtato ſucceſſuri, prius adhuc infirmabitur. *l. 21. §. pen. C. de teſtam.* Uti è contrario teſtamentum minùs ſolenne patris inter liberos non rumpitur, niſi per poſterius ſolenne

ne coram ſeptem teſtibus conditum. *nov.* 107. *c.* 2. *auth. hoc inter C. de teſtament.* (III, IX.)

3. Non aliter tamen poſteriore teſtamento prius rumpitur, quam ſi ex poſteriore potuerit adiri hæreditas; quamvis eam de facto adiri haud ſit neceſſe. §. 2. *Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Proinde, ſi teſtamento poſteriore aperto, nihil omnino ſcriptum inveniatur, prius ſuam haud dubie firmitatem obtinebit. *l.* 11. *ff. h. t.* idemque eſt, ſi poſterius ob liberorum præteritionem nullum ſit. *l.* 16. §. 1. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* vel poſteriori ſit inſerta conditio de præterito vel de præſenti, eaque non extiterit, ſecus ſi de futuro eſſet concepta conditio. *l.* 16. *ff. h. t.* Quòd ſi poſteriore teſtamento incapaces ſcripti ſint, prius quidem non rumpitur, ſed tamen hæreditas ſcriptis in primo teſtamento hæredibus adimitur ut indignis, & fiſco cedit cum onere legatorum. *l.* 12. *ff. de his quæ ut indign.* [IV, V, VI.]

4. Rupto autem priore teſtamento per poſterius, nihil eorum, quæ priori cauta ſunt, valet, nec quicquam inde peti poteſt; exceptis caſibus in §. 3. *Inſt. h. t. l.* 12. *ff. h. t. l. ult. ff. de hæred. Inſtit.* [VII.]

5. Nudâ quoque & ſimplici voluntate teſtamentum non rumpitur, §. 7. *Inſt. h. t.* ſed ita demum, ſi coram ſeptem teſtibus ſpecialiter rogatis ſolenniter declaret, ſe revocare ſuum teſtamentum; cum æquum ſit, unumquodque ſic diſſolvi, ut ligatum eſt. *arg. l.* 1. §. 8. *ff. ſi tab. teſt. nulla extab.* aut ſi apud acta vel coram tribus teſtibus ſuam declaret revocationem, & cum eâ concurrat lapſus decennii à tempore conditi teſtamenti. *l.* 27. *C. de teſtament.* [I.]

6. Nemo autem adeò irrevocabile poteſt teſtamentum condere, ut ab eo non liceret ipſi recedere; licèt clauſulam derogatoriam ei inſeruerit, vel etiam jurejurando ſe non revocaturum promiſerit; cum ambulatoria ſit hominis voluntas, ac per conſequens & jusjurandum, quod ſequi ſolet naturam actûs, cui apponitur, *arg. l.* 22. *ff. de legat.* 3. *l.* 6. §. 2. *ff. de codicill.* (X.)

7. *Moribus.* Cum quiſque hodie poſſit decedere, pluribus relictis teſtamentis, prius per poſterius non evertitur, niſi quatenus poſteriori eſt contrarium: uti nec corruit per damnationem ad ultimum ſupplicium, cum bona publicata non ſunt. Poteſt autem quiſque revocare teſtamentum coram tabellione & duobus teſtibus, licèt nec novum condat, nec decennium elabatur.

Tit. IV.

De his quæ in Teſtamento delentur.

1. Ipſo facto rumpitur teſtamentum combuſtione, confractione, inciſione tabularum conſulto factâ per teſtatorem, vel alium ejus nomine. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* adde *l. pen. C. de teſtam. l. 1. §. pen. ff. ſi tab. teſt. nulla extab. l. 22. §. 3. ff. qui teſt. fac. poſſ. l. 1. §. pen. ff. de bon. poſſeſſ. ſec. tab.* Si tamen plures ſint ejuſdem argumenti tabulæ, unâ ruptâ ex cæteris adiri poteſt hæreditas; niſi ab inteſtato ſucceſſuri probent, teſtatorem inciſiſſe tabulas, ut inteſtatus moreretur. *l. ult. ff. h. t.* [I, II.]

2. Quòd ſi in teſtamento omnia hæredum nomina ſint inducta, deleta, cancellata, nihil valet; niſi teſtator adjecerit, ſe id feciſſe, quia unum hæredem offenſum habebat, tunc enim hæredibus cæteris & legatariis deletio non oberit. *l. 2. 3. ff. h. t.* Si pars teſtamenti deleta ſit, valet quod remanſit; ipſa deleta, ſi quidem conſulto, non valent; ſin inconſulto, legi tamen adhuc poſſint, ſubſiſtent; ſi verò legi nequeant; non aliter debebuntur, quàm ſi poſt conſummatum teſtamentum deleta fuerint, & aliunde probari poſſint: nam ſi ante deleta ſint, imputet ſibi teſtator, quòd non alia impoſuerit in locum deletorum. *l. 1. paſſim ff. h. t.* [III, IV.]

3. Quòd ſi totum teſtamentum incautè deletum ſit, nihil impedit, quo minus inde petatur hæreditas. *l. 1. §. 2. 3. ff. h. t.* Obſt. *l. un. ff. ſi tab. teſt. extab.* Reſp. non datur ex talibus tabulis bonorum poſſeſſio, cum non certè conſtat, an in illis ſit data hæreditas; propter vocabulum *conjectura.* ſi quid in codicillis deletum ſit, non debetur, licèt legi poſſit. *l. 1. §. ult. ff. h. t.*

Tit. V.

De Hæredibus inſtituendis.

1. Hæres eſt, qui ſuccedit in univerſum jus defuncti. *l. 24. ff. de verb. ſign. l. 62. ff. R. J.* Hæredes autem inſtitui poſſunt omnes, cum quibus eſt teſtamenti factio paſſiva, ſeu qui ex teſtamento capere poſſunt: ſive privati ſint, ſive civitates; Eccleſiæ, piæ cauſæ, collegia licita. *l. ult. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Eccleſ. l. 8. *l.* 12. *C. h. t.* etiam in officio, puta Sacerdotio poſiti, quâ tales; ſic ut hæreditas cedat ſucceſſoribus in Sacerdotio. *arg. l.* 20. §. 1. *ff. de annuis legat.* (I, II, V, VI.)

2. Capaces autem eſſe debent tribus temporibus, facti nempe teſtamenti, mortis teſtatoris & aditæ hæreditatis: medio verò tempore quem incapacem fuiſſe non nocet. *l.* 49. §. 1. *ff. h. t.* §. 4. *Inſt. de hæred. qual. & differ.* Quòd ſi incapaces inſtituti ſint, (quales deportati, apoſtatæ, hæretici, peregrini, collega illicita. *l.* 4. §. 2. *C. de hæret. l.* 3. *C. de apoſtat. l.* 1. *l.* 8. *C. h. t.*) eorum portiones non ad fiſcum devolvuntur, ſed apud hæredes remanent, & pro non ſcriptis habentur. *l.* 1. *C. h. t. l.* 7. *ff. de injuſto rupto irrito teſt.* (XXI, XXII.)

3. Cæterùm inſtituitur vel unus vel plures; ſi unus in ſolidum hæres eſt, licèt ex re certâ tantum vocatus eſſet. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* ſin plures; ſi quidem ex his quidam ex re certâ quidam ſine re; ex re certa ſcripti nil præter rem habituri ſunt, tanquam legatarii, reliqui totam hæreditatem. *l.* 13. *C. h. t.* ſed ſi omnes ex re certâ ſint vocati, tota hæreditas pro portionibus æqualibus ad eos pertinebit, etiamſi teſtator inæquales ſingulis partes dediſſet in re; ex quâ inſtituti ſunt, niſi alia appareat voluntas teſtatoris. *l.* 9 §. 13. *ff. h. t.* Quòd ſi teſtator omnes ſimpliciter ſine re inſtituerit, viriles partes habituri ſunt ſinguli: niſi quaſdam perſonas generali appellatione conjunxerit, veluti *Titius & filii Mævii hæredes ſunto*; tali enim caſu hæreditas in duas partes æquales dividenda foret, niſi teſtator dixiſſet *æquè hæredes ſunto*, quo caſu pro perſonarum numero portiones æquales ſingulis cedunt. *l.* 11. *l.* 13. *ff. h. t.*

4. Poteſt & teſtator ſingulis aſſignare partes hæreditarias, quæ ſi aſſem non conſumant, ſingulis pro ratâ quod ſupereſt accreſcit, ſin aſſem excedant, decreſcit ſingulis, ſed ſi quibuſdam partes datæ ſint, alii ſine parte inſtituti, quod ex aſſe ſupereſt percepturi ſunt, vel aſſe conſumpto id quod ex dupondio ſupereſt; quo etiam conſumpto ad tripondium recurrendum eſſet. *l.* 17. *ff. h. t.* §. 5. 6. 7. 8. *Inſt. h. t.* niſi teſtator dixerit, *ex reliquâ parte Titius hæres eſto*, tunc enim aſſe vel dupondio conſumpto Titius nihil habiturus eſt, cum nihil ſuperſit. *l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* [XXIII, XXIV, XXV, XXVI.]

5. Eſt autem improbata inſtitutio captatoria, collata in ſecretum alienæ voluntatis. *l.* 70. 71. *ff. h. t.* ut & ea, quæ fit contumeliæ causâ, *l.* 9. §. 8. *ff. h. t.* [ſecus, ſi emendandi

gratiâ elogium adjectum ſit, *l.* 48. §. 1. *ff. h. t.*] nec non, quæ expreſsè [non item tacitè tanquam in conditionem] collata eſt in arbitrium tertii. *l.* 32. *l.* 68. *ff. h. t.* denique & ea, quæ perplexa eſt, ut exitum invenire nequeat. *l.* 16. *ff. de condit. Inſtit.* (XXVII, XXVIII, XXIX.)

6. *Moribus.* Poteſt hodie teſtamentum condi etiam ſine hæredis inſtitutione, quo caſu vel executor teſtamenti vel hæres ab inteſtato legata ſolvit: nec abſurdum eſt, quem pro parte teſtatum pro parte inteſtatum eſſe. Hæredes autem hodie inſtitui poſſunt etiam peregrini, ac apud nos banniti; non tamen Monaſteria vel Eccleſiæ in rebus immobilibus, niſi impetratâ amortiſatione; nec tutores à pupillis minorennibus in rebus immobilibus niſi ſint proximi ab inteſtato ſucceſſuri pupillo, nec Ultrajecti conjuges à ſe invicem in proprietate; ſed tantùm ſibi mutuo ac reciproce, [aliter non] uſumfructum poſſunt relinquere; ſecus in Hollandia ubi liberè ſe invicem conjuges inſtituunt. Cæterùm ſi apud nos Chriſtus vel Eccleſia inſtituatur, id Diaconis potius in uſus pauperum quàm templorum Oeconomis cedit.

* Adde ex *Cod. lib.* 6. *tit.* 24. *de hæred. inſtituendis, &c. tit.* 27. *de neceſſ. ſervis hæred. inſtit. vel ſubſtituend.*

Tit. VI.

De Vulgari & Pupillari ſubſtitutione.

1. Subſtitutio eſt ulterioris hæredis inſtitutio in locum prioris deficientis: ſic ut, inſtituto hærede deficiente, ſubſtituto locus fiat, excluſis hæredibus hæredis inſtituti; niſi inſtitutus poſt teſtatorem moriatur, antequam adiverit; tunc enim jus deliberandi ad hæredes tranſmittit, qui non ex ſuo ſed defuncti inſtituti capite hæreditatem adeunt ex præſcripto. *l.* 19. *C. de jure deliber.* & ita ſubſtituto potiores ſunt, *arg. l. un.* §. 5. & 13. *C. de caduc. tollend.* Quemadmodum & pater filiif. inſtituti videtur præferendus ſubſtituto filiif. ſi filius hæreditatem adire nolit; ex *l. ult. C. de bon. quæ libert.* idque ex probabili mente teſtatoris, qui ſubſtituens inſtituto, qui in aliena poteſtate eſt, ſub formulâ, *ſi hæres non erit*, deſignaſſe creditur; ſi vel ipſe hæres non fuerit, nec eum, cujus in poteſtate eſt, hæredem fecerit. §. *ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* (I, II, IV, V, VI, VII, VIII.)

2. Eſt

2. Eſt autem ſubſtitutio quadruplex, vulgaris, pupillaris, exemplaris, & militaris. Vulgaris dicitur, quæ concipitur in caſum, quo inſtitutus *hæres non erit*, ſive noluerit, ſive non potuerit. Et fieri poteſt cuivis à quovis, ac poteſt hic quilibet ſubſtitui; etiam cohæredes ſibi invicem, qui eaſdem ex ſubſtitutione partes habent, quæ in inſtitutione datæ ſunt. §. 2. *Inſt. de vulg. ſubſt.* niſi hæredum ſingulorum nomina rurſus in ſubſtitutione fuiſſent repetita, quo caſu viriles ſingulis ex ſubſtitutione partes cederent. *l.* 124. *ff. de legat.* 1. *l.* 23. 24. *ff. ad Senatuſc. Trebell.* [IX, X.]

3. Evaneſcit autem hæc ſubſtitutio, ſi ſubſtitutus ante inſtitutum moriatur; vel inſtitutus adierit: qui tamen ſi minor ſit & reſtituatur, adhuc ſubſtituto poſſet locus eſſe. *arg. l.* 44. *ff. de re jud. l.* 1. §. 1 c. *ff. ad Senatuſc. Tertull.* (XIV.)

4. Vulgaris hæc vel expreſſa eſt vel tacita, quæ ſub expreſsâ pupillari continetur. *l.* 4. *ff. h. t.* vel etiam mixta, partim expreſſa partim tacita, puta, ſi teſtator dicat. *Si Titius hæres eſſe noluerit*: ſubintelligitur enim *vel eſſe non potuerit. arg. l.* 3. *C. de inſtit. & ſubſtit. l.* 4. *ff. h. t.* Obſt *l.* 10. *ff. de liber. & poſthum.* Reſp. vel abrogata eſt per *l. ult.* C. *eod.* vel 2. diverſus caſus eſt: nam quòd ſub formula, *ſi noluerit*, ſubaudiatur, *vel non potuerit*, id inde eſt, quia uterque caſus eundem in ſubſtitutione effectum habet, & eaſdem planè vires, ſive inſtitutus noluerit ſive non potuerit hæres eſſe. At in *d. l.* 10. agitur de nativitate poſthumi; quæ aliud operatur, ſi vivo, aliud, ſi mortuo teſtatore contigerit: licèt enim utroque caſu agnatione poſthumi rumpatur teſtamentum; tamen, ſi poſthumus vivo teſtatore natus ſit iterumque deceſſerit, teſtamentum reviviſcit. *l.* 12. *ff. de injuſto rupt. irrito.* quod non reviviſceret, ſi teſtatore mortuo poſthumus demum natus fuiſſet iterumque deceſſiſſet. *l.* 2. *C. de poſth. hæred. Inſtit.* (XI, XII, XIII.)

5. Pupillaris ſubſtitutio eſt, quâ pater (non item mater, quæ tantùm in caſum vulgarem ſubſtituit, ſi filius hæres non erit; de quo caſu agit. *l.* 33. *ff. h. t.* in quâ *tabulæ pupullares* non ex pupullari ſubſtitutione, ſed ex eo quòd pupillo ſit facta ſubſtitutio, appellantur) vel avus paternus liberis impuberibus in poteſtate conſtitutis tempore facti teſtamenti & mortis, *l.* 2. *l.* 41. §. 4. *ff. h. t.* nec in alterius poteſtatem recaſuris, ſive inſtitutis ſive exhæredatis §. 4. *Inſt. de pupil. ſubſt.* ſubſtituit in caſum, quo hæredes erunt & intra pubertatem, vel aliud tempus brevius (non longius) arbitrio teſtatoris determinandum morientur. *l.* 14. *l.* 21. *ff. h. t.* [XV, XVI.]

6. Et hæc quoque vel expreſſa eſt vel tacita, quæ ſub expreſſa vulgari comprehenditur. *l. 4. ff. h. t.* niſi teſtatoris alia voluntas ſit, tunc enim ſub expreſſa vulgari pupillaris non continebitur. §. 3. *Inſt. de pupil. ſubſt. l.* 4. C. *de impub. & aliis ſubſtit.* Quòd ſi pater liberos inſtitutos ſibi invicem ſubſtituerit, in caſum utrumque tam pupillarem quàm vulgarem cenſetur ſubſtituiſſe; modò in omnibus pupillaris ſubſtitutio locum habere poſſit; aliàs enim ſola vulgaris facta creditur. *l. 4. §. 2. l. 45. ff. h. t.* [XVII.]

7. Quòd ſi plures habens liberos, noviſſimo morienti extraneum pater ſubſtituerit, ſubſtituto etiam tunc locus erit, cum omnes liberi ſimul uno naufragio aliove caſu ſimili perierint. *l. 34. ff. h. t.* Obſt. *l. 34. ff. ad Senatuſc. Trebel.* Reſp. ibi fideicommiſſarius ſubſtitutus fuit non utrique, ſed tantùm in partem noviſſimi morientis; utrùm ergo ad primi an ad ſecundi partem admittendus ſit, dici nequit, niſi probetur, quis eorum ultimus fuerit mortuus. Cæterùm & tunc noviſſimo demum morienti ſubſtituiſſe cenſetur pater ſi hâc formulâ uſus ſit, ſi *uterque impubes deceſſerit, Titium ſubſtituto*: non enim ſubſtituto locus erit, niſi mortuo, utroque impubere. *l. 10. C. h. t. arg. l. 30. ff. h. t.* (XVIII.)

8. Non aliter tamen valet pupillaris ſubſtituto, quàm ſi pater ſibi priùs vel eodem vel alio tempore teſtamentum fecerit; cum inde tabulæ pupillares ut pars & ſequela dependeant. *l.* 2. §. 4. 5. *l.* 16. §. 1. *ff. h.* t. (XIX.)

9. Incipit autem pupillaris ſubſtitutio habere vires ſolâ ſui hæredis exiſtentiâ, licèt is non immiſcuerit ſe, ſed abſtinuerit ab hæreditate paternâ. *l.* 12. *ff. h. t. l. 42. ff. de acquir. hæred. l.* 28. *ff. de reb. aut jud. poſſid.* Obſt. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. intelligenda eſt de caſu, quo pater extraneum inſtituit, & filio hæredato ſubſtituit; quo caſu neceſſe eſt hæreditatem per extraneum inſtitutum adiri; ne alioquin irritum fiat paternum teſtamentum, & ita ſimul corruant pupillares tabulæ. *l.* 10. § 4. *ff. h. t.* Obſt. *l. 11. §. 1. ff. ad Senatuſc. Trebell.* Reſp. ibi coguntur adire, non ut tabulæ pupillares confirmentur, ſed ut fideicommiſſum peti poſſit à ſubſtituto. (XXI.)

10. Effectus ſubſtitutionis pupillaris eſt, quòd ſubſtitutus capiat omnia pupilli bona vel à patre vel aliunde profecta §. 4. *inſt. h. t.* ſic ut nec mater pupilli contra talem ſubſtitutum querelam movere poſſit. *l. 8. §. 5. ff. de inoffic. teſt. l. 1. C. h. t.* quòd, quia odioſum eſt, non videtur ad tacitam pupillarem porrigendum. Quòd ſi pater filio ſubſtituerit eoſdem, quos

quos ſibi hæredes inſtituerat, iiſque tertium addiderit, veluti, *quiſquis mihi hæres erit & Sempronius filio meo hæredes ſunto;* ſubſtituti ſinguli viriles partes capient. *l. ult. C. de impub. & aliis ſubſtit.* abrogatâ. *l. 9. ff. h. t.* Nec poteſt ſubſtitutus pupillaris ſeparare hæreditatem impuberis à patris hæreditate; ſed utramque ſimul adire debet vel repudiare. *l. 10. §. 2. 3. ff. h t.* niſi juſtâ de causâ, favore pupillorum prætor iſtam ſeparationem admittat. *l. 12. ff. h. t.* vel impubes ſe necdum paternæ immiſcuerit hæreditati; tunc enim pupilli hæreditatem acceptare, patris verò repudiare ſubſtitutus poteſt. *l. 28. ff. de reb. aut jud. poſſid.* ubi pro *ſervandum non eſt* legendum, *ſervandum eſt* ut ſubjuncta ratio & alia in textu ſuadent. *l. 42. ff. de acquir. hæred.* (XX, XXI.)

11. Evaneſcit hæc ſubſtitutio, pubertate. *l. 14. ff. h. t.* vel alio breviori tempore per teſtatorem conſtituto. *l. 21. ff. h. t.* Ultra pubertatem ſi facta ſit, nec jure quidem fideicommiſſi ſuſtinetur; cum id in ſolis obtineat militibus ex privilegio, ut verba eorum directa flectantur in fideicommiſſaria. *l. 8. in fin. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Obſt. *l. 76. ff. ad Senatuſc. Trebell.* Reſp. ibi agitur de ſubſtitutione directò factâ in codicillis, ſed non ultra pubertatem, quæ ſuſtinetur tanquam fideicommiſſaria; ut alius ibi caſus ſit. (XXV.)

12. Corruit inſuper pupillaris ſubſtitutio, ſi impubes ante patrem mortuus ſit, aut vivo patre ſui juris factus, *l. 41. §. 2. ff. h. t.* ut & ſi patris teſtamentum in totum jure civili ſit infirmatum. *l. 16. §. 1. ff. h. t. l. 8. §. 5. ff. de in offic. teſt.* ſecus, ſi vel pro parte tantùm infirmatum ſit, putà per querelam inofficioſi. *arg. nov. 115. c. 3. in fin.* vel in totum quidem, ſed jure tantùm prætorio per bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *l. 34. §. ult.* Quòd ſi pater capiatur ab hoſtibus, quia teſtamentum ejus ſubſiſtit ex legis Corneliæ fictione, etiam ſubſtitutio manebit firma. *l. 10. §. ult. l. 11. ff. de captiv. & poſtlim. l. 28. ff. h. t.* ubi pro *non commodè* legendum *non incommodè.* (XXIII, XXIV.)

13. Exemplaris ſubſtitutio, [quæ & quaſi pupillaris dicitur, ac itidem, ut ſuperiores, in expreſſam & tacitam dividi poteſt,] eſt, quâ pater vel mater liberis etiam emancipatis puberibus furioſis aut mente captis ſubſtituit in caſum, *quo hæredes erunt; & intra furorem vel amentiam morientur:* ita tamen, ut ipſi amentes vel furioſi inſtituendi ſint ſaltem in legitima, & ſubſtituendi veniant primò furioſorum liberi, hiſque deficientibus fratres; ac ſi hi quoque deficiant, tum

demum extranei. *l.* 9. *C. h. t.* (XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII.)

14. Quòd ſi furor aut amentia ceſſet, hæc quoque ſubſtitutio inutilis eſt. §. 1. *Inſt. h. t.* nec reviviſcit, ſi is, cui facta erat, in furorem iterum relabatur: quippe qui ſibi imputare debet, quòd dilucidi intervalli tempore teſtamentum ipſe non condiderit. Nec obſtat argumentum ex *l.* 6. C. *de curat. furioſ.* cum in caſu illius l. alia ſit ratio: quòd enim redeunte furore redeat curatoris adminiſtratio, id inde eſt, quia furioſus dilucidi intervalli tempore non ita res ſuas poteſt diſponere, ut illæ tempore furoris non indigerent ulteriori adminiſtratione; cum tamen quiſque condendo teſtamentum ſibi in futurum rectè proſpicere poſſit, ne aliâ diſpoſitione deinceps opus ſit. [XXXIV, XXXV.]

15. Militaris ſubſtitutio dicitur, quæ ex privilegio militari fit à milite, non liberis tantùm, ſed & extraneis, quantum ad bona à milite profecta, in caſum, quo hæredes erunt & quandocunque morientur. *l.* 15. *ff. h. t. l.* 6. *C. de teſtam. milit.* (XXXVI.)

16. *Moribus.* Pupillaris & exemplaris ſubſtitutio non ita hodie obtinet, ut de jure Romano; ſed potius generaliter, ſi pater vel mater liberis puberibus aut impuberibus, vel extraneus extraneo verbis directis ſubſtituerit in caſum quo hæredes erunt & intra pubertatem vel quandocunque morientur, ſubſtitutio hæc ſuſtinetur jure fideicommiſſi, idque tantùm reſpectu bonorum à ſubſtituente profectorum non item quoad alia impuberum aut furioſorum bona.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 25. *de inſtit. & ſubſtitut. tit.* 26. *de impub. & aliis ſubſtitut.*

TIT. VII.

De Conditionibus Inſtitutionum.

1. INſtitui poſſunt hæredes vel purè vel ſub conditione. §. 9. *Inſt. de hæred. Inſtit.* Quòd ſi teſtator ſcripſerit, ſe Titium hæredem inſtituere *ſecundum conditiones infra ſcriptas*, & nullam deinde conditionem ſubjiciat, valet tamen inſtitutio. *l.* 8. *C. de Inſtit. & ſubſtit.* abrogatâ *l.* 9. §. 5. *ff. de hæred. Inſtit.* (I, II.)

2. Eſt autem conditio, propriè & ſtrictè dicta, caſus adjectus actum

actum ſuſpendens propter incertum futurum eventum: quamvis enim & de præteritis aut præſentibus conditiones poſſint concipi, quia tamen actum non ſuſpendunt, non niſi impropriè conditiones ſunt. Dividuntur verò in poſſibiles ac impoſſibiles, latiùs acceptâ conditionis voce. Poſſibiles iterum vel poteſtativæ ſunt vel caſuales vel mixtæ. (x.)

3. Poteſtativa dicitur, quæ eſt in honorati poteſtate; quæ licèt regulariter implenda ſit, pro impletâ tamen habetur, ſi non per honoratum, ſed per eum in cujus perſonâ implenda erat, vel per eum cujus intererat eam non impleri, ſteterit, quo minus impleatur, *l.* 33. §. 1. *ff. de fideicomm. libert. l.* 14. 45. *ff. de condit. & demonſt. l.* 1. *C. de Inſtit. l.* 20. *ff. de annuis legat.* Quòd ſi facto tertii impeditum ſit ejus implementum, cenſetur defeciſſe. *l.* 23. §. 2. *ff. ad leg. Aquil.* Obſt. *l.* 31. §. 4. *ff. de legat.* 2. Reſp. factum tutorum ibi pro facto pupilli habetur, cum tutores pupillum repræſentent. Si mero caſu fortuito, veluti mortalitate, non fuerit impleta poteſtativa conditio, ſi quidem caſus ille contigerit vivo etiamnum teſtatore, pro impletâ habetur conditio; fortè quia præſumitur adhuc continuata durare voluntas teſtatoris, qui, ſi voluiſſet, aliud potuiſſet ultimâ voluntate diſponere. *l.* 8. §. *pen. ff. h. t.* quo pertinet etiam *l.* 28. *ff. de condit. & demonſtr.* niſi quis malit, in *d. l.* 28. inutilem eſſe conditionem, ut libertati matrimonii contrariam ex *l.* 72. §. 4. *ff. eod.* Si verò poſt mortem demum teſtatoris caſus fortuitus extiterit, quo impeditum fuit poteſtativæ conditionis implementum, ipſa quoque conditio cenſebitur defeciſſe: & de tali caſu intelligenda. *l.* 4. *C. de condit. inſertis. l.* 94. *ff. de condit. & demonſtr.* atque ita etiam ad caſum; quo ſervus vivo teſtatore mortuus erat, limitanda. *l.* 54. §. 2. *ff. de legat.* 1. ex *l.* 8. § *pen. ff. h. t.* (XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII.)

4. Caſualis conditio eſt, quæ non ab arbitrio honorati ſed incerto planè eventu dependet. Quam planè exiſtere neceſſe eſt, ut relicta capi poſſint; ſic ut nunquam fingatur impleta. [XVIII.]

5. Mixta conditio dicitur, quæ partim ab arbitrio honorati, partim aliunde dependet, eaque, quatenùs caſualis eſt, omnino exiſtere debet, quatenus verò poteſtativa eſt, pro impletâ nonnunquam habetur juxta ſuperiores diſtinctiones.

6. Impoſſibilis conditio vel naturâ talis eſt, vel moribus, adeòque omnis ea, quam naturâ vel honeſtas exiſtere non patitur. *l.* 15. *ff. h. t.* quales in teſtamento pro non ſcriptis habentur, ſicut hæres ſub iis inſtitutus, purè credatur ad hæreditatem vocatus. §. 10. *Inſtit. de hæred. Inſtit.* niſi filius à pa-

tre

tre ſub turpi conditione inſtitutus ſit: is enim eo caſu pro præterito habetur. *l.* 14. *ff. h. t.* Cæterùm turpibus conditionibus etiam ſtolidæ ac deriſoriæ annumerandæ ſunt. *l.* 6. 14. 27. *ff. h. t. l.* 113. §. *ult. ff. de legat.* 1. [xv, xvi.]

7. Conditioni ſimilis eſt dies incertus. *l.* 75. *ff. de condit. & demonſtr.* niſi tantùm ſolutionis, non obligationis morandæ gratiâ adjectus ſit. *l.* 26. §. 1. 2. *ff. quand. dies legat. ced.* Nec intereſt, utrùm incertum ſit an dies extiturus ſit, an verò dubium, quando ſit extiturus. *l.* 4. *ff. eod. tit.* adde. *l.* 79. *ff. de condit. & demonſtr.* Dies verò certus inſtitutioni nequit adjici, & ſi adjectus fuerit, pro non ſcripto habetur, hæreſque purè inſtitutus creditur. §. 9. *Inſt. de hæred. inſtit.* [xxxii.]

8. *Moribus.* Poteſt quis jure hodierno hæredem ex certo tempore vel ad certum tempus inſtituere, quatenus hæc & ſimilia ſuſtinentur jure taciti fideicommiſſi.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 25. *de inſtit. & ſubſtit. & reſtitut. ſub conditione factis.*

Tit. VIII.

De Jure Deliberandi.

1. Jus deliberandi eſt facultas hæredi conceſſa, ut intra præſcriptum tempus conſultare ac perquirere poſſit, utrùm hæreditatem adire velit, nec ne. (1.)

2. Ad deliberandum autem & explorandas hæreditatis vires, nullo aditionem urgente, hæres habet integros triginta annos, *arg. l.* 3. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* aliis verò eam urgentibus, olim quidem hæredi petenti dabatur à prætore tempus ad deliberandum, arbitrarium, non minus tamen centum diebus, *l.* 2. 3. 4. *ff. h. t.* ſed poſtea omnibus, etiam non petentibus, datum fuit à lege anni ſpatium; quod & ad hæredes tranſmittitur, ſi hæres intra illud tempus moriatur ſciens ſe hæredem eſſe. *l.* 19. *C. h. t.* niſi forſan hoc ex parte mutatum ſit per *l. ult.* §. 13. *C. h. t.* Quòd ſi plures ſint facti inſtitutionum ſeu ſubſtitutionum gradus, primo deliberante, annale tempus non currit cæteris. *l.* 69. *ff. de acquir. hæred.* ipſe verò deliberans, ſi anno lapſo mentem non declaret & taceat, repudiaſſe cenſebitur; ſi quidem ſubſtitutis urgentibus deliberaverit, ac ſubſtitutis locus erit. *l.* 69. *ff. de acquir. hæred.* ſin urgentibus creditoribus & legatariis, ex ſilentio præſumetur adiviſſe. *l. ult.* §. 14. *in med. C. h. t.* [ii, iii, iv, v, vi, vii, viii.]

3. Sed cùm poſt ſedulam deliberationem ſæpè emergeret æs alienum, ad quod in univerſum exſolvendum hæres aditione obligabatur, introductum eſt jure novo beneficium inventarii; quod eſt repertorium ſeu deſcriptio ſolennis omnium bonorum defuncti. *l. ult. paſſim C. h. t.* cujus plura requiſita ſunt; puta, ut inchoëtur intra triginta & abſolvatur intra ſexaginta dies, vel inchoëtur & abſolvatur in univerſum intra dies nonaginta, ex quo quis ſcivit ſe hæredem eſſe; niſi patrimonium defuncti admodum diſperſum ſit; quo caſu uſque ad annum inventarii abſolvendi tempus extendi poteſt. *l. ult. §. 2. 3. 4 C. h. t.* Adhibeatur & tabellio; ac vocentur omnes quorum intereſt tum creditores tum legatarii; iiſque deficientibus tres adhibeantur teſtes: deſcribantur res omnes mobiles, immobiles, incorporales, debita & credita; hæres ſubſcribat, vel, ſi imperitus ſit, pro eo tabellio. *l. ult. paſſim C. h. t. nov.* 1. *c.* 2. [IX, X, XI.]

4. Si res quædam omiſſæ ſint, ſi quidem dolo; reſtituendæ duplicatæ; ſin ſine dolo, ſimpliciter cæteris adjungendæ. *L. ult. §. 10. C. h. t.* Nec poteſt teſtator hæredi ſolennem hanc remittere inventarii confectionem in fraudem & præjudicium creditorum; licèt eam tutori remitti poſſe, alibi dictum ſit. (XV, XVI.)

5. Inventarii inchoati effectus eſt, quòd hæres interim à nemine poſſit inquietari. *l. ult. §. 11. C. h. t.* Ejuſdem verò perfecti vis eſt, quòd hæres non teneatur creditoribus ultra vires hæreditarias; ſibi à defuncto debita non amittat aditione, ſed ſervet pro ratâ; deducat impenſas in funus defuncti & inventarii confectionem erogatas; Falcidiam ex legatis detrahat, creditoribus poſtea emergentibus reſpondere non teneatur; quippe quibus tantùm contra reliquos creditores & legatarios actio ſalva eſt. *d. l. fin. C. h. t. per tot.* (XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV.)

6. Si autem fiduciarius hæres inventarium confecerit; id non ipſi tantùm, ſed & fideicommiſſario profuturum eſt; cum tales ſcripturæ publicam fidem faciant. *arg. l. ult. C. arbit. tut. l. 57. ff. de admin. tut.* Obſt. *l. 73. ff. ad Senatuſc. Trebell.* Reſp. agit de privatis ſtipulationibus, quæ non proſunt aliis ſine ceſſione; dum quiſque ſibi, non alteri, ſtipulando acquirit. [XXVI.]

5. Quòd ſi quis, inventario non confecto, hæreditatem adierit, ad omnia in ſolidum exſolvenda tenetur, etiam ultra vires hæreditarias; nec Falcidiam deducit; nec ſalvam habet

habet legitimam; cum hæreditas præſumatur ad omnia ſufficiens. *l. ult. §. 12. 14. C. h. t. auth. ſed cum teſtator. C. ad leg. Falcid.* Obſt. legitima onerari nequit. *l. 30. C. de inoff. teſt.* Reſp. à teſtatore quidem gravari nequit, à lege tamen in pœnam poteſt adimi. Obſt. *nov. 1. c. 4. §. 1.* Reſp. alius caſus eſt. (XXVII.)

8. Si tamen miles neglexerit inventarium componere, ex privilegio tantùm uſque ad vires hæreditatis tenetur. *l. fin. C. h. t.* quòd fortè & ad fiſcum in bona vacantia ſuccedentem extendendum. *arg. l. 1. §. 1. ff. de jure fiſci.* (XXVIII.)

9. *Moribus.* Beneficium inventarii hodie peti ſolet à Principe, cujus partes hâc in re in Hollandia ſuſtinet Curia Suprema; & impetratum beneficii diploma interinandum eſt (ut loquuntur) coram judice loci, aut Curia Provinciali. Jus autem petendi hoc beneficium nullo temporis ſpatio invenitur apud nos coarctatum; ut videatur quovis tempore poſſe peti quamdiu nihil per hæredem ex hæreditate contractatum eſt; niſi creditores aut legatarii urgeant, quo caſu ad eorundem petitionem judices hæredi ad deliberandum concedunt tempus arbitrarium; intra quod vel adire poteſt, vel, ſi ſuſpecta videatur hæreditas, ad inventarii beneficium recurrere. Ubi verò diploma hoc beneficium continens impetratum fuerit, ex eo tempore intra dies fortè quadraginta conficiendum eſt repertorium, & confectum jurejurando confirmandum. Denegari tamen ſolet hoc beneficium, ſi hæres hæreditatem jacentem expilaverit, aut aliter jam attigerit res hæreditarias; ut &, ſi alius cognatus remotior, [non item ſuperſtes conjux] ſimpliciter ſine inventario adire paratus ſit, quo caſu remotior proximiori hoc beneficium petenti præferendus eſſet in hæreditate, [ſecus Ultrajecti] ut tamen proximior, qui jam imploraverat aut impetraverat beneficium, ei renuntiare poſſit, & ſimpliciter hæreditatem adire, ut excludat remotiores ſimpliciter adire deſiderantes.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 30. de jure deliber.*

LIBER XXIX.

TIT. I.

De Teſtamento Militis.

1. TEſtamentum militare (occaſione quidem imperitiæ militum, favore tamen militiæ præcipuè introductum, *pr. Inſt. h. t.*) eſt quod militiæ, non domi, factum eſt ab eo, qui in numerum relatus ſtipendia meret. In quo nullæ juris civilis ſolennitates deſiderantur; ſic ut miles poſſit ultimam voluntatem condere quomodocunque voluerit, etiam in acie jam ſaucius eandem inſcribere clipeo vel vaginæ vel arenæ, rutilantibus ſanguine literis. *l. 1. ff. h. t. l. 15. C. h. t.* modò id ita factum eſſe legitimis probationibus conſtare poſſit. *l. 40. ff. h. t.* adeòque ſi vivâ voce voluntatem nuncupet, duo ad minimum teſtes fuerint adhibiti. *§. 1. Inſt. h. t.* [I, II, III, IV.]

2. Adhæc multa militibus circa teſtamenta ſunt permiſſa, quæ paganis interdicta: nam pro parte teſtati & inteſtati poſſunt decedere. *l. 6. ff. h. t.* Obſt. *l. 3. C. h. t.* Reſp. ibi teſtator non expreſſerat conſueta vocabula *ſextantis & unciæ*, ſed dixerat, *ex uncia, ex duabus unciis*, ut illic fuerit voluntatis quæſtio. Ceſſat & ex eo fundamento in eorum teſtamentis jus accreſcendi inter cohæredes, adeò ut, ſi alium caſtrenſium alium non caſtrenſium bonorum hæredem ſcripſerint; & alteruter deficiat, in dubio portio deficientis non ad cohæredem ſed ad ſucceſſorem ab inteſtato pervenire debeat, niſi cohæres aliam probaverit fuiſſe mentem teſtatoris. *l. 37. ff. h. t.* Obſt. *l. 1. C. h. t.* Reſp. ibi legitimi hæredes conventi, exceperant, bona caſtrenſia militis ex voluntate ejus ad fratrem non pertinere, & ita excipiendo actores facti, id ipſum debebant probare. [V.]

3. Licitum inſuper militibus plura condere teſtamenta, ſic ut omnia valeant. *l. 19. ff. h. t.* incapaces inſtituere. *l. 13. §. 2. ff. h. t.* filium, quem ſe habere non ignorant, impunè præterire. *l. 9. 10. C. h. t.* filio ultra pubertatem ſubſtituere. *l. 15. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* & ita quidem ut non neceſſariò ſibi

quoque

quoque ſimul teſtamentum faciant. *l.* 14. §. *ult. ff. h. t.* codicillis hæreditatem dare. *l.* 36. *ff. h. t.* (VI, VII.)

4. Præterea teſtamenta militum nec quærelæ inofficioſi ſubjacent, nec Falcidiæ. *l. ult. C. de inoffic. teſt. l.* 7. *C. de leg. Falcid.* nec infirmantur ex eo, quod miles ad ultimum ſupplicium condemnatus ſit, niſi id contigerit ob crimen fidem ruptam continens. *l.* 11. *ff. h. t.* &, ſi imperfectum ante militiam teſtamentum condiderint, ac militare cœperint, valet illud tanquam ex nova voluntate, modò eam vel verbo vel facto vel ſigno aliquo declaraverint *l.* 9. §. 1. *l.* 15. §. 2. *l.* 20. 25. *ff. h. t.* (VIII.)

5. Cavere tamen milites oportet, ne fundum dotalem teſtamento alienent, *l.* 16. *ff. h. t.* aut libertates dent in fraudem creditorum. *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* aut turpi mulieri vel focariæ quid relinquant. *l.* 41. §. 1. *ff. h. t. l.* 2. *C. de donat. inter vir & uxor.* aut denique captatoriam faciant hæredis inſtitutionem. *l.* 11. *C. h. t.* [IX.]

6. Condunt autem militare teſtamentum præter ipſos milites etiam cæteri, qui, licèt non militent, in caſtris tamen & in hoſtico verſantur, periculi participes; quorum tamen teſtamenta non aliter ſubſiſtunt; quam ſi teſtatores in hoſtico decedant, nam ſi revertantur, non durabit voluntas uſque ad annum à reditu. *l. fin. ff. h. t.* uti quidem durant à veris militibus condita, ſi illi honeſtâ vel cauſariâ, non ignominioſâ miſſione miſſi ſint. §. 3. *Inſt. h. t. l.* 26. 21. *ff. h. t.* [X.]

7. *Moribus.* Teſtamenta militaria adhuc hodie apud nos ſuſtineri, tradunt Pragmatici.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 21. *de teſtam. militis.*

TIT. II.

De acquirendâ vel omittendâ Hæreditate.

1. HÆredes vel *neceſſarii* ſunt; ut ſervi à propriis dominis inſtituti, vel ſui & neceſſarii, qui proximum à teſtatore gradum in poteſtate obtinent: vel extranei, omnes videlicet, qui nec ſui ſunt nec neceſſarii. *pr. &* §. 1. 2. 3. *Inſt. de hæred. qual. & differ.* Et *ſui* quidem cum ex jure prætorio habeant abſtinendi beneficium, §. 2. *Inſt. de hæred. qual. & differ.* hæreditatem acquirunt immixtione; dum re, verbis, litteris; aut aliter declarant, ſe ſuſcipere & retinere hæreditatem. *arg. l.* 87. *ff. h. t. extranei* verò aditione. [I, II.]

2. Adire

2. Adire verò hæreditatem poſſunt, qui & conſentire; pupilli & prodigi non ſine tutoris aut curatoris authoritate. §. 1 *Inſt. de aut. tut.* Quòd ſi hæres vel furioſus vel infans ſit, pro eo tutor vel curator hæreditatem adit, jure ſingulari. *l.* 18. §. 2. C. *de jure delib. l. ult. C. de curat. furioſi.* cum alioquin per curatorem aut procuratorem nequeat fieri aditio, quippe quæ actibus legitimis annumeratur. *l.* 90. *ff. h. t. l.* 77. junct. *l.* 123. *ff. de R. J.* excepto caſu *l.* 1. *ff. de offic. procurat. Cæſar.* [IX]

3. Si ſervus alienus hæres ſit, adit jubente domino. §. 3. *Inſt. per quas perſ. nob. acquir.* Si minor, autore curatore. *l.* 1. C. *ſi tut. vel curator interven.* Obſt. *l.* 17. §. *ult. ff. de appellat.* Reſp. agit de curatore ad lites. Si filius familias, patre conſentiente adit; quo caſu patri uſusfructus filio proprietas hæreditatis acquiritur; ſed ſi pater conſentire recuſet, filius ſolus adeundo plenum ſibi acquirit hæreditatis dominium; ſimilique modo pater eam ſibi acquirit, ſi filius eam adire nolit. *l. ult.* §. 2, 3. *C. de bon. quæ liber.* Si tamen vel pater vel filiusf. furioſus ſit, furioſo ita jus in hæreditate acquiritur, ac ſi ipſe ſanæ mentis exiſtens in aditionem conſenſiſſet. *l.* 52. 63. *ff. h. t.* [XXI.]

4. Adire verò quiſque debet hæreditatem purè, non ſub conditione, *l.* 77. *ff. de R. J.* ac tunc demum, cum delata eſt, non ante; adeòque non, pendente conditione inſtitutioni appoſitâ. Unde ſi hæreditas alicui partim purè partim ſub conditione data ſit, & in parte conditionali ſit ſubſtitutus alius, pendente conditione inſtitutus non niſi eam partem, ad quam purè vocatus eſt, adire poteſt, *l* 27 *ff. de hæred. inſtit.* ſecus, ſi nullus in parte conditionali ſubſtitutus ſit; tunc enim non expectato conditionis eventu ſtatim totam hæreditatem adit, cum, deficiente conditione, tamen ex jure accreſcendi hæres ſit. *l.* 33. *ff. de hæred. inſtit.* [XII, XIII.]

5. Quòd ſi ab initio in totum ſit delata hæreditas, in totum quoque adeunda eſt, nec poteſt quiſquam eam pro parte adire pro parte repudiare, aut legitimam retinere reliquâ hæreditate omiſsâ. *arg. l.* 1. 2. *ff. h. t. l.* 20. C. *de jure deliber.* ſi quis tamen unà cum minore hæres inſtitutus ſit, minore adeunte & iterum reſtituto, poteſt alter ſuâ parte contentus eſſe, repudiatâ reſtituti parte. *l.* 61. *ff. h. t.* idemque eſt, ſi unus ex pluribus hæredibus implere nolit defuncti voluntatem; nam & ejus portio reliquis volentibus, non invitis, accedit. *nov.* 1. c. 1. (XV.)

6. Ad aditionem inſuper neceſſe eſt, ut quis ſciat ſe hæredem eſſe, & conditionem extitiſſe ſub qua ſcriptus eſt. *l.* 19. 32. §. 1. *ff. h. t. l.* 21. *ff. de condit. & demonſtr.* Obſt. *l.* 21. §. *ult. ff. h. t.* Reſp. reſtringenda eſt & accipienda de caſu, quo quis partim purè partim ſub conditione hæres inſtitutus eſt; qui adire poteſt, licèt necdum conditio extiterit, juxta *l.* 26. 35. *ff. de hæred. Inſtit.* Utrùm autem ſciat hæres, ex qua parte hæres ſit, an verò id ignoret, nihil intereſt; utroque enim caſu adire poteſt modò adeat ex parte incertâ, ſi ignoret pro quâ parte hæres ſit. *l.* 6. *in fin. ff. ſi pars hæred. pet.* non ex certâ. *l.* 75. *ff. h. t.* [XIV.]

7. Fit autem aditio vel verbis vel facto ſeu pro hærede geſtione; dum quis animo hæreditatis adeundæ contrectat res hæreditarias; vel etiam alias quas putat eſſe hæreditarias *l.* 20. 21. §. 1. *l.* 88. *ff. h. t.* qui animus ſi deſit, facta non creditur aditio. Deeſſe tamen cenſetur, ſi hæres vel erret, vel proteſtetur, vel petat diſtrahendi veniam, &c. *l.* 20. §. 1. *l.* 21. *ff. h. t.* [IV, V, VI, VII, VIII]

8. Effectus aditionis eſt, quod adiens omnia conſequatur jura defuncti, quæ per mortem non fuerunt extincta; non tamen poſſeſſionem, quippe quæ apprehendenda per hæredem. *l.* 23. *ff. de acquir. poſſeſſ.* licèt uſucapio jure ſingulari continuetur, & hactenus etiam hæredi quæſita videatur ſine apprehenſione poſſeſſio. *l.* 40. *ff. de uſurp. & uſucap.* Nec refert, quo tempore hæres hæreditatem adiverit, cum aditio quandocunque facta retrotrahatur ad tempus mortis. *l.* 54. *ff. h. t.* (XVIII, XIX. & ſeqq. ad num. XXXIII.)

9. Omittitur hæreditas per ſuos hæredes, dum abſtinent, adeòque vel nihil attingunt, vel in judicio aut extra illud declarant, ſe nolle hæreditatem paternam retinere. *l.* 12. *l.* 71. §. 4. *ff. h. t.* Qui tamen abſtinere nequeunt, ſi aliquid ex hæreditate ſurripuerint. *d. l.* 71. §. 4. 5. *& ſeqq. ff. h. t.* vel per interpoſitam emptoris perſonam quid ex bonis patris mercati fuerint. *l.* 91. *ff. h. t.* niſi id fecerint bonâ fide. *l.* 2. *C. h. t.* (XXXIII, XXXIV.)

10. Per extraneos verò hæredes repudiando omittitur; quales & repudiare poſſunt, licèt aliquid ex hæreditate ſurripuerint. *arg. l.* 21. *ff. h. t.* Nec, ſi ſemel repudiaverint, rurſus eam adire poſſunt; niſi ex diverſis cauſis, veluti ex teſtamento & ab inteſtato, delata ſit; quo caſu, ſi ex teſtamento repudiaverint, ab inteſtato adhuc rectè adeunt. *l.* 70. *ff. h. t.* [XXXIII, XXXVII.]

11. Ca-

11. Cæterùm, uti aditio, ita & repudiatio hæreditatis fieri nequit, niſi poſtquam delata fuerit hæreditas, adeòque non pendente conditione. *l.* 13. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* *l.* 1. *ff. de curat. bon. dand.* Reſp. repudiatio illic eatenus permiſſa eſt, ut creditores pendente conditione poſſint bona poſſidere & eorum curatorem conſtituere, ne pereant; cum alioquin pendente conditione hæres ipſe poſſidere poſſit, præſtitâ cautione ei, qui vel ex ſubſtitutione vel ab inteſtato ſperat ſucceſſionem ſi conditio defecerit, *l.* 12. 13. *ff. qui ſatiſd. cog.* Obſt. *l.* 1. C. *de pactis.* Reſp. ibi pactum de repudianda hæreditate erat initum duorum conſenſu, cui major vis tribuenda videbatur, quàm ſimplici repudiationi, quæ unius nudâ voluntate fit. (xxxv.)

12 Si hæres moriatur, antequam vel adierit vel repudiaverit, cum non ignoraret hæreditatem ſibi delatam eſſe, jus adeundi ad hæredes tranſmittit, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato hæres ſit, *l.* 19. *C. de jure delib.* An autem quis adiverit aut ſe immiſcuerit, nec ne, ejus probatio creditori videtur imponenda. *arg. L.* 2. *ff. de probat. l.* 23. *C. eod.* (xI.)

13. Quòd ſi ex pluribus hæredibus quidam deficiant aut hæreditatem repudient, portiones eorum reliquis accreſcunt. Et generaliter quidem omnes hæredes jure accreſcendi gaudere poſſunt, ſive re & verbis ſimul, ſive re tantùm, ſive verbis tantùm conjuncti ſint, ſive nullo modo conjuncti; ne aliàs contingat, paganum pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum eſſe, contra *l.* 7. *ff. de R. J.* in concurſu tamen alios aliis potiores eſſe, haud dubium, etenim, ſi omnes & ſinguli eodem modo eâdemque formâ inſtituti ſint, omnes pro rata ad portionem deficientem concurrere expeditum eſt, ſed ſi diverſimode, dum quidam conjuncti, alii disjuncti ſunt, conjuncto quidem uno deficiente ad partem ejus ſoli vocantur conjuncti eodem conjunctionis genere, excluſis disjunctis ac conjunctis diverſo conjunctionis genere, at disjuncto deficiente, omnes ad ejus portionem concurrunt, tam disjuncti quàm plures inter ſe conjuncti; ut tamen plures inter ſe conjuncti eo caſu unam tantum perſonam repræſentent cum disjunctis concurrentes. *l. unic.* §. 10. *C. de caduc. tollend.* ſi tamen teſtator alicui hæredum nominatim ſubſtituerit, ſubſtitutus cohæredem excludit. *arg. L.* 2. §. 8. *ff. de bon. poſſ. ſecund. tab.* [xxxIx.]

14. *Moribus.* Nulli apud nos ſui vel neceſſarii hæredes ſunt, ſed ipſi etiam deſcendentes adeunt aſcendentium hæreditatem

 liberâ,

liberè. Si filius aliquis inſtitutus ſit, & firmatum habeat judicium, ſine patris voluntate hæreditatem adit; nec patri quæritur ejus uſusfructus: & ſi filius hæreditatem delatam repudiet, non poteſt eam pater adire & ſibi retinere ſed magis ea ad defuncti proximiores devolvitur. Mulier tamen nupta nec adire nec repudiare poteſt hæreditatem ſibi delatam ſine mariti conſenſu; in tantum, ut exiſtiment, maritum etiam invitâ muliere poſſe repudiare. Tutores autem pupillorum & curatores minorum, &c. rectè pro pupillis & minoribus adeunt aut repudiant, quamvis tutius fecerint, ſi judicis decretum adhibeant cum repudiant, aut ſub beneficio inventarii hæreditatem adeant. Cæterùm ſi hæreditas ſuſpecta ſit, liberi in dubio non præſumuntur adiviſſe hæreditatem, ſed id per creditores probandum. Uti nec ex eo ſolo hæres adiviſſe creditur, quòd defunctum ſepelierit, licèt tutiùs proteſtationem adhibeat, ſe non animo adeundi id facere. Jus autem accreſcendi hodie inter cohæredes locum non habet, quatenus nititur juris Romani ſubtilitatibus, cum quiſque poſſit pro parte teſtatus & inteſtatus eſſe; non tamen jus accreſcendi ceſſat, quoties concurrit vel evidens vel probabilis voluntas teſtatoris.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 30. de iure deliber., & de adeundâ vel acquir. hæreditate. tit. 31. de repud. vel abſtin. hæred. tit. 32. de his qui ante apert. tab. hæred. transmittunt.*

Tit. III.

Teſtamenta quemadmodum aperiantur, inſpiciantur & deſcribantur.

1. Tabulæ teſtamenti ſolenniter aperiuntur, coram magiſtratu, citatis iis quorum intereſt, citatis & teſtibus adhuc viventibus, ut ſigna agnoſcant: & ſufficit majorem ſignatorum numerum præſentem eſſe. *l. 6. ff. h. t.* ſed ſi teſtes alibi habitent, venire non coguntur, verùm mittendæ ad eos tabulæ, ut ſigna recognoſcant; atque interim, urgente juſtâ causâ, coram aliis viris honeſtis tabulæ aperiri poſſunt, quæ apertura minùs ſolennis eſt: quo tamen caſu rurſus occludendæ, & ſic teſtibus ad agnoſcenda ſigilla exhibendæ ſunt, *l. 7. ff. h. t.* [1, III, IV.]

2. Apertis autem tabulis, earum inſpiciendarum & deſcriben-

ſcribendarum copia danda eſt iis, quorum intereſt, præſtito jurejurando calumniæ *l.* 1. *ff. h. t. l.* 3. C. *h. t.* quales ſunt hæredes, ſubſtituti, fideicommiſſarii univerſales, imo & legatarii, cum jure novo poſſint etiam ab inteſtato capere legata. *nov.* 1. *c.* 1 [II]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 32. *quemadm. teſtam. aper. inſpic. & deſcribantur.*

Tit. IV.

Si quis omiſsâ causâ Teſtamenti ab inteſtato vel alio modo poſſideat Hæreditatem.

1. SI quis doloſè nolit ex teſtamento adire hæreditatem, vel filiof. aut ſervo jubere ut adeat, vel tempus adeundi patiatur præterlabi, quia fortè ab inteſtato hæres eſt, ut ita evitet neceſſitatem præſtandi legata; & deinde ab inteſtato eam adiverit, nihilominus legata & alia teſtamento relicta præſtare cogitur. *l.* 1. *paſſim h. t.* [I.]

2. Idemque obtinet, ſi doloſè, acceptâ pecuniâ, inſtitutus ceſſerit legitimo. *l.* 1. §. *ult. l.* 2. 3. 4. *ff. h. t.* vel etiam ſubſtituto, in caſu quo ſubſtitutus non ad eadem legata obligatus foret, ad quæ inſtitutus. Vide *l.* 74. *ff. de leg.* 1. *l.* 98. *ff. de legat.* 3. ſecus, ſi ſine lucro ceſſerit legitimo, quo caſu ipſe hæreditatis poſſeſſor ad legata conveniendus foret. [I.]

3. Quòd ſi filius emancipatus præteritus, qui bonorum poſſeſſionem contra tabulas petens ad legata certis perſonis præſtanda teneretur, eam omiſerit, & ab inteſtato adierit, non niſi certis illis perſonis, nequaquam omnibus legatariis, legata præſtat. *l.* 6. §. *pen. ff. h. t.* Obſt. *l.* 23. *ff. h. t.* Reſp. ibi ſuus inſtitutus abſtinuerat, at non emancipatus præteritus.

4. Non tamen præſtanda legata, ſi quis omiſsâ causâ teſtamenti poſſideat hæreditatem ex donatione, quæ à teſtamento non dependet. *l. ult. ff. h. t.* ut nec, ſi dolo careat, vide *l.* 5. *l.* 6. §. 8. *ff. h. t.* (II.)

* Adde *ex Cod. lib.* 6. *tit.* 39. *ſi omiſſa ſit cauſa teſtamenti.*

Tit. V.

De Senatuſconſulto Silaniano & Claudiano, quorum Teſtamenta ne aperiantur.

1. SI teſtator per vim occiſus ſit, Senatuſconſulto Silaniano temporibus Auguſti, & Claudiano Neronis temporibus condito, cautum eſt, ne tabulæ aperiantur aut adeatur hæreditas, donec de familiâ ſervorum quæſtio fuerit habita & ſumptum de nocentibus ſupplicium. *l. 1. ff. h. t.* ſi contra factum ſit, hæredi ut indigno auſertur hæreditas & fiſco applicatur. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* licèt ſubſtituti vel legitimi hæredes necem ulti fuerint. *l. 15. ff. h. t.* Si tamen teſtator clam, veluti veneno, occiſus fuerit, vel hæres eum vi occiſum eſſe ignoraverit; vel ruſticitate neſciverit juris prohibitionem, atque ita adierit, pœna ceſſat *l. 1. §. 18. l. 2. 20. 21. 22. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

2. Eſt & contra hæredem aperientem ac adeuntem ante ultam defuncti necem prodita ex edicto prætoris actio popularis ad centum aureos, actori partim, partim fiſco applicandos. *l. 25. §. 2. ff. h. t.* (V.)

3. *Moribus.* Qui non eſt ultus defuncti violentâ morte perempti necem, ſed cum homicidâ de ſuo privato intereſſe tranſegit, non ideo hæreditate privatur.

* Adde ex *Cod. libr. 6. tit. 35. de his quib. ut indignis, &c. & ad Senatuſconſ. Silanian.*

Tit. VI.

Si quis aliquem teſtari prohibuerit vel coëgerit.

1. CUm liber omnino morientium debeat eſſe ſtilus, *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.* cautum fuit, ut, ſi quis alterum teſtari coëgerit, vel, cum ab inteſtato aut ex priore teſtamento hæres eſſet, teſtari prohibuerit, impediendo, ne teſtamentarius accedat, aliiſve modis, puniatur ademptione relicti, & idipſum fiſco cedat cum onere cohærente; ut tamen cohæredibus cæteris, quos ex liberâ voluntate teſtator inſtituit factum cohæredis non noceat,

ceat, *l.* 1. 2. *ff. h. t.* ſecus quàm obtineret, ſi & cæteros teſtator invitus ac coactus inſtituiſſet, nam & eo caſu relicta non capient, ne ex alieno dolo lucrum ſentiant *arg. l.* 1. *C. h. t.* (I)

2. Tenetur inſuper cogens vel prohibens illis quorum intereſt; quales ſunt, qui alioquin defuncto ſucceſſiſſent. *arg. d. l.* 1. *C. h. t.* Cæterùm ſi blanditiis inducatur teſtator, ut hunc vel illum hæredem ſcribat, non peccatur. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* [II, III.]

3. *Moribus.* Qui coëgerunt vel prohibuerunt teſtari, tantùm id quod intereſt præſtant illis, qui læſi ſunt, ad aliam pœnam non tenentur, niſi vim majorem adhibuerint, quæ arbitrio judicis extra ordinem coërcenda foret.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 34. *ſi quis aliquem teſt. probib. vel coëgerit.*

Tit. VII.

De Codicillis.

1. CODICILLI ſunt ultima voluntas teſtati vel inteſtati minùs ſolennis, ad quos requiritur ſimultanea quinque teſtium præſentia, & eorum ſubſcriptio, ſi in ſcriptis codicilli fiant. *l. ult. in fin. C. h. t.* inter quos teſtes etiam fœminas adhiberi, nihil impedit; cum id nuſpiam ſit prohibitum, & non talis in codicillis, qualis in teſtamentis, deſideretur ſolennitas. *arg. §. ult. Inſt. h. t. d. l. ult. C. h. t.* Obſt. *l.* 8. *verſ. quæ in eundem modum C. qui teſt. fac. poſſ.* Reſp. ſingulare eſt, quòd in codicillis cæci eædem, quæ in teſtamento, ſolennitates deſiderentur. (I.)

2. Relinquuntur autem vel ex teſtamento vel ab inteſtato *l.* 16. *ff. h. t.* ab iis, qui & de jure teſtamenta condere poſſunt; *l.* 6. §. 3. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* licèt ea forſitan de facto ob deficientem ſolennem numerum teſtium facere non poſſent. *pr. Inſt. h. t.* Si tamen ex teſtamento codicilli dependeant, valebunt, ſi is, qui eos condidit, mortis tempore teſtamenti factionem habeat, licèt eâ caruerit eo tempore, quo codicillos fecerat, *l.* 12. §. 5. *ff. de captiv. & poſtlim. l.* 8. §. 3. *ff. h. t.* Adde *l.* 1. §. 1. *ff. de legat.* 3. (I, II.)

3. Imperfecta verò teſtamenta non ſuſtinentur ut codicilli. *l.* 1. *ff. h. t.* niſi adjecta ſit clauſula codicillaris, *l. pen.* §. *ult. ff. de legat.* 2. *l. ult.* §. 1. *C. h. t. l.* 29. §. 1. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* Quo caſu, ſi quis priùs egerit tanquam ex teſtamento, & nil hi-

hil obtinuerit, deinceps tanquam ex codicillo agere nequit; niſi ſint parentes, vel liberi, vel agnati intra quartum aut cognati intra tertium gradum. *d. l. ult. pr. & §.* 2. *C. h. t.* (VI, VII, VIII.)

4. Poteſt autem quis etiam plures codicillos condere, qui ſi in nonnullis contrarii ſint, poſteriores valebunt. *l.* 5. C. *h. t.* §. 1. *Inſt. h. t.* ſed hæreditatem iis non poteſt directò dare vel conditionem hæredi ſcripto apponere. §. 2. *Inſt. h. t.* quamvis hæredum nomina in codicillis exprimi, vel partes inſtitutis aſſignari, nihil vetet. *l.* 36. 77. *ff. de hæred. inſtit.* [III.]

5. De cætero, in codicillis ſcripta perinde habentur, & firma ſunt, ac ſi in teſtamento ſcripta eſſent. *l.* 2. *pr. &* §. 2. *ff. h. t.* idque in iis quæ juris ſunt; non in iis, quæ ſunt facti: nam ſi teſtator leget in codicillis *decem, ſi Titius vivat*, aut *veſtem meam*, videndum, an codicilli conditi, non verò teſtamenti facti tempore Titius vivat, & quam teſtator tunc veſtem habuerit. *l.* 7. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* [IV]

6. Infirmantur codicilli morte honorati ante conditoris mortem eveniente. *l.* 6. §. *ult. ff. h. t.* ut &, infirmato toto teſtamento, ſi codicilli ex teſtamento dependeant. *l.* 16. *ff. h. t.*

7. *Moribus*. Codicilli hodie eandem deſiderant ſolennitatem, quam teſtamenta, & ideo codicillis hæreditatem directò dari, aut exhæredationem fieri, nihil vetat.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 36. *de codicillis.*

LIB. XXX. XXXI. XXXII.

TIT. I.

De Legatis & Fideicommiſſis.

1. LEgatum eſt donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda. § 1. *Inſt. h. t.* vel delibatio hæreditatis. *l.* 116. *de leg.* 1. Cui jure novo ſunt exæquata fideicommiſſa quæ verbis præcariis ſeu obliquis concipiuntur, & à filiof. codicillis relicta convaleſcunt, ſi ille ſui juris factus in eadem voluntate perſeveraverit. *l.* 1. § 1. *ff. de leg.* 3. [I, II.]

2. Legare poteſt omnis, qui & teſtamenta facere. *l.* 2. *ff. de leg.* 1. Ac omnibus legatum relinquitur, qui & hæredes

ſcribi

ſcribi poſſunt, adeòque capaces ſunt tempore facti teſtamenti & mortis teſtatoris §. 24. *Inſt. h. t. arg. l.* 49. §. 1. *ff. de hæred. inſtit.* ipſi quoque hæredi inſtituto, modò cohæredem habeat, à quo capiat; à ſemetipſo enim nemo poteſt capere. *l.* 18. 116. §. 1. *ff. de leg.* 1. Hinc, ſi quis hæredi & Titio leget fundum, Titius totum capiet. *l.* 34. §. 11. *ff. de leg.* 1. &. ſi duo hæredes inſtituti ſint, unus ex unciâ, alter ex undecim unciis, iiſque fundus legatus ſit, hæres unius unciæ undecim uncias ex legato eſt percepturus. *d. l.* 34. §. 12. niſi ex pluribus cohæredibus duo ſint, quibus ex parte diſpari inſtitutis fundus legatus eſt; ſinguli enim æquales in fundo partes ſunt habituri, quatenus à reliquis cohæredibus, quibus fundus legatus non eſt, partes fundi æquales capere poſſunt. *l.* 67. §. 1. *ff. de leg.* 1. vel, niſi uni ex cohæredibus quid prælegatum ſit; id enim partim jure hæreditario, partim jure legati ſibi ſervat totum. *arg. l.* 34. §. 1. *ff. de legatis* 2. *l.* 17. §. *ult. l.* 18. *ff. de legatis* 1. [IV, V, VI, VII, VIII, IX, X.]

3. Non tamen rectè legatur iis, qui non ſunt in rerum naturâ. *l.* 16. *ff. de leg.* 1. *l.* 4. *ff. de his quæ pro non ſcriptis.* nec deportatis nec ſervis pœnæ, niſi alimenta. *l.* 3. *ff. de his quæ pro non ſcript.* *l.* 11. *ff. de aliment. leg.* nec collegiis illicitis. *arg. l.* 8. *C. de hæred. inſtit.* Licita planè collegia vel pauperes vel Eccleſiæ, &c. ex legato capere poſſunt. *l.* 117. 122. *ff. de leg.* 1. *l.* 20 *ff. de reb. dub.* *l. ult. C. de ſacroſ. Eccleſ.* (III.)

4. Legatis onerari poſſunt omnes, ad quos aliquid ex defuncti voluntate expreſſâ vel tacitâ pervenit; quales inſtituti, ſubſtituti, legatarii, fideicommiſſarii, mortis causâ donatarii. *l.* 9. *C. de fideicommiſſ. l.* 74. *ff. de leg.* 1. ut & hæredes ab inteſtato, quibus dum moriens nihil adimit, dediſſe videtur. *l.* 92. §. *ult. ff. de leg.* 1. *l.* 8. §. 1. *ff. de codicill.* & bonorum omnium hæredes. *l.* 5. §. 2. *ff. de legat.* 3. Non tamen ſubſtitutus filii impuberis exhæredati, *l.* 24. *C. h. t.* nec legatarii aut fideicommiſſarii ultra quàm honorati ſunt. §. 1. *Inſt. de ſing. reb. per fideic. relictis.* exceptis caſibus in *l.* 94. §. 2. *ff. de leg.* 1. *l.* 70. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 24. §. 11. *ff. de fideicommiſſ. libert.* [XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI.]

5. Legari poſſunt res omnes, quæ ſunt in commercio, etiamſi apud hoſtes ſint, modò jure poſtliminii ſperentur redituræ: ita accipe. *l.* 104. §. 2. *ff. de leg.* 1. (aliàs non *arg. l.* 103. *ff. de verb. obl.*) Corporales & incorporales, mobiles & immobiles: adeò ut, legatis generaliter mobilibus ſine loci certi adjectione, merces etiam venales cedant legatario, ut

ut & pecunia numerata, licèt repoſita fuerit, ut fœnori daretur, vel inde prædia compararentur; cum certum ſit, mobilium appellatione contineri pecuniam: quamvis aliquo reſpectu favore minorum pecunia ipſorum emptioni prædiorum deſtinata, pro immobili videatur haberi. *arg. l. 3. §. 6. ff. de contrar. tut. act.* Sed ſi mobilia certi loci legata ſint, puta, quæ ſunt in domo vel fundo, non continetur pecunia præter eam, quæ ibi præſidii causâ eſt repoſita. *l. 79. §. 1. ff. de lega. 3. l. 41. §. 6. l. 44. l. 78. §. 1. l. 92. in fin. eod. tit.* niſi alia ſit mens teſtatoris. *l. 27. §. 3. ff. de instruct. vel instrum. leg.* [XVII, XVIII.]

6. Nec res tantùm præſentes legari poſſunt, ſed & futuræ, debita & credita, univerſitates, grex, peculium, hæreditas teſtatori relicta, pars bonorum, alimenta, annui reditus, aliaque, de quibus alibi; adhæc genera & ſpecies. Quòd ſi teſtator generis nomen præmiſerit, & generi quaſdam ſpecies, eo ſub genere comprehenſas ſubjecerit; aut id ignorans fecit, putans, eas fortè ſpecies alioquin ſub tali genere non comprehendi, eoque caſu omne, quod teſtator ex eo genere habuit unà cum ſpeciebus enumeratis debetur. *l. 12. §. pen. ff. de instruct. vel instrum. leg.* aut ſcivit, ſpecies ſubjunctas generi ſub genere comprehenſas eſſe, atque tunc creditur legatum generis ad ſpecies ſubjunctas voluiſſe reſtringere, nec præter eas quicquam ex genere legato debebitur. *l. 20. ff. de instruct. vel instrum. legato.* junct. *l. 9. ff. de ſuppellect. leg.* Sed ſi primò ſpecies quaſdam expreſſerit, dein genus ſubjunxerit, omnia ſub eo genere comprehenſa cenſetur legaſſe, niſi ex circumſtantiis alia colligatur teſtatoris voluntas. *l. ult. §. 2. ff. de trit. vino, ol. legat. l. 1. ff. de auro argento leg.* [XVII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXXV.]

7. Nec intereſt, utrùm res, quæ legatur, ſit teſtatoris propria, an hæredis, an planè aliena: ut tamen non aliter res aliena vel ejus æſtimatio debeatur, quàm ſi teſtator ſciverit eam alienam eſſe, aut, cum id ignoraret, conjunctæ perſonæ reliquerit. *§. 4. Inſt. h. t. l. 10. C. h. t.* vel piæ cauſæ, *arg. l. 39. ff. de fideicomm. libert.* Quòd ſi teſtator rem ſuam, ſed alteri obligatam legaverit, hæredis erit eam luere, ſi quidem teſtator ſciverit eam obligatam eſſe. *§. 5. Inſt. h. t.* niſi legata ſit univerſitas, quo caſu rei ſingularis ſub univerſitate compræhenſæ luitio incumbit legatario. *l. 15. ff. de dote præleg.* (XXVI, XXVII, XXVIII.)

8. Non tamen rectè legatur res legatarii propria, niſi ſub condi-

conditione. §. 11. *Inſt. h. t.* ſed ſi alteri in re legatarii jus competat, veluti pignoris, hæres tenetur rem liberare; aut, ſi pretium rei per legatarium emptæ eique jam traditæ necdum ſolutum ſit, hæres illud ſolvit. *l.* 86. *ff. de legat.* 1. *arg. l.* 34. §. 7. *l.* 84. §. 5. *ff. eod.* & ſi teſtator ipſe jus in re legatarii habuerit, eam legando jus illud remiſiſſe creditur. *l.* 4. §. *ult. l.* 71. §. *pen. ff. de legat.* 1. Obſt. *l.* 66. §. 6. *ff. de legat.* 2. Reſp. ibi Cujacius & alii pro *propter* legunt *præter*. [XXIX.]

9. Res commerciis hominum exemptas quod ſpectat, illæ ſi legatæ ſint, nec res nec æſtimatio debetur. §. 4. *Inſt. h. t.* licèt ſub conditione legatæ eſſent, eâque pendente cœpiſſent eſſe in commercio. *arg.* §. 2. *in fin. Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 34. §. 2. *de contrah. empt.* excepto tigno juncto, quod, dum junctum, eſt extra commercium; & tamen rectè legatum creditur ſub conditione, ſi ea pendente deſinat junctum eſſe. *l.* 41. §. 1 *ff. de legat.* 1. Quòd ſi res in hæredis quidem, at non in legatarii commercio ſit, nec tunc debebitur vel res vel ejus æſtimatio; ſecus, ſi in legatarii, non hæredis, ſit commercio: quo caſu ſubſiſtit legatum. *l.* 49. §. 2. 3. *ff. de legat.* 2. *arg. l.* 34 *ff. de verb. oblig.* Nec dictis obſtat *l.* 40. *l.* 114. §. 5. *ff. de legat.* 1. *l.* 11. §. 16. *ff. de legat.* 3. cum ibi res quidem fuerint in commercio, ſed tales, quas legatarius aut fideicommiſſarius ob corporis vitium aliudve impedimentum capere vel poſſidere non poterat. [XXX, XXXI, XXXII.]

10. Quòd ſi ſæpius res eadem legata ſit, ſi quidem corpus ſit, ſemel tantùm debetur. *l.* 54. §. 1. *ff. de leg.* 1. ſin quantitas, ſæpius præſtanda eſt, ſi modò diverſis ſcripturis ſit legata; ſi verò ſcripturâ eâdem, nonniſi ſemel in dubio debetur. *d. l.* 34 §. 3. *de leg.* 1. junct. *l.* 12. *ff. de probat.* [XXXIV.]

11. Cæterùm relinqui poſſunt legata vel purè vel ſub conditione; non tamen eorum præſtatio in arbitrium hæredis conferri poteſt. *l.* 43. §. *pen. ff. de legat.* 1. [excepto caſu. *l.* 46. *ff de fideicomm. libert.*] niſi tanquam viri boni arbitrium conſideretur. *l.* 11. §. 7. *ff. de legat.* 3. In legatarii verò ipſius arbitrium conferri legatum nihil impedit; quo caſu conditionale eſt legatum, nempe, ſi legatarius ſuam voluntatem declaraverit. *l.* 65. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 69. *ff. de condit. & demonſtrat.* In tertii arbitrium non rectè confertur, niſi tacitè tanquam in conditionem. *l.* 52. *ff. de condit. & demonſtrat. d. l.* 43 §. *pen. ff. de leg.* 1. Obſt. *l.* 1. *ff. de legat.* 2. Reſp. comparantur ibi hæc duo, *ſi voluerit*, & *ſi aſcenderit*, in eo, quod utrobique ſit arbitrium; at non in eo, quod utroque caſu legatum valeret. [XXXVI.]

12. Relin-

12. Relinquuntur autem legata teſtamentis, ac jure novo etiam codicillis & ab inteſtato. Ad eaque petenda tres actiones legatario proditæ, puta, rei vindicatio propter fictum dominium, quod rectâ viâ à defuncto ad legatarium tranſit. *l.* 64. *ff. de furtis.* actio perſonalis ex teſtamento, ex quaſi-contractu; & actio hypothecaria ex legali hypothecâ legatariis in bona defuncti competente. §. 2. *Inſt. h. t.* Quibus legatarius agit contra eos, quos defunctus legati præſtatione oneraverit. Quòd ſi plures onerati ſint, pro rei quidem individuæ præſtatione ſinguli in ſolidum conveniuntur. *l.* 11. §. 23. *ff. de leg.* 3. pro portione verò hæreditariâ, ſi res ſit dividuâ; niſi nomina propria ſingulorum hæredum oneratorum repetita ſint, quo caſu viriles ſinguli præſtare tenentur legati partes. *l.* 124. *ff. de legat.* 1. Obſt. *l.* 54. §. *ult. ff. de legat.* 1. *l.* 17. *ff. de duob. reis.* Reſp. verba illa, *ſi omnes nominati ſint*, vel, *omnes dare damnati.* non id volunt, quod propria ſingulorum nomina expreſſa fuerint, ſed, quòd omnes onerati fuerint, & generali *hæredum* appellatione nominati ad legatum præſtandum: *nominare* enim non ſemper eſt *nomine proprio nominare. arg. l.* 3. §. 5. *ff. de injuſt. rupt. irrit.* (XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII.)

13 Quòd ſi hæres unus, velut ex aſſe hæres, ab initio oneratus ſit, & in poſteriore teſtamenti parte ei cohæres detur, primus tamen integra legata ſolus præſtat; idemque eſt, ſi quis ſciens duos ſibi ab inteſtato vel ex jure prætorio ſucceſſuros, unum ex his tantùm fideicommiſſo oneraverit. *l.* 40. *de legat.* 3. ſecus quàm obtineret, ſi quis credens, unum tantùm ſibi ſucceſſurum, eundem oneraverit, nam ſi adhuc alius ex jure prætorio aliove modo ſuccedat unà cum onerato, pro rata tantùm parte qua oneratus cum effectu hæres eſt, præſtat legata dividua, ſic ut reliquæ legati partes corruant, aut ſi rei individuæ præſtationo oneratus ſit, nihil præſtat, exceptis libertatibus. *l.* 77. §. 29. *ff. de legat.* 3. *l. pen. ff. de codicillis.* (XLVI, XLVII.)

14. Quibus autem caſibus plures legatis onerati ſunt pro hæreditariâ vel virili portione, unius inopia cæteros non gravat. *l.* 33. *ff. de legat.* 2. niſi res individua legata ſit, ad quam ſingulos hæredes in ſolidum teneri, ante dictum, ex *l.* 11, §. 23. *ff. de legat.* 2. [XLVI.]

15. His verò actionibus non ipſæ tantùm petuntur res legatæ, ſed & earum acceſſiones, ut & uſuræ à tempore moræ. *l.* 44. §. 4. *ff. de leg*[illegible] *l.* 34. *ff. de uſuris.* Obſt. *l.* 1. 2. C. de

de uſuris & fruct. legat. l. 40. *ff. de acquir. rer. domin.* Reſp. leges illæ minus dicunt, & aliunde ſupplendæ ſunt; non enim in illis negatur, fructus ante litem conteſtatam ex morâ deberi. Quin imo præſtandi etiam fructus percipiendi, quos vel hæres vel legatarius honeſtè potuiſſet percipere. *l.* 39. §. 1. *ff. de legat.* 1. junct. *l.* 5. *C. de rei vind. l.* 1. §. 1. *C. de pet. hæred.* [XLVIII.]

16. Cæterùm pro rebus legatis pecunia invito legatario offerri nequit, nec viciſſim pro pecuniâ legatâ res aliæ: licèt nulla in hæreditate inveniatur pecunia *l.* 12. *ff. de leg.* 2. excepto eo, cui pars bonorum legata eſt, veluti, quarta, ſexta; hæredi enim eo caſu electio datur, utrùm legatario res, an æſtimationem præſtare malit; imo ad rerum individuarum, quæ in hæreditate ſunt, æſtimationem tenetur. *l.* 26. §. *ult. ff. de legat.* 1. (XLIX.)

17. Quòd ſi res legata perierit, ſi quidem caſu, nec res nec æſtimatio præſtanda eſt: ſin culpâ hæredis, licèt leviſſimâ, æſtimatio debetur. *l.* 26. §. 1. *l.* 47. §. *pen. ff. de legat.* 1. Sed ſi pars tantùm legatæ rei extincta ſit, pars altera, quæ ſupereſt, adhuc ſolvenda eſt, modò non ſit acceſſoria. §. 16. *Inſt. h. t. l.* 22. *de legat.* Ubi tamen ſola mutata eſt rei legatæ forma, firmum nihilominus manet legatum, niſi aliunde conſtet aut probabile ſit, mutatam eſſe teſtatoris voluntatem: proinde, ſi ex lanâ legatâ veſtis ſit facta; vel areæ legatæ domus ſit impoſita, vel ex auri maſſâ legatâ confectum ſit poculum, & veſtis & domus cum areâ, & poculum debetur. *l.* 44. §. 2. 3. 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 88. §. *ult. ff. de legat.* 3. Obſt. *l.* 79. §. *pen. ff. de legat.* 3. Reſp. peti non poterat area legata, tanquam area, ſed tanquam domus; area enim eſſe deſierat. Obſt. *l.* 88. *pr.* & § 1. *ff. de legat.* 3. Reſp. intelligi poteſt de lanâ vel materiâ nondum ad veſtem vel navim faciendam præparatâ; quamvis & dici poſſit, in hiſce maximè eſſe quæſtionem voluntatis teſtatoris, ſic ut *d. l.* 88. *pr.* & *d. l.* 79. §. *pen.* accipi poſſit de caſu quo non duravit teſtatoris voluntas. (L, LI, LII, LIII, LIV, LV.)

18. Poteſt autem vel uni res legari, vel pluribus res eadem; quo caſu conjuncti dicuntur; ex quibus uno deficiente, ſæpe ſit, ut ejus portio reliquis accreſcat. Et jure quidem veteri in legatis vindicationis jus accreſcendi locum ſibi vindicabat; at non ita in damnationis legato; eò quòd hæres dare damnatus ſingulis diviſim dare damnatus videbatur. *l.* 7. *ff. de leg.* 2. Ulpian. *tit.* 24. §. 12. 13. cujus priſci juris veſtigia adhuc in Pandectis ſuperſunt. (LIX.)

19. Jure

19. Jure verò novo, ſublatâ legatorum differentiâ, inter re quidem conjunctos, & re ac verbis ſimul, jus accreſcendi locum habet; idque ex probabili voluntate teſtatoris, dum ſingulis rem ſine parte dedit, adeò ut concurſu demum partes fiant ex quadam neceſſitate, in quantum duo concurrentes ad eandem rem nequeunt ſinguli totam capere per rerum naturam. §. 8. *Inſt. h. t. l. un. §. 11. C. de cadur. tollend.* At inter verbis tantùm conjunctos jus accreſcendi ceſſare, verius: cum partes iis ab initio teſtator dederit; ut probabile non ſit teſtatorem voluiſſe, ut uno deficiente ex collegatariis alter totum caperet. *arg. l. 80. ff. de legat. 3. l. 1. l. 11. ff. de uſuſr. accreſc.* Obſt. *l. 89. de legat. 3.* ubi verbis conjuncti in fine *l.* dicuntur potiores eſſe re conjunctis. Reſp. verbis conjuncti ibi potiores ſunt, quia licèt ab initio verbis tantùm conjuncti eſſent, ex poſtfacto tamen inceperunt & re conjuncti eſſe, adeòque tanquam duplici conjunctione juncti præferuntur illis, qui re tantùm conjuncti erant, etenim in hac formula, quâ caſus. *l. 86. in fin.* continetur, *primo & ſecundo fundum Cornelianum æquis partibus do lego, eundem fundum tertio do lego*, primus & ſecundus ab initio verbis tantùm conjuncti fiunt poſtea re quoque conjuncti dum tertius primo & ſecundo jungitur re; quod colligi poteſt *arg. l. 41. ff. de legat. 2.* ubi Mævius & Sejus ab initio nullo modo conjuncti erant; nec re, quia pro partibus res ſingulis legabatur; nec verbis, quia diverſis orationibus: ſed Mævio & Sejo jungebatur Titius, qui quia duobus prioribus re junctus erat, inde factum eſt, ut & priores Mævius ac Sejus inter ſe cœperint re conjuncti eſſe & ex eo fundamento Mævius primus cum Titio tertio ad portionem Seji deficientis juris accreſcendi conjunctus admittitur. Obſtat etiam *l. 16. §. ult ff. de legat. 1.* Reſp. cum Titio & poſthumo æquis partibus res legatur, partim expreſſio conditionem tacitam in ſe habet, *ſi poſthumus naſcitur*; ac proinde, non nato poſthumo, alter totum legatum habet, nec ei res pro parte ſed in ſolidum potius ab initio legata creditur. *arg. l. 5. § ult. l. 6. 7. ff. de reb. dub.* (LX, LXI, LXII.)

20. *Moribus*. Si unus ex unica, alter ex undecim unciis inſtitutus ſit, & fundus his duobus ſit à teſtatore legatus, æquales in fundo partes deberi volunt. Poſſunt autem & ædibus juncta hodie legari, quatenus ea detrahi moribus aut legibus municipalibus non eſt interdictum. Quòd ſi teſtator domum legaverit, cum nullam haberet, ea aliunde per hæredem emenda eſt & præſtanda, pro dignitate, affectione & neceſſitudine legatarii, eo fere modo, quo id in alimentis ſine quantitate relictis jure

Ro-

Romano obtinet. Cæterùm jus accreſcendi, uti inter cohæredes, ſic & inter collegatarios, non habet locum, niſi quatenus fluit ex veriſimili teſtatoris voluntate.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 37. de legatis, tit. 42. de fideicommiſſ. tit. 43. commun. de legatis & fideicomm. tit. 47. de uſur. & fruct. legator. tit. 48. de incert. perſon.*

LIBER XXXIII.

TIT. I.

De Annuis & Menſtruis Legatis.

1. SI annuum vel menſtruum quid relictum ſit, non unum, ſed plura legata ſunt; ſic ut primi quidem anni legatum purum ſit, & dies ejus ſtatim à morte teſtatoris cedat. *l.* 12. §. 1. *ff. quando dies legat. ced.* annorum verò ſequentium legata ſint conditionalia, *ſi vivat legatarius,* utpote quo extincto, nihil ultra debetur. *l.* 4. *ff. h. t.* ſecus quàm in contractibus receptum eſt, §. 3. *Inſt. de verb. obl. l.* 16. §. 1. *ff. eod.* uti & in iis annuis vel menſtruis, quæ collegio, civitati, &c. relicta ſunt; quibus caſibus debentur perpetuò. *l.* 6. *l.* 20. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. finitur uſusfructus civitati relictus centum annis. *l.* 56. *ff. de uſufr.* Reſp. in uſufructu id ita obtinet, ne, ſi uſusfructus perpetuò duraret, proprietas inutilis eſſet proprietario, quod non metuendum in annuo legato, cum eo regulariter non ſoleant conſumi omnes rei fructus. (I, III, IV, V, VII.)

2. Si quantitas legato annuo non ſit adjecta, id dandum, quod ſolitus erat dare teſtator; de quo ſi non conſtet, pro dignitate & conditione perſonæ annuum præſtandum eſt. *l.* 14. *ff. h. t.* Quòd ſi teſtator dixerit *centum do lego Attiæ donec nupſerit,* nec addiderit, *in annos ſingulos;* annua tamen centum legata videntur. *l.* 17. *ff. h. t.* [VI]

3. Cæterùm annui legati præſcriptio non fit in totum, ſed tantùm reſpectu anni cujuſque ſeparatim, ſic ut annorum triginta petitio ſuperſit, & tantum præſcripti cenſeantur anni trigeſi-

trigeſimum excedentes. *arg. l. 7. §. 4. 6. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* [x.]

4. Cum legato verò annuo non confundendum quod annuâ, bimâ, trimâ die præſtandum eſt, tale enim unum tantùm & purum legatum eſt, cujus ſolutionem ſolummodo voluit teſtator dividere; cujuſque dies ſtatim cedit; ſic ut, moriente legatario ante ſolutionem, legatum ad hæredes ejus tranſeat. *l. 26. §. 2. ff. quand. dies legat. ced. arg. l. 3. ff. h. t.* (IX, X, XI, XII, XIII.)

Tit. II.

De Uſu & Uſufructu & reditu & habitatione & operis per Legatum vel Fideicommiſſum datis.

1. Non modò proprietas, ſed & uſusfructus & uſus legari poteſt omnium rerum quæ ſunt in commercio, non tamen itineris aut alterius ſervitutis realis. *l. 1. ff. h. t.* ſed ſi id factum ſit, contra hæredem actio datur, ut patiatur legatarium ire, agere, &c. quamdiu vivit. *d. l. 1.* (I.)

2. Legatum autem uſusfructûs unum tantùm eſt, non multiplex, niſi alternis annis uſusfructus legetur. *l. 13 ff. h. t.* & legato omnium bonorum uſufructu, etiam legatus cenſetur uſusfructus eorum, quæ ſunt in credito. *l. 37. ff. h. t.* at non earum rerum, quas teſtator ex fideicommiſſo poſt mortem ſuam extraneis reſtituere rogatus eſt. *arg. l. ult. §. 3. C. commun. de legat.* Cætera ad uſumfructum & reliquas ſervitutes pertinentia, libro 7. tractata ſunt.

3 Reditu legato, legata videtur annalis præſtatio quarundam rerum ex rebus hæreditariis. *l. 38. ff. h. t.* qui, ſi relictus ſit civitati, ad ludos illic illicitos celebrandos, ad alios ſimiles ludos licitos transferendus eſt. *l. 16. ff. h. t.* (II, III, IV, V.)

TIT. III.

De Servitute Legatâ.

1. SErvitus realis non omnibus legari poteſt, ſed ſolis illis, qui vicina habent prædia, ex natura ſervitutum, de quâ *libr.* 8. actum. Et ſi plures ſint hæredes ſervitutis legato onerati, ſinguli eam in ſolidum præſtare tenentur, tanquam individuam. *l. ult. ff. h. t.* Quòd ſi alternis legetur annis, non multiplex, ſed unum eſt legatum. *l.* 13. *ff. de uſu & uſufr. leg.*

2. Cedit autem hujus legati dies ſtatim à morte teſtatoris, cùm nuſpiam excipiatur à regulâ, quæ dictat, legati puri diem ſtatim à morte teſtatoris cedere, nec ratio ſit eadem in reali ſervitute, quæ in perſonali. *arg. l. un.* §. 6. *C. de caduc. toll.* Obſt. *l.* 19. §. 1. *ff. quemadm. ſervit. amitt.* Reſp. fit ibi mentio aditæ hæreditatis, non, quaſi tunc demum dies cederet, ſed, quia ante aditam hæreditatem is, cui ſervitus legata eſt, eam petere non poterat; & ideo ſervitutis præſcriptio demum ab aditâ hæreditate inchoari dicitur, cùm agere non valentibus non currat præſcriptio. Obſt. *l. ult. ff. commun. præd. tam urb. quam ruſt.* Reſp. ibi caſus ſingularis eſt, ne alioquin unus ex ſociis ibi prædio communi videatur ſervitutem impoſuiſſe, contra *l.* 2. *ff. de ſervitut.* (1.)

TIT. IV.

De Dote Prælegatâ.

1. DOtis prælegatum, quo maritus uxori ſuæ dotem relegat, utilius eſt actione de dote, § 15. *Inſt. de legat.* tum propter commodum repræſentationis, tum quia ceſſant omnia dotis reſtitutionem in totum vel pro parte impedientia. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* [I, II, V.]

2. Si dos prælegata ſit, cùm non eſſet marito numerata, vel data quidem ſed reſtituta, vel denique caſu perierit cùm eſſet inæſtimata, ſi quidem nulla quantitas aut corpus expreſſum ſit, inutile legatum eſt: ſin quantitas aut res tanquam dotalis ſit deſignata, ſubſiſtit. *l.* 1. §. 5. 6. 7. *l.* 9. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* §. 15. *Inſt. de legat.* adde caſum *l. pen. ff. h. t.* & *l. un.* §. 3. *C. de rei uxor. act.* [III, IV.]

3. Quatenus autem plus eſt in prælegato dotis, quàm verè

datum erat, eatenus fideicommiſſo mulier gravari poteſt. *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 77. §. 12. *de legat.* 2. Reſp. ſub generali quidem fideicommiſſo dos non continebitur, quod tantùm vult *d.l.* ſed id non impedit, quo minùs maritus ſpecialiter etiam de dote fideicommittat. (VI.)

TIT. V.

De Optione vel Electione Legatâ.

1. Optione legatâ, optimum legatarius optare poteſt. *l.* 9. §. 1. *ff. de dolo.* & generaliter legatâ ſervorum optione tres optabit. *l.* 1. *ff. h. t.* idque poſt aditam hæreditatem. *l.* 16. *ff. h. t.* per ſe, non per procuratorem. *l.* 77. *ff. de R. J.* junct. *l.* 123. *ff. eod.* Obſt. *l. pen. ff. h. t.* Reſp. ibi mater non ut procuratrix, ſed ex teſtatoris voluntate optat. Si poſt mortem teſtatoris ante aditam hæreditatem moriatur legatarius, legatum jure novo ad hæredes tranſmittit; qui ſi in eligendo diſſentiant, ſorte dirimitur cujus electioni ſtandum ſit; idemque obtinet ſi pluribus legatariis legata ſit unius rei optio. *l. fin. C. commun. de legat.* §. 23. *Inſt. de legat.* Poſt optionem verò factam mutare non licet. *l.* 20. *ff. h. t.* niſi juſta cauſa ſubſit, *l.* 2. 3. 4. 5. 10. 16. *ff. h. t.* (I, II, III, IV, VIII.)

2. Si legata fuerit res per tertium pro legatario optanda, eo nolente vel non valente optare, in ſubſidium ipſe legatarius optare poteſt; non tamen optimam. *l. ult.* §. 1. *C. commun. de legat.* (V.)

3. Optionis legato ſimile in quibuſdam, non in omnibus, eſt legatum generis. Legatur autem vel corpus in genere vel quantitas (de qua tit. ſeqq.) Si corpus, ſi quidem certos illud à naturâ terminos habeat, ut ſervus, bos, equus; legatario competit electio, ita ut non optimum ſed medium is poſſit eligere. §. 22. *Inſt. de legat.* *l.* 37. *ff. de legat.* 1. licèt olim in legatis damnationis hæredi, in legatis vindicationis legatario electio data fuerit. Quòd ſi teſtator nullum tale corpus legatum, puta ſervum, equum, &c. habeat, hæredis erit aliunde id redimere & præſtare, atque ita implere legatum generis. *arg. l.* 45. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 3. *ff. de trit. vino vel oleo legat.* Si verò corpus in genere legatum nullos certos à naturâ terminos habeat, quos non poſſet excedere, veluti domus aut fundus, inutile legatum erit, quoties nullum tale corpus teſtator reliquerit. *l.* 71. *ff. de legat.* 1. ſin plura

hujuſmodi

hujuſmodi corpora in hæreditate ſint, hæredis erit electio. *arg. l.* 17. §. 1. *ff. de legat.* 1. ſic ut in *d. l.* 71. pro *quam vellet* legendum magis ſit, *quam vellent*, vel *voluerint* ex Haloandri editione. [VI.]

4. Si res duæ alternativè legatæ ſint, libera legatario ex alternativis eſt electio. *l.* 34. §. *pen. ff. de legat.* 1. excepto caſu *l.* 43. §. *ult. ff. de legat.* 2. [VII.]

TIT. VI.

De Tritico, Vino vel Oleo Legato.

1. VIno legato, non debetur acetum, niſi teſtator id vini loco habuerit. *l.* 9. *ff. h. t.* adde *l.* 9. §. *ult. ff. de contrah. empt.* legato vino veteri; in dubio intelligitur & anni ſuperioris vinum. *l.* 9. §. *ult. l.* 10. *l.* 11. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Si vinum & cæteræ res fungibiles ſine quantitate legentur, id omne debetur quod teſtatoris fuit, unà cum vaſis quibus continetur, non item doliis; ſed ſi nihil penes eum inveniatur inutile eſt legatum. *l.* 3. §. 1. *l.* 7. *ff. h. t.* Quòd ſi quantitas certa rei fungibilis legato relicta ſit, ea præſtanda eſt, niſi impoſſibile contineat. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* ut tamen hæredis ſit electio, cujus qualitatis rem dare velit, cum ſola quantitas ſine qualitate deſignata eſt. *l.* 4. *ff. h. t.* [III.]

3. Si teſtator vini aut frumenti certam quantitatem ex certo fundo legaverit, ſi quidem ſemel eam tantum præſtari voluerit, contentus tenetur eſſe legatarius eâ quantitate, quæ in eo fundo nata fuerit, nec hæres id quod quantitati legatæ deeſt, aliunde coëmere aut ſupplere cogitur. *l.* 5. *ff. h. t.* niſi teſtator perſonæ conjunctæ legaverit. *l.* 26. *ff. quand. dies legat. ced.* Sin ſæpius eam dari teſtator voluerit, tota præſtanda eſt, ſaltem quatenùs unius anni ubertas alterius anni ſterilitatem ſupplere poteſt; non tamen aliunde coëmendum quod deeſt. *l.* 13. *ff. h. t. l.* 17. §. 1. *ff. de annuis legat.* niſi fundus demonſtrationis causâ tantùm adjectus ſit, quo caſu quantitas integra quocumque modo præſtanda eſt. *l.* 12. *ff. de alim. leg.* (IV.)

Tit. VII.

De inſtructo vel inſtrumento Legato.

1. INſtrumentum dicitur apparatus rerum diutius manſurarum, ſine quibus poſſeſſio exerceri nequit *l.* 12. *pr. ff. h. t.* ſub quo tamen & inſtrumentum inſtrumenti continetur. *l.* 12. §. 6. *ff. h. t.* (I.)

2. Cæterùm, legato *Fundo inſtructo*, duo principalia videntur legata, alterum fundi cum inſtrumentis ejus, alterum inſtrumentorum patrisf. quæ ille in prædio habuit, ut eſſet inſtructior, velut ſupellex, aurum, argentum, vinum frumentum, medicamenta, ad uſum, non venalia aut cuſtodiæ causâ ibi repoſita. *l.* 12. §. 27. *& ſeqq. ff. h. t.* At ſi *fundus cum inſtrumento* legetur, ipſius tantùm fundi, (non patrisf.) inſtrumenta videntur comprehenſa, qualia, quæ fructuum quærendorum, cogendorum, conſervandorumque gratiâ parata ſunt, *l.* 8. *ff. h. t.* Atque hinc eſt; quod, fundo pereunte vel alienato, ſimul quidem corruat legatum inſtrumentorum ad fundum pertinentium ſive *fundus inſtructus* ſive *fundus cum inſtrumento* legatus ſit. §. 17. *Inſt. de legat.* neutiquam autem legatum inſtrumentorum patrisf. quæ ſub legato fundi inſtructi, at non ſub legato fundi cum inſtrumento comprehenſa erant: ac de hiſce patrisf. inſtrumentis intelligenda verba finalia. *l.* 5. *ff. h. t.* [II, III.]

3. Quòd ſi ſimpliciter fundus legatus ſit, ſola debentur affixa & inædificata, non item dotes prædiorum, ſtramenta, boves aratores &c. niſi fundus legatus ſit *ut optimus maximuſque l.* 2. §. 1. *l.* 21. 22. *ff. h. t.* Sed ſi fundum leget teſtator cum omnibus, quæ ibi ſunt merces etiam venales legaſſe creditur, ſecus in uſufructu legato *l.* 32. §. 2. *ff. de uſu & uſuf. leg.*) ut & vina, quæ in doliis remanſerunt, cùm pretium eorum non eſſet ſolutum *l.* 27. §. 3. *ff. h. t.* niſi ex circumſtantiis appareat, teſtatorem ad fundi acceſſoria & inſtrumenta tantùm reſpexiſſe; de quo caſu fortè intelligenda *l.* 44. *l.* 92. *in fin. h. de legat.* 3. (IV.)

TIT.

Tit. VIII.

De Peculio Legato.

1. SI ſervus cum peculio legetur, ſervo mortuo vel manumiſſo, peculii legatum corruit *l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* ut tamen, legato ſervo, non cenſeatur in dubio ſimul legatum ejus peculium, ſic ut id exprimendum ſit *l.* 24. *ff. h. t.* excepto caſu *l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* Augmentum autem & decrementum peculii vivo teſtatore contingens cedit legatario; quòd verò poſt mortem teſtatoris accedit, lucro aut damno hæredis eſt; niſi vel ipſi ſervo manumiſſo legatum ſit peculium, vel augmentum acceſſerit ex ipſis rebus peculiaribus *l.* 8. §. 8. *ff. h. t.* (I, II, III.)

Tit. IX.

De Penu Legatâ.

1. SUb penu continentur omnia, quæ eſui potuique familiæ ſervorum, & jumentorum comparata ſunt, cum vaſis ſine quibus haberi, & lignis, carbonibus aliiſque, ſine quibus parari penus nequit *l.* 3. *paſſim ff. h. t.* Medicamenta tamen penûs appellatione non veniunt. *l.* 5. *ff. h. t.* [I, II, III.]

2. Si penus legata ſit, & in caſum moræ pecunia, etiam poſt moram hæres liberari poteſt penum dando, quamdiu lis non eſt conteſtata *l.* 1. *ff. h. t.* (IV.)

Tit. X.

De Supellectile Legatâ.

1. SUpellex, cujus etymologiam exhibet *l.* 7. *ff. h. t.* eſt domeſticum patriſfamilias inſtrumentum, quod nec auro nec argento nec veſti annumeratur, *l.* 1. *ff. h. t.* Si tamen teſtator vas aliquod argenteum ſupellectilis loco habuerit, id quoque ei, cui ſuppellex legata eſt, debebitur, *l.* 3. §. *ult. l.* 8. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Ceterùm, an ſupellectili quid annumerandum ſit necne, ex patriſfamilias deſtinatione multum pendet; quâ ratione

culcitræ quandoque ſupellectili adſcribuntur. *l. 3. ff. h. t.* nonnunquam veſti *l. 25. §. 7. ff. de auro, arg. legat.* (III.)

LIBER XXXIV.

TIT. I.

De alimentis vel cibariis Legatis.

1. CIbariis ſolus continetur cibus *l. 21 ff. h. t.* at alimentis præter cibaria veſtitus quoque & habitatio comprehenditur; non ſumtus in ſtudia, niſi aliud teſtator ſenſerit. *l. 6. 7. ff. h. t.* Obſt. *l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edict.* Reſp. non dicuntur ibi ſumtus in ſtudia ſub alimentis contineri, ſed tutoris officio aut prætoris decreto præſtari. Solvenda autem alimenta eâ ſpecie & quantitate, quâ relicta ſunt; quæ ſi expreſſa non ſit, id dandum quod teſtator dare ſolitus; ſi nec de eo conſtet, pro legatarii conditione. *l. pen. ff. h. t.* [I, II, III, IV, V, VI.]

2. Singularia in hoc legato ſunt, quòd etiam incapaci alimenta relinqui poſſint *l. 11. ff. h. t.* & ſi alicui ad pubertatem relicta ſint, maſculis ad annum decimum octavum, fœminis ad decimum quartum ſint præſtanda *l. 14. §. 1. ff. h. t.* inſuper, quod ad hæredes legatarii non tranſeant; licèt hæredes hæredis obligati maneant ad ea ſolvenda, quamdiu vivit legatarius *l. 8. §. 10. ff. de tranſact.* quòdque de iis non liceat tranſigere ſine decreto, ut dictum. *tit. de tranſact.* (IV, VII.)

3. Legato autem fundo alimentorum nomine, ipſa fundi proprietas legata cenſetur. *l. 4. l. pen. in fin. ff. h. t.*

TIT. II.

De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte vel veſtimentis & ſtatuis Legatis.

1. AUro vel argento legato continetur & factum & infectum, at non pecunia numerata. *l. 19. pr. ff. h. t.* Sub auro facto

ćto legato comprehenditur etiam quod cœptum eſt fabricari, *l.* 19. §. 11. *ff. h. t.* unà cum gemmis auro incluſis. *l.* 19. §. 13. *ff. h. t.* non tamen nummi, niſi evidens ſit voluntas teſtatoris. *l.* 27. §. 1. *ff. h. t.* [I.]

2. Si quis *ſuum aurum* legaverit, non continetur quod eſt in credito. *l.* 27. §. 2. *ff. h. t.* nec illud quod poſt factum teſtamentum eſt acquiſitum. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi ſit acceſſorium. *arg.* §. 19. *Inſt. de legat.* Interim omne quod teſtator tempore facti teſtamenti habebat, debetur, licèt non addiderit notam univerſalitatis, *omne* ſuum aurum: idemque in veſtibus aliiſque legatis obtinet. *l.* 8 *ff. h. t. arg. l.* 7. *ff. de trit. vin. ol. leg.* Obſt. *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.* Reſp. dicitur intelligi veſtis, quam teſtator in ſuos uſus habuit, ad excluſionem veſtium venalium, adeòque adhuc omnis veſtis in uſum teſtatoris parata debetur. [II, III, IV.]

3. Mundus, eſt quo mulier fit mundior. Ornamentum dicitur, quod ad nullam aliam rem, quàm corporis ornandi causâ paratum eſt. Unguenta, quæ ad unguendum valetudinis aut voluptatis causâ parata ſunt. *l.* 25. §. 10. *& ſeqq. ff. h. t.* [V, VI, VII, VIII.]

4. Veſtes ſunt, quibus corpus tegitur, lineæ, laneæ, ſericæ, bombycinæ, induendi, incumbendi, injiciendi causâ paratæ. *l.* 23. §. 1. *ff. h. t.* & vel viriles ſunt, vel muliebres, vel communes, vel pueriles, vel familiares *l.* 22. §. 2. *& ſeqq. ff. h. t.* (IX.)

5. Quæ verò virilis, quæ muliebris ſit veſtis, ex uſu & voluntate teſtatoris æſtimandum eſt. *l.* 33. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 110. §. 1. *ff. de verb. oblig.* Reſp. aliud obtinet in ſtipulatione quæ ex duorum voluntate dependet; unde non tam conſiderandum, quâ veſte promiſſor abuſus ſit, quàm potius, quæ verè virilis ſit, at legatum veſtium ex ſolius teſtatoris voluntate pendet. Cæterùm mitræ quandoque ad veſtem muliebrem referuntur. *l.* 23. §. 2. *ff. h. t.* quandoque ad ornamenta *l.* 23. §. 10. *l.* 26. *ff. h. t.* prout vel magis tegendi, vel magis ornandi gratiâ paratæ fuerint. *d. ll.* [X, XI.]

6. Statuis legatis debentur & ea, quæ ſtatuis poſtmodum adjecta ſunt. *l.* 14. *ff. h. t.* ſtatuis tamen legatis non debentur eæ, quæ domibus affixæ ſunt, cùm magis ſint acceſſoria domuum, & quaſi pars earum. *l.* 12. §. 23. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Obſt. ſtatuæ *non ſunt ædium l. pen. ff. V. S.* Reſp. id eſt non ſunt inſtrumenta ædium. *d. l.* 12. §. 23. [XII.]

Tit. III.

De Liberatione Legatâ.

1. Liberatio ſeu remiſſio debiti legatur vel in totum vel pro parte, ad tempus vel in perpetuum. *l.* 7. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* quo modo in perpetuum legata videtur, ſi hæres prohibeatur à Titio petere. *l.* 1, *ff. h. t.* ſecus, ſi prohibeatur vivo Titio petere. *l.* 20. *ff. h. t.* Legatur & liberatio vel expreſsè, vel tacitè dum chirographum legatur. *l.* 3. *ff. h. t.* non item pignus, quo caſu ſolum remiſſum creditur pignoris vinculum. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* [1, 11.]

2. Effectus liberationis legatæ eſt, quod debitor non modò exceptione tutus ſit, ſed & actione ex teſtamento petere poſſit, ſe acceptilatione liberari. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* vel ſi ſolverit, indebiti condictione repetere. *l.* 26. §. 7. *ff. de condict. indeb.* modò ſolverit poſt mortem teſtatoris, non ante. *l.* 21. *ff. h. t.* niſi alia appareat mens teſtatoris. *l.* 11. §. 13. *ff. de legat.* 3. Obſt. *l.* 5. §. 2. *ff. h. t.* Reſp. verba illa, *utrumque ſolutum repetere non poſſe,* eò pertinent, ut probet JCtus, patri qui non habet in peculio, & marito qui non eſt ſolvendo, rectè tamen legari liberationem, quia debitores ſunt: quod ut evincat, ait, eos *ſolutum repetere non poſſe* ſc. ſi liberatio non fuiſſet legata, (111, v, vi, vii.)

Legatâ verò liberatione, remiſſæ tantùm videntur actiones in perſonam; non item in rem, quibus non ut debitor, ſed ut poſſeſſor fortè conveniri poterat. *l.* 28. §. 4. *ff. h. t.* junct. *l.* 28. §. 1. *ff. de acceptil.* Obſt. *l. ult.* §. 2. *ff. h. t.* Reſp. legendum ibi, *nihil proponi cur pecunia &c.* deletâ particulâ *non.* Quòd ſi debitori principali legata ſit liberatio, fidejuſſor quoque liberatur; at non vice verſâ, *l.* 2. *ff. h. t.*

4. Poteſt & debitor legare creditori ſuo quod debet, modò plus ſit in legato quàm debito. §. 14. *Inſt. de legat.* veluti ſi purè legetur, quod ſub conditione erat debitum; ſic ut legatum ſubſiſtat, etiamſi vivo teſtatore conditio extiterit. *d.* §. 14. Obſt. *l.* 82. *ff. de legat.* 2. Reſp. vel inutile ibi dicitur legatum quantum ad effectum: vel diſſenſus fuit veterum Juriſc. quem Juſtinianus ſuſtulit in *d.* §. 14. Quin imo & quod purè debetur ex ſtipulatu, rectè legatur; quia quantum ad uſurarum obligationem ex morâ plus eſt in legato unde illæ debentur, quàm in ſtipulatione, in quâ uſuræ non incipiunt ex morâ currere. *l.* 28. §. 1. *ff. de legat.* 1.

Et

Et ſi debitor exceptione ſe tueri poſſit, legando debitum cenſetur eam remiſiſſe *d. l.* 28. *pr. ff. de legat.* 1. [VIII.]

5. Si quis quantitatem debens, ſimpliciter quantitatem leget, nec adjiciat ſe eam debere, in dubio compenſare voluiſſe non præſumitur. *l.* 85. *ff. de legat.* 2. *l.* 4. *ff. de dot. collat.* *l.* 16. C. *de legat.* niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant; uti id contingit in caſu *l.* 34. §. 5. *ff. de legat.* 2. & *l.* 22. §. 3. *ff. ſolut. matrim.* [IX.]

6. Quòd ſi legetur quaſi debitum, cùm debitum non eſſet, demonſtratio falſa non vitiat legatum, modò certa quantitas aut corpus exprimatur. *l.* 25. *ff. h. t. l.* 18. *ff. de auro, argento &c. leg.* (VIII.)

7. *Moribus* Si liberatio legata ſit, legatarius implorat judicis officium, qui vocato hærede & causâ cognitâ pronunciat nihil deberi, & hæredi perpetuum imponit ſilentium.

TIT. IV.

De adimendis vel transferendis Legatis.

1. Adimuntur legata vel expreſsè vel tacitè. Expreſsè, *veluti quod Titio legavi, non do nec lego.* Quòd ſi duobus quis Titiis legaverit, deinde uni legatum ademerit, nec appareat de quo Titio ſenſerit; ſi quidem ſeparatim duobus Titiis legaverit, neutri ademptum creditur. *l.* 3. §. 7. *ff. h. t.* ſin conjunctim; utrique cenſetur ademiſſe teſtator; de quo caſu accipienda *l.* 10. *in med. pr. ff. de reb. dub.* [I, II, III.]

2. Tacitè adimuntur variis modis, puta, deletione, *l.* 16. *ff. h. t.* Alienatione voluntariâ rei legatæ, non neceſſariâ. *l.* 11 §. 12. *ff. de legat.* 3. *l.* 18. *ff. h. t.* §. 12. *Inſt. de legat.* adeò ut, ſi poſtea teſtator redimat rem alienatam, in dubio tamen non reviviſcat legatum. *l.* 15. *ff. h. t.* Inſuper inimicitiis capitalibus inter teſtatorem & legatarium, ſi reconciliatio non intervenerit. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. h. t.* uti &, ſi teſtator rem, quam legaverat, ipſe inter vivos legatario præſtiterit *l.* 22. *ff. de legat.* 2. niſi alternativè legaſſet Stichum aut Pamphilum, deinde Stichum legatario inter vivos donaſſet, eo enim caſu Pamphilus adhuc ex legato peti poſſet. *l.* 84. §. 11. *ff. de legat.* 1. (V, VI, IX, X.)

3. Quid, quòd & tacitè legata adimuntur, dum transferuntur, vel de perſonâ in perſonam, vel de re in rem, vel de caſu in caſum. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 6. *ff. h. t.* [VII, VIII.]

4. Non

4. Non tamen legatum extinguitur, ſi legatarius poſt mortem teſtatoris rem teſtatoris ſub conditione ſibi legatam emat ab hærede, pendente conditione; æſtimationem enim conſequi poterit, ſive ſciens ſive ignorans eam ſibi legatam emerit, *arg.* §. 6. *Inſt. de l. gat. l.* 34. §. 7. *ff. de legat.* 1. *l.* 45. §. 2. *ff. de leg.* 2. licèt in eo ſit inter ſcientem & ignorantem differentia, quod legatarius ignoranter emens etiam actione ex emto poſſit pretium repetere ab hærede venditore, non is qui ſciens emit. *l.* 29. *ff. de act. emt.* Obſt. *l.* 84. §. 5. *ff. de leg.* 1. ubi ignorantis fit mentio. Reſp. agitur ibi de legato puro, ſtultus autem fuerit, qui ſciens emit rem purè legatam, quam ſtatim conſequi poteſt ex causâ legati. [XI.]

5. Sic nec ademtum videtur legatum, ſi teſtator rem leget Titio, & eam jubeat reſtitui Sempronio, mox iterum Sempronio adimat. Titio enim adhuc debetur. *l.* 60. *ff. de legat.* 2. *arg. l.* 38. §. 6. *ff. de legat.* 3. Obſt. *l. pen.* §. 1. *ff. h. t.* Reſp. legendum, *nihil proponi cur* non *ad matrem*, additâ negatione. (XII.)

TIT. V.

De rebus dubiis.

1. SI dubium planè ſit, quid teſtator voluerit, nihil debetur. *l.* 4. *ff. h. t.* ut nec debetur, ſi teſtator planè aliud dixerit aut ſcripſerit, quàm voluit, *l.* 3. *ff. h. t. l.* 4. *ff. de legat.* 3. *l.* 7. §. 2. *ff. de ſupell. legat.* De cætero, quantùm fieri poteſt, interpretatione juvandæ ſunt ultimæ voluntates, ut magis valeant quàm pereant, idque ſecundùm id quod probabile eſt teſtatorem voluiſſe. *l.* 12. 21. 24. *ff. h. t.* licèt à propriâ vocis ſignificatione recedendum foret, & minùs propria admittenda. *arg. l.* 3. §. *ult. ff. de ſupell. legat.* (I, II.)

2. Circa mortem autem ſæpe dubium, quis prior perierit, ſi plures uno naufragio, ruinâ incendio extincti ſint: quales tamen in dubio præſumuntur omnes ſimul periiſſe. *l.* 8. 16. 17. *ff. h. t.* niſi favor patroni vel fideicommiſſi aliud exigat. Vide *l.* 9. §. 2. *ff. h. t. l.* 17. §. *pen. ff. ad Senatuſc. Trebell.* vel ætas aliud ſuadeat aut ordo mortalitatis; quâ ratione pater aut mater filio impuberi, pubes verò filius patri aut matri ſupervixiſſe creditur, *l.* 22. 23. *ff. h. t.* [II, III.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 38. *de verbor. & rer. ſignif.*

TIT.

Tit. VI.

De his, quæ pœnæ causâ relinquuntur.

1. POEnæ causâ relinqui dicitur, quod hæredis coërcendi gratiâ relinquitur, ut vel ne quid faciat, & ſi contra fecerit, legatum præſtet §. *ult. Inſt. de legat.* Hujuſmodi verò legatum olim invalidum erat, hodie valet ut conditionale, niſi probroſum quid aut impoſſibile hæredi injunctum ſit, quo caſu inutile eſt legatum, ne alioquin contingeret, hæredem puniri dum à probro abſtinet. §. *ult. Inſt. h. t. l. un. C. h. t.* (1, 11.)

2. Potuit tamen & olim teſtator hæredem damnare ad aliquid dandum aut faciendum, & in caſum, quo non dediſſet aut feciſſet, pœnam ei imponere præſtandam eidem, cui quid dari fierive voluerat, quo firmior eſſet voluntas: nec hæc ſpecies incidebat in legatum pœnæ causâ, quippe quo teſtator nihil diſponens principaliter, ſed ſimpliciter præcipiens, hæredi pœnam imponebat. Exempla ſunt in *l.* 1. *ff. de penu. legat. l.* 1. §. 8. *ff. ad leg. Falcid. l.* 6. *l.* 27. *ff. de condit. & demonſtr.* [111.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 41. *de his quæ pœnæ nomine, &c.*

Tit. VII.

De Regula Catoniana.

1. REgula Catoniana dictat, illud quod ab initio non valet, tractu temporis non poſſe convaleſcere. *l.* 1. *ff. h. t.* & locum habet in legatis puris, non conditionalibus, aut iis quorum dies demum cedit aditâ hæreditate. *l.* 3. 4. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 1. *in fin. ff. h. t.* Reſp. ſi diſtinctio, ſeu duo puncta ponantur poſt *alienaveris*, & ita verba, *ſi eum vivo teſtatore alienaveris* accipiantur ut à teſtatore prolata, legatum erit conditionale; atque ita nulla difficultas eſt. (1, 11.)

Tit. VIII.

De his quæ pro non ſcriptis habentur.

1. PRo non ſcriptis habita olim caduca erant vel in cauſa caduci, & hæc fiſco cedebant; at hodie penes hæredem aut ſubſtitutum aut collegatarium remanent. *l. un.* §. 2. 3. 4. C. *de*

C. de caduc. tollend. Qualia ſunt, quæ relicta ei, qui non eſt in rerum naturâ, vel ante ceſſionem diei legati mortuus eſt; & quæ legi nequeunt, aut ſervo pœnæ ſunt relicta extra alimentorum cauſam *l. 2 §. 4. ff. h. t. d. l. un. §. 2. §. 4.* denique & ea, quæ quis in teſtamento ſibi vel ſuis adſcripſit licèt maritus aut miles ſit, vel ſervus jubente domino ſibi libertatem adſcripſerit. *l. 4. 5. 6. C. de his qui ſibi adſcrib. in teſtamento.* ut tamen miles & ſervus à falſi pœnâ excuſentur. *d. ll.* (I, II, III, IV.)

2. Quòd ſi incapaci quid relictum ſit, ſi quidem palam, velut teſtamento, pro non ſcripto eſt, & penes hæredem manet: *arg. l. 3. pr. ff. de jure fiſci.* Sin clam, alterius fidei commiſſum ſit, fiſco cedit. *l. 10. ff. de his, quæ ut indig. l. 103. ff. de legat 1.*

3. *Moribus.* Licèt id, quod quis ſibi adſcripſit, non debeatur, tamen pœna falſi contra adſcribentem ſibi non obtinet.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 51. de caducis tollendis libr. 9. tit. 23. de his qui ſibi adſcribunt in teſtam.*

TIT. IX.

De his quæ ut indignis auferuntur.

1. Indignis ablata fiſco vindicantur cum ſuo onere, *l. 12. l. 16. § ult. ff. h. t.* exceptis caſibus in *l. 5. §. 2. ff. h. t. l. 2. §. ult. ff. ad Senatuſc. Tertullian.* Indignus autem quis eſſe poteſt multis modis, puta, ſi teſtatorem prohibuerit vel coëgerit teſtari, aut mortem ejus non fuerit ultus; de quibus alibi. Adhæc, ſi ſtatûs controverſiam teſtatori moverit; ſi palam ei maledixerit & infauſtas voces adverſus eum jactaverit; *l. 9. §. 1. 2. ff. h. t.* ſi eum ob crimen detulerit. *l. 1. ff. h. t.* ſi quis contra leges uxorem duxerit, & ab eâ marito quid relictum ſit, *l. 2. ff. h. t.* ſi adulter adulteræ vel miles focariæ quid reliquerit, *l. 13 14. ff. h. t. l. 2. de donat. inter vir. & uxor.* ſi teſtamentum dixerit falſum aut inofficioſum *l. 5. pr. & §. 1. ff. h. t. l. 8. C. h. t. l. 8. §. 14. ff. de inoff. teſtam.* non item ſi dixerit teſtamentum non jure factum, *l. 5. §. 2. l. 24. ff. h. t.* [I, II, III, IV, V, X, XI.]

2. Maximè indignus eſt, qui teſtatorem occidit, aut id egit, ut per negligentiam moreretur, *l. 3. ff. h. t.* Quòd ſi lethaliter teſtatorem vulneraverit, & is aliquandiu ſupervixerit, ut revocare relicta potuerit, nec tamen revocaverit; nihilominus indignus videtur relictis, cùm lex ipſa adimat, *arg. l. 15.*

ff. de

ff. ad Senatuſc. Silan. Obſt. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. de adimend. vel transfer. legat.* Reſp. ex ſolo teſtatoris ſilentio non poteſt præſumi reconciliatio, quæ tamen in *d. ll.* interveniſſe dicitur. Obſt. donatio revocanda eſt. *l. 1. l. ult. C. de revocand. donat.* Reſp. donatio firmior eſt & jus donanti jam quæſitum; non ita hæredi vel legatario, dum vivit teſtator, ut diverſa ſit ratio. [VI, VII, VIII.]

3. *Moribus.* Ea quæ indignis relicta ſunt, non ceduut regulariter fiſco, exceptis iis, quæ exulibus relinquuntur; ſed penes hæredem potius remanent, aut ſi actu inter vivos donata ſint ad donantem revertuntur. Indignus autem non cenſetur hodie, qui teſtamentum dixit falſum, ſi in ejus probatione deficiat.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 35. de his, quib. ut indignis hæred. auferiur.*

LIBER XXXV.

TIT. I.

De Conditionibus & demonſtrationibus & cauſis & modis eorum quæ in Teſtamento ſcribuntur.

1. DE conditionibus plura *libro 28. tit. 7.* dicta ſunt; quibus nonnulla hic addenda. Poteſt vel una conditio adſcribi, vel plures; & hæ vel conjunctim vel disjunctim. Si conjunctim, omnes implendæ; ſin disjunctim, unam impleri ſufficit tum in inſtitutione tum in legatis. *§. pen. Inſt. de hæred. inſtit.*

2. Quòd ſi plures conditiones diverſis teſtamenti partibus adſcriptæ ſint, ſi quidem hæredi, quæcunque priùs extiterit, faciet ut teneat defuncti voluntas *l. 17. ff. de condit. inſtit.* ſin adſcriptæ fuerint legatario, noviſſima implenda eſt, cùm noviſſima ſcriptura ſpectetur in legatis: uti in datis libertatibus ſpectatur ea, quæ leviſſima eſt & ſervo facilior *l. 87. 88. ff. h. t. arg. l. 6. in fin. ff. de adim. legat.* (*tit. de condit. Inſtit.* XXIX.)

3. Si filiof. aut ſervo inſtituto ſit adſcripta conditio, poſ-

Tit. VII.

De inſtructo vel inſtrumento Legato.

1. INſtrumentum dicitur apparatus rerum diutius manſurarum, ſine quibus poſſeſſio exerceri nequit *l.* 12, *pr. ff. h. t.* ſub quo tamen & inſtrumentum inſtrumenti continetur. *l.* 12. §. 6. *ff. h. t.* (I.)

2. Cæterùm, legato *Fundo inſtructo*, duo principalia videntur legata, alterum fundi cum inſtrumentis ejus, alterum inſtrumentorum patrisf. quæ ille in prædio habuit, ut eſſet inſtructior, velut ſupellex, aurum, argentum, vinum frumentum, medicamenta, ad uſum, non venalia aut cuſtodiæ causâ ibi repoſita. *l.* 12. §. 27. *& ſeqq. ff. h. t.* At ſi *fundus cum inſtrumento* legetur, ipſius tantùm fundi, (non patrisf.) inſtrumenta videntur comprehenſa, qualia, quæ fructuum quærendorum. cogendorum, conſervandorumque gratiâ parata ſunt, *l.* 8. *ff. h. t.* Atque hinc eſt; quod, fundo pereunte vel alienato, ſimul quidem corruat legatum inſtrumentorum ad fundum pertinentium ſive *fundus inſtructus* ſive *fundus cum inſtrumento* legatus ſit. §. 17. *Inſt. de legat.* neutiquam autem legatum inſtrumentorum patrisf. quæ ſub legato fundi inſtructi, at non ſub legato fundi cum inſtrumento comprehenſa erant: ac de hiſce patrisf. inſtrumentis intelligenda verba finalia. *l.* 5. *ff. h. t.* [II, III.]

3. Quòd ſi ſimpliciter fundus legatus ſit, ſola debentur affixa & inædificata, non item dotes prædiorum, ſtramenta, boves aratores &c. niſi fundus legatus ſit *ut optimus maximuſque l.* 2. §. 1. *l.* 21. 22. *ff. h. t.* Sed ſi fundum leget teſtator cum omnibus, quæ ibi ſunt merces etiam venales legaſſe creditur, (ſecus in uſufructu legato *l.* 32. §. 2. *ff. de uſu & uſuf. leg.*) ut & vina, quæ in doliis remanſerunt, cùm pretium eorum non eſſet ſolutum *l.* 27. §. 3. *ff. h. t.* niſi ex circumſtantiis appareat, teſtatorem ad fundi acceſſoria & inſtrumenta tantùm reſpexiſſe; de quo caſu fortè intelligenda *l.* 44. *l.* 92. *in fin. h. de legat.* 3. (IV.)

Tit. VIII.

De Peculio Legato.

1. SI ſervus cum peculio legetur, ſervo mortuo vel manumiſſo, peculii legatum corruit *l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* ut tamen, legato ſervo, non cenſeatur in dubio ſimul legatum ejus peculium, ſic ut id exprimendum ſit *l.* 24. *ff. h. t.* excepto caſu *l* 6. §. 2. *ff. h. t.* Augmentum autem & decrementum peculii vivo teſtatore contingens cedit legatario; quòd verò poſt mortem teſtatoris accedit, lucro aut damno hæredis eſt; niſi vel ipſi ſervo manumiſſo legatum ſit peculium, vel augmentum acceſſerit ex ipſis rebus peculiaribus *l.* 8. §. 8. *ff. h. t.* (1, 11, 111.)

Tit. IX.

De Penu Legatâ.

1. SUb penu continentur omnia, quæ eſui potuique familiæ ſervorum, & jumentorum comparata ſunt, cum vaſis ſine quibus haberi, & lignis, carbonibus aliiſque, ſine quibus parari penus nequit *l.* 3. *paſſim ff. h. t.* Medicamenta tamen penûs appellatione non veniunt. *l.* 5. *ff. h. t.* [1, 11, 111.]

2. Si penus legata ſit, & in caſum moræ pecunia, etiam poſt moram hæres liberari poteſt penum dando, quamdiu lis non eſt conteſtata *l.* 1. *ff. h. t.* (1v.)

Tit. X.

De Supellectile Legatâ.

1. SUpellex, cujus etymologiam exhibet *l.* 7. *ff. h. t.* eſt domeſticum patriſfamilias inſtrumentum, quod nec auro nec argento nec veſti annumeratur, *l.* 1. *ff. h. t.* Si tamen teſtator vas aliquod argenteum ſupellectilis loco habuerit, id quoque ei, cui ſuppellex legata eſt, debebitur, *l.* 3. §. *ult. l.* 8. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* (1, 11.)

2. Ceterùm, an ſupellectili quid annumerandum ſit necne, ex patriſfamilias deſtinatione multum pendet; quâ ratione

culcitræ quandoque ſupellectili adſcribuntur. *l. 3. ff. h. t.* non-nunquam veſti *l. 25. §. 7. ff. de auro, arg. legat.* (III.)

LIBER XXXIV.

TIT. I.

De alimentis vel cibariis Legatis.

1. Cibariis ſolus continetur cibus *l. 21 ff. h. t.* at alimentis præter cibaria veſtitus quoque & habitatio comprehenditur; non ſumtus in ſtudia, niſi aliud teſtator ſenſerit. *l. 6. 7. ff. h. t.* Obſt. *l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edict.* Reſp. non dicuntur ibi ſumtus in ſtudia ſub alimentis contineri, ſed tutoris officio aut prætoris decreto præſtari. Solvenda autem alimenta eâ ſpecie & quantitate, quâ relicta ſunt; quæ ſi expreſſa non ſit, id dandum quod teſtator dare ſolitus; ſi nec de eo conſtet, pro legatarii conditione. *l. pen. ff. h. t.* [I, II, III, IV, V, VI.]

2. Singularia in hoc legato ſunt, quòd etiam incapaci alimenta relinqui poſſint *l. 11. ff. h. t.* & ſi alicui ad pubertatem relicta ſint, maſculis ad annum decimum octavum, fœminis ad decimum quartum ſint præſtanda *l. 14. §. 1. ff. h. t.* inſuper, quod ad hæredes legatarii non tranſeant; licèt hæredes hæredis obligati maneant ad ea ſolvenda, quamdiu vivit legatarius *l. 8. §. 10. ff. de tranſact.* quòdque de iis non liceat tranſigere ſine decreto, ut dictum. *tit. de tranſact.* (IV, VII.)

3. Legato autem fundo alimentorum nomine, ipſa fundi proprietas legata cenſetur. *l. 4. l. pen. in fin. ff. h. t.*

TIT. II.

De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte vel veſtimentis & ſtatuis Legatis.

1. AUro vel argento legato continetur & factum & infectum, at non pecunia numerata. *l. 19. pr. ff. h. t.* Sub auro facto

ℰto legato comprehenditur etiam quod cœptum eſt fabricari, *l.* 19. §. 11. *ff. h. t* unà cum gemmis auro incluſis. *l.* 19. §. 13. *ff. h. t.* non tamen nummi, niſi evidens ſit voluntas teſtatoris. *l.* 27. §. 1. *ff. h. t.* [I.]

2. Si quis *ſuum aurum* legaverit, non continetur quod eſt in credito. *l.* 27. §. 2. *ff. h. t.* nec illud quod poſt factum teſtamentum eſt acquiſitum. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi ſit acceſſorium. *arg.* §. 19. *Inſt. de legat.* Interim omne quod teſtator tempore facti teſtamenti habebat, debetur, licèt non addiderit notam univerſalitatis, *omne* ſuum aurum: idemque in veſtibus aliiſque legatis obtinet. *l.* 8. *ff. h. t. arg. l.* 7. *ff. de trit. vin. ol. leg.* Obſt. *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.* Reſp. dicitur intelligi veſtis, quam teſtator in ſuos uſus habuit, ad excluſionem veſtium venalium, adeòque adhuc omnis veſtis in uſum teſtatoris parata debetur. [II, III, IV.]

3. Mundus, eſt quo mulier fit mundior. Ornamentum dicitur, quod ad nullam aliam rem, quàm corporis ornandi causâ paratum eſt. Unguenta, quæ ad unguendum valetudinis aut voluptatis causâ parata ſunt. *l.* 25. §. 10. *& ſeqq. ff. h. t.* [V, VI, VII, VIII.]

4. Veſtes ſunt, quibus corpus tegitur, lineæ, laneæ, ſericæ, bombycinæ, induendi, incumbendi, injiciendi causâ paratæ. *l.* 23. §. 1. *ff. h. t.* & vel viriles ſunt, vel muliebres, vel communes, vel pueriles, vel familiares *l.* 22. §. 2. *& ſeqq. ff. h. t.* (IX.)

5. Quæ verò virilis, quæ muliebris ſit veſtis, ex uſu & voluntate teſtatoris æſtimandum eſt. *l.* 33. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 110. §. 1. *ff. de verb. oblig.* Reſp. aliud obtinet in ſtipulatione quæ ex duorum voluntate dependet; unde non tam conſiderandum, quâ veſte promiſſor abuſus ſit, quàm potius, quæ verè virilis ſit, at legatum veſtium ex ſolius teſtatoris voluntate pendet. Cæterùm mitræ quandoque ad veſtem muliebrem referuntur, *l.* 23. §. 2. *ff. h. t.* quandoque ad ornamenta *l.* 23. §. 10. *l.* 26. *ff. h. t.* prout vel magis tegendi, vel magis ornandi gratiâ paratæ fuerint. *d. ll.* [X, XI.]

6. Statuis legatis debentur & ea, quæ ſtatuis poſtmodum adjecta ſunt. *l.* 14. *ff. h. t.* ſtatuis tamen legatis non debentur eæ, quæ domibus affixæ ſunt, cùm magis ſint acceſſoria domuum, & quaſi pars earum. *l.* 12. §. 23. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Obſt. ſtatuæ *non ſunt ædium l. pen. ff. V. S.* Reſp. id eſt non ſunt inſtrumenta ædium. *d. l.* 12. §. 23. [XII.]

Tit. III.

De Liberatione Legatâ.

1. LIberatio ſeu remiſſio debiti legatur vel in totum vel pro parte, ad tempus vel in perpetuum. *l.* 7. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* quo modo in perpetuum legata videtur, ſi hæres prohibeatur à Titio petere. *l.* 1 1. *ff. h. t.* ſecus, ſi prohibeatur vivo Titio petere. *l.* 20. *ff. h. t.* Legatur & liberatio vel expreſsè, vel tacitè dum chirographum legatur. *l.* 3. *ff. h. t.* non item pignus, quo caſu ſolum remiſſum creditur pignoris vinculum. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* [1, 11.]

2. Effectus liberationis legatæ eſt, quod debitor non modò exceptione tutus ſit, ſed & actione ex teſtamento petere poſſit, ſe acceptilatione liberari. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* vel ſi ſolverit, indebiti condictione repetere. *l.* 26. §. 7. *ff. de condict. indeb.* modò ſolverit poſt mortem teſtatoris, non ante. *l.* 21. *ff. h. t.* niſi alia appareat mens teſtatoris. *l.* 11. §. 13. *ff. de legat.* 3. Obſt. *l.* 5. §. 2. *ff. h. t.* Reſp. verba illa, *utrumque ſolutum repetere non poſſe*, eò pertinent, ut probet JCtus, patri qui non habet in peculio, & marito qui non eſt ſolvendo, rectè tamen legari liberationem, quia debitores ſunt: quod ut evincat, ait, eos *ſolutum repetere non poſſe* ſc. ſi liberatio non fuiſſet legata, (III, V, VI, VII.)

Legatâ verò liberatione, remiſſæ tantùm videntur actiones in perſonam; non item in rem, quibus non ut debitor, ſed ut poſſeſſor fortè conveniri poterat. *l.* 28. §. 4. *ff. h. t.* junct. *l.* 18. §. 1. *ff. de acceptil.* Obſt. *l. ult.* §. 2. *ff. h. t.* Reſp. legendum ibi, *nihil proponi cur pecunia &c.* deletâ particulâ *non*. Quòd ſi debitori principali legata ſit liberatio, fidejuſſor quoque liberatur; at non vice versâ, *l.* 2. *ff. h. t.*

4. Poteſt & debitor legare creditori ſuo quod debet, modò plus ſit in legato quàm debito. §. 14. *Inſt. de legat.* veluti ſi purè legetur, quod ſub conditione erat debitum; ſic ut legatum ſubſiſtat, etiamſi vivo teſtatore conditio extiterit. *d.* §. 14. Obſt. *l.* 82. *ff. de legat.* 2. Reſp. vel inutile ibi dicitur legatum quantum ad effectum: vel diſſenſus fuit veterum Juriſc. quem Juſtinianus ſuſtulit in *d.* §. 14. Quin imo & quod purè debetur ex ſtipulatu, rectè legatur; quia quantum ad uſurarum obligationem ex morâ plus eſt in legato unde illæ debentur, quàm in ſtipulatione, in quâ uſuræ non incipiunt ex morâ currere. *l.* 28. §. 1. *ff. de legat.* 1.

Et

Et ſi debitor exceptione ſe tueri poſſit, legando debitum cenſetur eam remiſiſſe *d. l. 28. pr. ff. de legat.* 1. [VIII.]

5. Si quis quantitatem debens, ſimpliciter quantitatem leget, nec adjiciat ſe eam debere, in dubio compenſare voluiſſe non præſumitur. *l. 85. ff. de legat. 2. l. 4. ff. de dot. collat. l. 16. C. de legat.* niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant; uti id contingit in caſu *l. 34. §. 5. ff. de legat. 2. & l. 22. §. 3. ff. ſolut. matrim.* [IX.]

6. Quòd ſi legetur quaſi debitum, cùm debitum non eſſet, demonſtratio falſa non vitiat legatum, modò certa quantitas aut corpus exprimatur. *l. 25. ff. h. t. l. 18. ff. de auro, argento &c. leg.* (VIII.)

7. *Moribus.* Si liberatio legata ſit, legatarius implorat judicis officium, qui vocato hærede & causâ cognitâ pronunciat nihil deberi, & hæredi perpetuum imponit ſilentium.

TIT. IV.

De adimendis vel transferendis Legatis.

1. Adimuntur legata vel expreſsè vel tacitè. Expreſsè, *veluti quod Titio legavi, non do non lego.* Quòd ſi duobus quis Titiis legaverit, deinde uni legatum ademerit, nec appareat de quo Titio ſenſerit; ſi quidem ſeparatim duobus Titiis legaverit, neutri ademptum creditur. *l. 3. §. 7. ff. h. t.* ſin conjunctim; utrique cenſetur ademiſſe teſtator; de quo caſu accipienda *l. 10. in med. pr. ff. de reb. dub.* [I, II, III.]

2. Tacitè adimuntur variis modis, puta, deletione, *l. 16. ff. h. t.* Alienatione voluntariâ rei legatæ, non neceſſariâ. *l. 11 §. 12. ff. de legat. 3. l. 18. ff. h. t. §. 12. Inſt. de legat.* adeò ut, ſi poſtea teſtator redimat rem alienatam, in dubio tamen non reviviſcat legatum. *l. 15. ff. h. t.* Inſuper inimicitiis capitalibus inter teſtatorem & legatarium, ſi reconciliatio non intervenerit, *l. 3. §. ult. l. 4. ff. h. t.* uti &, ſi teſtator rem, quam legaverat, ipſe inter vivos legatario præſtiterit *l. 22. ff. de legat. 2.* niſi alternativè legaſſet Stichum aut Pamphilum, deinde Stichum legatario inter vivos donaſſet, eo enim caſu Pamphilus adhuc ex legato peti poſſet. *l. 84. §. 11. ff. de legat. 1.* (V, VI, IX, X.)

3. Quid, quòd & tacitè legata adimuntur, dum transferuntur, vel de perſonâ in perſonam, vel de re in rem, vel de caſu in caſum. *§. 1. Inſt. h. t. l. 6. ff. h. t.* [VII, VIII.]

4. Non

4. Non tamen legatum extinguitur, ſi legatarius poſt mortem teſtatoris rem teſtatoris ſub conditione ſibi legatam emat ab hærede, pendente conditione; æſtimationem enim conſequi poterit, ſive ſciens ſive ignorans eam ſibi legatam emerit, *arg.* §. 6. *Inſt. de l. gat. l.* 34. §. 7. *ff. de legat.* 1. *l.* 45. §. 1. *ff. de leg.* 2. licèt in eo ſit inter ſcientem & ignorantem differentia, quod legatarius ignoranter emens etiam actione ex emto poſſit pretium repetere ab hærede venditore, non is qui ſciens emit. *l.* 29. *ff. de act. emt.* Obſt. *l.* 84. §. 5. *ff. de leg.* 1. ubi ignorantis fit mentio. Reſp. agitur ibi de legato puro, ſtultus autem fuerit, qui ſciens emit rem purè legatam, quam ſtatim conſequi poteſt ex causâ legati. [xI.]

5. Sic nec ademtum videtur legatum, ſi teſtator rem leget Titio, & eam jubeat reſtitui Sempronio, mox iterum Sempronio adimat. Titio enim adhuc debetur. *l.* 60. *ff. de legat.* 2. *arg. l.* 38. §. 6. *ff. de legat.* 3. Obſt. *l. pen.* §. 1. *ff. h. t.* Reſp. legendum, *nihil proponi cur* non *ad matrem*, additâ negatione. (XII.)

TIT. V.

De rebus dubiis.

1. SI dubium planè ſit, quid teſtator voluerit, nihil debetur. *l.* 4. *ff. h. t.* ut nec debetur, ſi teſtator planè aliud dixerit aut ſcripſerit, quàm voluit. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 7. §. 2. *ff. de ſupell. legat.* De cætero, quantùm fieri poteſt, interpretatione juvandæ ſunt ultimæ voluntates, ut magis valeant quàm pereant, idque ſecundùm id quod probabile eſt teſtatorem voluiſſe. *l.* 12. 21. 24. *ff. h. t.* licèt à propriâ vocis ſignificatione recedendum foret, & minùs propria admittenda. *arg. l.* 3. §. *ult. ff. de ſupell. legat.* (I, IV.)

2. Circa mortem autem ſæpe dubium, quis prior perierit, ſi plures uno naufragio, ruinâ incendio extincti ſint: quales tamen in dubio præſumuntur omnes ſimul periiſſe. *l.* 8. 16. 17. *ff. h. t.* niſi favor patroni vel fideicommiſſi aliud exigat. Vide *l.* 9. §. 2. *ff. h. t. l.* 17. §. *pen. ff. ad Senatuſc. Trebell.* vel ætas aliud ſuadeat aut ordo mortalitatis: quâ ratione pater aut mater filio impuberi, pubes verò filius patri aut matri ſupervixiſſe creditur. *l.* 22. 23. *ff. h. t.* [II, III.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 38. *de verbor. & rer. ſignif.*

TIT.

Tit. VI.

De his, quæ pœnæ causâ relinquuntur.

1. POEnæ causâ relinqui dicitur, quod hæredis coërcendi gratiâ relinquitur, ut vel ne quid faciat, & ſi contra fecerit, legatum præſtet §. *ult. Inſt. de legat.* Hujuſmodi verò legatum olim invalidum erat, hodie valet ut conditionale, niſi probroſum quid aut impoſſibile hæredi injunctum ſit, quo caſu inutile eſt legatum, ne alioquin contingeret, hæredem puniri dum à probro abſtinet. §. *ult. Inſt. h. t. l. un. C. h. t.* (1, 11.)

2. Potuit tamen & olim teſtator hæredem damnare ad aliquid dandum aut faciendum, & in caſum, quo non dediſſet aut feciſſet, pœnam ei imponere præſtandam eidem, cui quid dari fierive voluerat, quo firmior eſſet voluntas: nec hæc ſpecies incidebat in legatum pœnæ causâ, quippe quo teſtator nihil diſponens principaliter, ſed ſimpliciter præcipiens, hæredi pœnam imponebat. Exempla ſunt in *l.* 1. *ff. de penn. legat. l.* 1. §. 8. *ff. ad leg. Falcid. l.* 6. *l.* 27. *ff. de condit. & demonſtr.* [111.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 41. *de his quæ pœna nomine, &c.*

Tit. VII.

De Regula Catoniana.

1. REgula Catoniana dictat, illud quod ab initio non valet, tractu temporis non poſſe convaleſcere. *l.* 1. *ff. h. t.* & locum habet in legatis puris, non conditionalibus, aut iis quorum dies demum cedit aditâ hæreditate. *l.* 3. 4. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 1. *in fin. ff. h. t.* Reſp. ſi diſtinctio, ſeu duo puncta ponantur poſt *alienaverit*, & ita verba, *ſi eum vivo teſtatore alienaverit* accipiantur ut à teſtatore prolata, legatum erit conditionale; atque ita nulla difficultas eſt. (1, 11.)

Tit. VIII.

De his quæ pro non ſcriptis habentur.

1. PRo non ſcriptis habita olim caduca erant vel in cauſa caduci, & hæc fiſco cedebant; at hodie penes hæredem aut ſubſtitutum aut collegatarium remanent. *l. un.* §. 2. 3. 4. *C. de*

ff. ad Senatuſc. Silan. Obſt. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. de adimend. vel transfer. legat.* Reſp. ex ſolo teſtatoris ſilentio non poteſt præſumi reconciliatio, quæ tamen in *d. ll.* intervenisse dicitur. Obſt. donatio revocanda eſt. *l. 1. l. ult.* C. *de revocand. donat.* Reſp. donatio firmior eſt & jus donanti jam quæſitum; non ita hæredi vel legatario, dum vivit teſtator, ut diverſa ſit ratio. [VI, VII, VIII.]

3. *Moribus.* Ea quæ indignis relicta ſunt, non cedunt regulariter fiſco, exceptis iis, quæ exulibus relinquuntur; ſed penes hæredem potius remanent, aut ſi actu inter vivos donata ſint ad donantem revertuntur. Indignus autem non cenſetur hodie, qui teſtamentum dixit falſum, ſi in ejus probatione deficiat.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 35. de his, quib. ut indignis hæred. aufertur.*

LIBER XXXV.

TIT. I.

De Conditionibus & demonſtrationibus & cauſis & modis eorum quæ in Teſtamento ſcribuntur.

1. DE conditionibus plura *libro 28. tit. 7.* dicta ſunt; quibus nonnulla hîc addenda. Poteſt vel una conditio adſcribi, vel plures; & hæ vel conjunctim vel disjunctim. Si conjunctim, omnes implendæ; ſin disjunctim, unam impleri ſufficit tum in inſtitutione tum in legatis. *§. pen. Inſt. de hæred. inſtit.*

2. Quòd ſi plures conditiones diverſis teſtamenti partibus adſcriptæ ſint, ſi quidem hæredi, quæcunque priùs extiterit, faciet ut teneat defuncti voluntas *l. 17. ff. de condit. inſtit.* ſin adſcriptæ fuerint legatario, noviſſima implenda eſt, cùm noviſſima ſcriptura ſpectetur in legatis: uti in datis libertatibus ſpectatur ea, quæ leviſſima eſt & ſervo facilior *l. 87. 88. ff. h. t. arg. l. 6. in fin. ff. de adim. legat.* (*tit. de condit. Inſtit.* XXIX.)

3. Si filiof. aut ſervo inſtituto ſit adſcripta conditio, poſſunt

ſunt illi eam ſine patris aut domini juſſu implere; cùm poſt implementum adhuc liberum ſit patri vel domino jubere vel non jubere ut adeant; atque ita nullum ipſis fiat præjudicium. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 25. *ff. de condit. inſtit.* Reſp. vel delenda particula, *non*, vel dicendum; ſervum ſine juſſu domini implere non poſſe, ita ut inde domino fieret præjudicium. [*tit. de condit. Inſt.* XXIV.]

4. Cæterùm conditiones plerumque ſpecifice implendæ ſunt, non per æquivalens. *arg. l.* 11. §. *ult. ff. de legat.* 3. niſi conditio ſe habet ut medium & via ad finem ulteriorem. *arg. l.* 11. *ff. de legat.* 3. *l.* 3. C. *de inſtit. & ſubſtit.* (*tit. de condit. Inſtit.* XXV.)

5. Impleri autem poſſunt quovis tempore, niſi aliud teſtator voluerit. *l.* 10. *ff. h. t.* ſi tamen impletæ jam fuerint tempore facti teſtamenti, aut id ignoravit teſtator, & debentur relicta. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* aut ſcivit, eoque caſu iterum, expectandus conditionis eventus; niſi amplius quàm ſemel exiſtere nequeat, quo caſu relicta ſtatim præſtanda forent. *l.* 11. *ff. h. t.* (*tit. de condit. Inſt.* XXVI, XXVII.)

6. Non tamen expectandum conditionis implementum, cùm ea conſiſtit in non faciendo, veluti, cum Titio legantur centum, ſi in Capitolium non aſcenderit: tunc enim percipere poteſt legatum præſtitâ cautione Mutianâ de non aſcendendo, datis fidejuſſoribus aut præſtito jurejurando cum hypothecâ bonorum. *l.* 7. 18. *ff. h. t.* junct. *Nov.* 22. *c.* 44. qualis cautio & tunc locum ſibi vindicat, cùm vir uxori vel uxor viro quid relinquit ſub conditione viduitatis, *d. nov.* 22. *c.* 43. 44. licèt anteriori jure in tali caſu aliud ſervatum ſit. Vide *l.* 22. 64. *ff. h. t. l.* 14. *ff. de legat.* 3. *l.* 1. 2. 3. C. *de indicta viduit. & lege Jul. miſc.* Eſtque hæc cautio præſtanda illis, ad quos deficiente conditione res pertineret, etiam hæredibus ab inteſtato. *arg. d. l.* 18. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 4. §. 1. *ff. de condit. inſt.* Reſp. ponendi ſunt termini habiles, quando ſc. nullus exiſtit ab inteſtato hæres; aliàs enim impoſſibilis non foret conditio. Obſt. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Reſp. ibi non cavendum. Quia maritus non poterat contra conditionem facere & dotem petere, dum ſolus hæres eſt; ut caſus ſingularis ſit. [*tit. de condit. Inſtit.* VI, VII, VIII.]

7. Explicandæ autem conditiones juxta id quod probabile eſt teſtatorem cogitaſſe. *l.* 19. *ff. h. t.* Hinc ſi maritus uxori leget, *ſi illa quandocumque liberos habuerit*, non cenſetur impleta conditio, ſi ex alio quàm marito legante liberos ſuſceperit,

rit. *l.* 25. *ff. h. t.* arg. *l.* 61. 62. *ff. h. t.* Obſt. *l. pen. ff. de uſuris.* Reſp. intelligi poteſt de filio poſthumo ex eodem marito concepto. [*tit. de condit. inſtit.* XXIX.]

8. Demonſtratio eſt peculiaris rei vel perſonæ deſcriptio; quæ, ſi falſa ſit, non nocet legato, modò aliter de voluntate conſtet. §. 29. *Inſt. de legatis.* niſi vel in nomine appellativo vel in cognatione erratum ſit. *l.* 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 5. *C. de teſtamentis.* aut ipſa res legata non appareat, quo caſu non tam falſa demonſtratio eſt, quàm potius nulla, utpote rei non extantis: quæ proinde debere nequit. *l.* 1. §. 7. *ff. de dote præleg. l.* 75. §. 1. *ff. de legat.* 1. [II, III, IV, V, VII, VIII.]

9. Quòd ſi teſtator ita legaverit, *veſtem, quæ mea erit cùm moriar.*, conditio magis eſt quàm demonſtratio *l.* 6. *ff. de legat.* 1. *l.* 85. *ff. de legat.* 3. Obſt. *l.* 34. §. *ult. ff. de auro, argento &c. legat.* Reſp. lectio corrupta eſt, & pro *& demonſtrationem legati & argumentum* legendum videtur, *& decrementum legati & augmentum*; verbum ſanè *argumenti* ibi uſum habere nequit, ſuadentque hanc lectionem verba ſequentia. [VI.]

10. Cauſa eſt, quæ teſtatorem ad legandum movet, & legatum antecedit: quæ ſi falſa ſit, legatum non vitiat, licèt teſtator eam falſam eſſe ignoraverit, §. 31. *Inſt. de legatis.* niſi hæres probet, teſtatorem non fuiſſe legaturum, ſi falſam eſſe cauſam ſciviſſet. *l.* 72. §. 6. *ff. h. t.* aut cauſa conditionaliter vel de futuro concepta ſit, *d.* §. 30. [IX, X, XI.]

11. Modus eſt adjectio indicans, quid defunctus poſt legatum acceptum fieri velit; veluti *ut monumentum exſtruat &c.* & facit legatum purum, nec impedit legati tranſmiſſionem ad hæredes; legatario poſt teſtatorem moriente. arg. *l.* 109. *ff. h. t. l.* 2. *C. de his quæ ſub modo*, ſed de implendo poſt acceptum legatum modo præſtanda eſt cautio. *l.* 40. §. *ult. l.* 80. *ff. h. t.* & ſi impletus non fuerit, legatum reſolvitur. arg. *l.* 17. §. 2. *ff. de manumiſſ. teſtam.* (XII, XIII.)

12. Si modus generaliter adjectus ſit, implendus eſt ſecundùm dignitatem & ſubſtantiam defuncti. *l.* 27. *ff. h. t.* Si impleri nequeat juxta præſcriptum teſtatoris, implendus ſaltem erit per aliud ſimile & æquivalens. *l.* 16. *ff. de uſu & uſufr. legat.* Quòd ſi implementum modi contineat utilitatem tertii, dum legatum relictum eſt ut alteri quid detur vel fiat, hic poterit modi implementum petere, velut ex causâ fideicommiſſi. *l.* 2. *C. de his quæ ſub modo*, abrogatâ *l.* 92. *ff. h. t.* & *l.* 114. §. 8. *ff. de legat.* 1. quarum legum occaſione in tranſitu obſervandum, patrem non potuiſſe cogi modo ordinario ad filium eman-

emancipandum, *d. l.* 114. §. 8. extra ordinem tamen coactum fuiſſe *d. l* 92. quæ harum legum conciliatio eſt [XII, XIII.]

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit.* 46. *de condit. inſertis &c. tit.* 44 *de falsâ causâ adjectâ leg. tit.* 45. *de his quæ ſub modo relinq. tit.* 40. *de indict. viduitate & leg. Jul. miſc. toll.*

TIT. II.

Ad Legem Falcidiam.

1. LEgandi licentia, quæ ex *l. 12. tab.* erat libertima, per legem Furiam ac voconiam, tandemque per legem Falcidiam coarctata fuit. *pr. Inſt. h. t.* Quâ lege cautum, ne teſtator ultra dodrantem bonorum leget; pars quarta penes hæredem remaneat; quam ſi ei teſtator non reliquerit, vi tamen hujus legis retinere ac deducere poteſt; aut ſi integra legata facti errore jam ſolverit, condictione indebiti repetere. *l. 9. C. h. t.* aliquando vindicare *l. 26. ff. h. t.* Eſtque hæc lex introducta tum in favorem teſtatoris, ne periret ejus voluntas hæreditate non aditâ. *pr. Inſt. h. t.* tum in gratiam hæredis, ne ſine lucro adeat. *l. 71. ff. h. t.* tum etiam in legatariorum utilitatem, quibus conſultius eſt percipere legata diminuta, quàm iis in univerſum carere non aditâ hæreditate. *arg. §. pen. in fin. Inſt. h. t.* [I, II, III, XXXI.]

2. Habet autem locum Falcidiæ detractio in legatis ac fideicommiſſis particularibus ex teſtamento vel ab inteſtato relictis, & mortis causâ donationibus, ac eis, quæ fiunt inter virum & uxorem (non in cæteris inter vivos donationibus.) *l. 1. 18. ff. h. t. l. 5. 12. C. h. t.* uti & in mortis causâ capionibus, cum extraneus quid ab hærede percipit conditionis implendæ causâ, veluti ex hâc Scripturâ, *Titius hæres eſto, ſi trecentos octoginta dederit Sempronio*, cùm in totâ hæreditate eſſent tantùm quadringenti. *l. pen. C. h. t.* (IV.)

3. Nec refert, utrùm proprietas legetur, an uſusfructus; aut alimenta, aut reditus annuus: ut tamen in computando diverſi inveniantur obſervati modi. Etenim vel æſtimatum fuit, quanti annuum illud, quod alicui relictum erat, ob incertum mortis eventum vendi poſſet. *l. 55. ff. h. t.* vel ita ratio fuit inita, ut in legatariis, qui triginta annis minores erant annorum triginta computatio inſtitueretur, in iis verò, qui annum trigeſimum ſuperaverant, tot anni computarentur, quot deſunt annis ſexaginta: ne tamen unquam minus computetur quàm

quàm quinquennium, cujuſcunque ætatis, & utcumque decrepitæ, ſit legatarius; & pro quantitate, quæ intra annos ſic computatos præſtanda foret, hæres quartam deducit, veluti ex centum aureis toto decennio præſtandis (caſu quo annua decem legata ſunt) viginti quinque aureos *l. 68. ff. h. t.* ita tamen ut hæres ab initio integrâ legata præſtet ſine ullâ detractione, uſque ad illud tempus, quo dodrans ille deducto quadrante conſumtus fuerit; quo tempore ſi adhuc vivat legatarius, ceſſabit legati præſtatio tanquam ex lege Falcidiâ, donec totum tempus computatione ſuperiore comprehenſum elapſum fuerit. *l. 47. ff. h. t.* ſed ſi legatarius, cui annuum debetur maturiùs moriatur, antequam perceperit illud quod juxta ſuperiorem computationem ei, ſi vixiſſet, cedere debuiſſet, id reliquis proderit legatariis, quibus tantò minus Falcidiæ nomine deducendum eſt. *arg. l. 55. ff. h. t.* In annuis tamen civitati relictis, quorum perpetua eſt præſtatio, id quod præſtandum eſt conſideratur tanquam uſura triens, veluti, ſi decem annui legati ſint, ſors conſideratur 250. & ejus portio quarta hæredi ſalva eſt eamque deducit. *l. 3. §. ult. ff. h. t.* [v, vi, vii viii, ix.]

4. Imputantur verò in quartam ea, quæ hæres habet jure hæreditario, etiam fructus rei ſub conditione legatæ; non fructus cæteri nec prælegata. *l. 45. 76. 91. ff. h. t.* niſi pro eâ parte quâ hæres eſt, cùm eatenus capiat non ut prælegatum, ſed jure hæreditario. *l. 86. ff. h. t.* nec, quæ conditionis implendæ causâ hæres à legatariis percepit. *l. 91. ff. h. t.* niſi rem acceperit jam ante naturaliter defuncto debitam. *l. 21. ff. h. t.* junct. *l. 1. §. 17. ff. h. t.* aut à ſtatu libero defuncti nummos peculiares. *l. 44. 76. ff. h. t.* [xxv.]

Cæterùm in Falcidia ineundâ inſpicitur quantitas patrimonii qualis fuit tempore mortis, ſic ut augmentum & decrementum poſtea contingens lucro & damno hæredis ſit, *§. 2. Inſt. h. t.* factâ rerum hæreditariarum æſtimatione ex communi opinione non peculiari affectione, qui ſenſus eſt. *l. 62. §. 1. ff. h. t.* Deducendæ tamen priùs funeris impenſæ, æs alienum, pretia ſervorum manumiſſorum, & ea quæ venditionum explicandarum gratiâ erogata ſunt, *l. 72. ff. h. t. §. ult. Inſt. h. t.* (xxvi, xxvii, xxviii, xxix, xxx.)

6. Detrahunt Falcidiam hæredes & eorum ſucceſſores, *l. 10. C. h. t.* non legatarii vel fideicommiſſarii particulares. *l. 47. §. 1. ff. h. t.* niſi quatenus ipſi detractionem paſſi ſunt. *l. 32. §. 4. ff. h. t.* cujus etiam reſpectu uti cavere tenentur hæredi,

cùm legatum accipiunt, ita & à fideicommiſſario, cui reſtituunt, cautionem exigunt, ſi fortè plus, quàm per legem Falcidiam licuerit, legatum eſſe apparuerit. *l.* 1. §. 13. *l.* 5. *ff. tit. ſeq.* (XIX.)

7. Habenda autem Falcidiæ ratio in ſingulis hæredibus, ita, ut quiſque partis ejus, ex qua hæres eſt, quartam ſalvam habeat §. 1. *Inſt. h. t.* Quòd ſi cohæredis deficientis portio cohæredi accreſcat, cùm alter plus juſto oneratus eſſet, alter nullo modo; vel gravata accreſcit non gravatæ, eoque caſu hæres ex parte accreſcente quartam detrahit; vel non gravatæ, atque tunc ex parte gravatâ quarta non deducitur. *l.* 78. *ff. h. t.* Si tamen aliquis pupillo cohæres ſit & ſimul ſubſtitutus, ac pupilli pars legatis exhauſta ſit, cohæres ex ſubſtitutione vulgari ſuccedens, dum ſc. pupillus patri hæres nondum fuit, tanquam unus hæres integra legata præſtat: ſin pupillus patri hæres fuerit, & ita ſubſtitutus vi pupillaris ſubſtitutionis ſucceſſerit, poteſt ex legatis detrahere Falcidiam, ut pupillus ipſe potuiſſet, ſi vixiſſet. *l.* 87. §. 4. *ff. h. t.* Sed ſi ipſius ſubſtituti & cohæredis portio exhauſta appareat & poſtea impuberi ex pupillari ſubſtitutione ſuccedat, ita erit ineunda Falcidiæ ratio, ut ex duabus partibus, propriâ nempe & pupillari, quartam unam ſalvam habeat. *d. l.* 87. §. *ult. ff. h. t.* Quod & obtinebit, ſi portio utraque tum impuberis filii tum cohæredis ſimulque ſubſtituti gravata ſit: ſubſtituto enim ad utramque partem vocato, ita legata omnia confunduntur, quaſi unus tantùm inſtitutus & oneratus eſſet. *l.* 11. §. 5. *l.* 79. *ff. h. t.* (XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV.)

8. Ceſſat Falcidiæ detractio, ſi teſtator expreſsè prohibuerit, *nov.* 1. *c.* 2. *in fin.* ſi hæres ſciens aut juris ignorantiâ integra legata ſolverit. *l.* 9. *C. h. t. nov.* 1. *c.* 3. ſi hæres inventarium non fecerit. *l. ult.* § 12. *&* 14. *C. de jure deliber.* ſi teſtator hæredi inter vivos quantitatem quartæ æquivalentem dederit. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* ſi hæres id egerit ut fideicommiſſum intercideret. *l.* 59. *ff. h t.* ut & in legato ad pias cauſas. *nov.* 131. *c.* 12. in rebus ex hæreditate dolo ſubtractis per hæredem. *l.* 24. *ff. h. t. l.* 6. *ff. de his quæ ut indign.* in rebus alienari prohibitis. *auth. ſed & in ea re C. h. t.* in teſtamento militis, quod tempore militiæ, non poſt miſſionem condidit *l.* 7. *C. h. t. l.* 40. *ff. h. t.* adeò ut in ipſis etiam codicillis ex militari teſtamento dependentibus, non teſtamenti conditi, ſed codicillorum conditorum tempus ſpectandum ſit, an tunc miles fuerit, *l.* 17. *l. ult. ff. h. t.* denique in dote prælegatâ, quatenus verè

data

data eſt. *l.* 57. *ff. h. t.* ut tamen detractio locum habeat reſpectu commodi repræſentationis & aliarum utilitatum, quæ ex dote prælegatâ legatario acquiruntur. *l.* 1. §. 10. *ff. h. t. l.* 1. §. 12. *ff. de dote præleg.* (XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII.)

9. *Moribus.* Falcidiæ detractionem volunt hodie etiam tacitè poſſe prohiberi, ac cenſeri prohibitam, ſi teſtator bonorum legatorum alienationem fieri prohibuerit. In ponenda autem ratione legis Falcidiæ in annuis legatis, non præciſe ſervanda videtur diſpoſitio. *l.* 68. *ff. h. t.* ſed magis viri boni arbitratu juſtum annui legati pretium pro ratione ætatis, valetudinis & aliarum circumſtantiarum videtur ſtatuendum, ſi nihil ſpecialiter de tali caſu inveniatur ſtatuto cautum.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 50. *ad leg. Falcid.*

Tit. III.

Si cui plus quàm per Legem Falcidiam licuerit legatum eſſe dicetur.

1. Quia emergere poteſt æs alienum, & legatarii, qui acceperunt legata, medio tempore fieri minùs idonei facultatibus; hinc accipientes legata cavere tenentur, ſe reſtituturos, ſi quid amplius quàm per legem Falcidiam licuerit, acceperint, & dolum malum abfuturum; idque datis fidejuſſoribus. *l.* 1. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* & omiſſam initio cautionis exactionem poſtea fieri, nihil impedit. *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* (I, II.)

2. Quidam tamen non ſatiſdant, puta fiſcus, & illi quibus alimenta minuta relicta ſunt, *l.* 3. §. 4. 5. *ff. h. t.* ut & in caſibus. *l.* 6. 7. *ff. h. t.* & ſi quis ſatiſdederit, evaneſcit vis cautionis, quoties ſine dolo caventis res perierit. *l.* 1. §. *ult. l.* 3. *ff. h. t.* (II.)

LIBER XXXVI.

TIT. I.

Ad Senatusconſultum Trebellianum.

1. HÆreditas vel directò relinquitur, vel per fideicommiſſum: unde & hæres fideicommiſſarius is dicitur, cui à fiduciario hærede reſtituta eſt hæreditas. Ad quam reſtitutionem cogi olim nemo poterat; ſed poſtea ex Senatuſconſulto Trebelliano, poſtquam illud cum Pegaſiano confuſum fuit, hæres fideicommiſſarius fiduciarium ad hæreditatem adeundam ac reſtituendam adigere potuit. Vide *pr.* & §§. *ſeqq. Inſt. h. t.*

2. Relinquunt autem fideicommiſſa omnes, qui & teſtamenta facere poſſunt: idque vel teſtamento vel codicillis vel ab inteſtato, adhibitis ad minimum quinque teſtibus. *l.* 22. C. *de fideicommiſſ. l. ult. in fin. C. de codicillis.* Imo & ſine teſtibus, ſi moriens hæredem præſentem vivâ voce fideicommiſſo gravet. *§. ult. Inſt. h. t.* (VIII, IX.)

3. Quid, quòd & tacitè nonnunquam teſtator creditur fideicommiſſum reliquiſſe, puta, ſi ita teſtamento caveat, *mando, tibi hæres, ne teſtamentum facias, donec liberos ſuſceperis. l.* 74. *ff. h. t.* ſecus, ſi aliâ ſcripturâ per modum conſilii id caverit. *l.* 77. §. 24. *ff. de legat.* 2. Sic quoque, ſi teſtator ſcripſerit teſtamento, *ſe credere; ſe exiſtimare, ſe ſcire, futurum eſſe ut hæreditas vel res Sempronio reſtituatur*, tacitum fideicommiſſum erit, ſi verba ad hæredem directa ſint. *l.* 115. *l.* 118. *ff. de legat.* 1. non item, ſi ad alium, vel eum, cui reſtitutum iri credebat teſtator. *l.* 68. §. 1. *ff. de legat.* 3. *l.* 32. *pr. ff. de uſufr. legat.* (X, XI.)

4. Relinqui poteſt fideicommiſſo vel tota hæreditas vel pars ejus; purè, vel ex die, vel ad diem, vel ſub conditione. §. 2. 8. *Inſt. h. t.* qualis ſæpe hæc adjicitur, *ſi gravatus hæres ſine liberis moriatur*, quo caſu fideicommiſſum corruit, ſuperſtitibus liberis legitimè natis, quippe qui propriè liberorum veniunt appellatione; non item, relictis naturalibus, niſi alia ex circumſtantiis col-

colligi poſſit mens teſtatoris; eſt enim hæc voluntatis quæſtio. *l.* 17. §. 4. *ff. h. t.* [XIII, XIV, XV, XVI.]

5. Quin imo tacitè nonnunquam conditio, *ſi ſine liberis* ſubintelligitur, ex pietatis conjecturâ, puta, ſi avus nepotem liberis carentem roget, ut intra annum triceſimum moriens hæreditatem patruo reſtituat: non enim nepos hujuſmodi in caſu ad reſtitutionem obligatus erit, ſi liberis relictis moriatur. *l.* 102. *ff. de condit. & demonſtr.* Qualis conjectura & tacita conditio *ſi ſine liberis* etiam tunc locum inveniet, cùm pater naturalis filium naturalem hæredem ſcripſit, & juſſit, ut poſt mortem ſuam reſtituat extraneo hæreditatem. *l.* 6. *in med. C. de Inſt. & ſubſt.* (XVII.)

6. Non tamen admittenda hæc tacita conditio, ſi liberi parentes inſtitutos ſimpliciter rogaverint hæreditatem, reſtituere; eò quòd patentum gravatorum liberi ipſi fideicommittenti non deſcendentes ſed collaterales ſunt, in quibus non tanta pietatis ratio, ac proinde nec conjectura eſt, quanta in deſcendentibus. *arg. l.* 7. §. *ult. ff. ſi. tab. teſt. nulla extab. l.* 15. *ff. de inoff. teſt.* Uti nec conjecturæ huic locus eſt, ſi pater aut avus filium aut nepotem jam liberos habentem rogaverit, ut hæreditatem tertio reſtituat, licèt tunc illi liberi tempore mortis ſuperſint. *arg. l.* 6. *in med. C. de Inſt. & ſubſt.* verbis *nullâ liberorum ex his procreandorum adjectione habitâ.* [XVIII, XIX.]

7. Data autem olim fideicommiſſa plerumque incapacibus, at jure poſteriori ſolis capacibus. *pr. Inſt. h. t. l.* 67. §. *ult. ff. h. t.* iiſque vel certis, vel incertis, veluti proximioribus agnatis, aut generaliter familiæ. *l. ult. C. de verb. ſignif.* quod & factum cenſetur, ſi quis prohibeat, ne res alienetur extra familiam. *l.* 38. §. 1. 2. 3. *ff. de legat.* 3. *l.* 114. §. 14. *ff. de legat.* 1. quo caſu fideicommiſſum eſt perpetuum; quod tamen plerique limitatum putant per *nov.* 159. ut in dubio tantùm uſque ad quartam generationem fideicommiſſum extendatur, ac poſt eam res liberæ ſint; ſecus, ſi manifeſtò conſtet de mente teſtatoris, res ulterius fideicommiſſo gravare volentis. Quòd ſi res contra prohibitionem fuerit alienata extra familiam, per proximum ex familiâ vindicari poteſt; ita tamen, ut, quamdiu vivit alienans, fructus per emtorem percipi poſſint. *l.* 69. §. 1. 3. *ff. de legat.* 2. (XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII.)

8. Cæterùm, qui fideicommiſſo gravatus eſt, ſive inſtitutus ſit ſive ſubſtitutus, ſive directus ſive fideicommiſſarius, ſive civilis ſive prætorius, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato hæ-

res ſit, §. 10. 11 *Inſt. h. t.* hæreditatem aut partem ejus tenetur reſtituere eo tempore, quo teſtator id fieri voluerit; (nonnunquam & ante, in caſu *l.* 50. *ff. h. t.*) & ſi ſimpliciter ſine temporis adjectione rogatus ſit, ſtatim reſtituit *l.* 41. §. *ult. ff. de legat.* 3. excepto caſu *l.* 19. *ff. h. t.* quia ibi filius non ſibi ſed patri hæreditatem acquireret, ſi illa ſtatim ipſi reſtitueretur. Quòd ſi rogaretur *efficere, ut hæreditas ad Titium perveniat,* poſt ſuam demum mortem reſtituere tenetur, eò quòd tractus incerti temporis continetur, quod tempus incertum morte circumſcribitur. *l.* 75. §. 1. *ff. h. t.* [XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX.]

9 Quòd ſi fiduciarius adire nolit, ac per conſequens nec reſtituere, per fideicommiſſarium cogi poteſt ipſe vel hæres ejus, (captis pignoribus, indictâ mulctâ, condemnatione in id quod intereſt, aliiſque modis, quibus juxta jura communia quis ad factum cogi poteſt) ad id, ut adeat & reſtituat ſine ullo lucro vel damno, periculo cogentis. §. 7. *Inſt. h. t. l.* 4. 5. 44. *ff. h. t.* qui ſi adire coëgerit, deinceps repudiare nequit. *l.* 67. *ff. h. t.* aut ſi poſtquam adire coëgiſſet, mortuus fuerit ſine hærede antequam ei eſſet facta reſtitutio, non id adeuntem onerabit, ſed potius bona hæreditaria in uſum creditorum divendenda ſunt. *l.* 44. *ff. h. t.* Si tamen fiduciarius adire coactus, tempus petierit ad deliberandum, eoque elapſo ſponte adierit, lucri & damni particeps eſt, perinde ac ſi ſtatim ab initio ſponte adiviſſet. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* [XL XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV]

10. Sed ſi gravatus ſponte adeat, & per ſe vel alium, verbis vel facto, epiſtolâ vel nuncio hæreditatem reſtituat. *l.* 37. *ff. h. t.* quartam Trebellianicam retinere poteſt, quoties ultra dodrantem reſtituere rogatus eſt; adeò ut quartæ repetitionem habeat per condictionem indebiti, ſi totam hæreditatem, quam accepit, errore facti reſtituerit. §. 7. *Inſt. h. t. l.* 21. *l.* 68. §. 1. *ff. h. t.* [XXXIV, XLVII.]

11. Imputanda tamen veniunt in hanc quartam ea omnia, quæ quis habet ex judicio teſtatoris, ſive titulo inſtitutionis, ſive legati; ut & ea quæ conditionis implendæ causâ fiduciarius accepit à cohærede vel fideicommiſſario, non item à legatario. *l.* 91 *ff. ad leg. Falcid* atque ita explicanda. *l.* 30. §. 7. *ff. eod. tit.* Sed & fructus ex hæreditate percepti per fiduciarium imputandi ſunt, quoties vel pendente fideicommiſſi conditione percepti ſunt, vel ex morâ fiduciarii, ſecus ſi ex morâ fideicommiſſarii. *l.* 18. *l.* 22. §. 2. *ff. h. t.* [XLVIII, XLIX.]

12. Quòd ſi fructus in quartam imputandi eam excedant,

non

non ſunt reſtituendi; niſi percepti ſint ex morâ fiduciarii. *l.* 18. *ff. h. t.* vel ante aditam hæreditatem, quales hæreditatem augent. *l.* 27. §. 1. *ff. h. t.* vel fiduciarius ſpecialiter rogatus ſit & *fructus reſtituere l.* 18. *ff. h. t.* vel *hæreditatem cum incremento.* arg. *l.* 63. §. 4. *ff. h. t.* vel *quantacumque pecuniæ ex hæreditate de bonis* teſtatoris *ad ipſum pervenerit. l.* 32. *ff. h. t.* vel, *quicquid ex bonis ſupererit. l.* 3. §. 2. *ff. de uſuris.* Non tamen fructûs reſtituendi, ſi quis rogetur reſtituere *quicquid ex hæreditate ſupererit. l.* 58. §. *pen. ff. h. t.* ut nec, ſi teſtator dixerit, *quicquid ex hæreditate bonisve meis ſupererit*; eò quòd tunc *bona* idem denotant, quod *hæreditas*, cùm ſimul junguntur. *l.* 83. *ff. de legat.* 3. *l.* 57. *ff. h. t.* ſic ut magis enixa videatur voluntas teſtatoris, in verbis *quantacumque pecunia ex hæreditate de bonis meis ad ipſum pervenerit,* quibus & fructuum reſtitutionem contineri dictum eſt, quàm ſi dixerit, *quicquid ex hæreditate bonisve meis ſupererit.* [XLIX, L.]

13. Quæ autem de fructibus in quartam imputandis dicta ſunt, fallunt in filio fideicommiſſo gravato; quippe qui quartam non ex fructibus, ſed ipſis rebus hæreditariis debet ſalvam habere. *l.* 6. C. *h. t.* qui tamen præter hanc quartam nequit inſuper deducere legitimam; utpote quæ etiam in Trebellianicam imputatur; ſicut *dodrantem* [jure novo quicquid habet ſupra legitimam auctam, trientem nempe vel ſemiſſem] teneatur reddere; *d. l.* 6. *C. h. t.* Obſt. Falcidia ſimul & Trebellianica deduci poteſt. *l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* Reſp. id quidem ita eſt; ſed tamen ſi aſſem conſideremus, ex utraque deductione non niſi una quarta penes hæredem manet. Obſt. *l.* 67. *ad l. Falcid.* Reſp. ibi una tantùm fit deductio; legata enim inutilia non deducit, ſed ipſo jure retinet vitio legatarii incapacis. (LI, LII.)

14. Ceſſat quandoque Trebellianicæ detractio puta, ſi teſtator eam expreſsè prohibuerit; quo caſu ſi inſtitutus adire noſit, ipſe fideicommiſſarius jure novo adibit. *nov.* 1. *c.* 2. *in fin.* ſi piæ cauſæ fideicommiſſum relictum ſit. *arg. nov.* 131. *c.* 12. ſi fideicommiſſarius iterùm alteri reſtituere rogatus ſit. *l.* 47. §. 1. *ff. ad leg. Falcid.* ſi fiduciarius coactus adiverit, qui poſtmodum pœnitendo nequit ſibi quartam ſervare. *l.* 4. *l.* 14. §. 4. *ff. h. t.* Non tamen, ſi inventarium facere neglexerit, cum id nec leges nec ratio dictet. [LVII, LVIII, LIV.]

15. Contra, quandoque fiduciarius ſolam tenetur quartam reſtituere, *ſi rogetur reddere, quod poſt ſuam mortem ſupererit*; ſic ut & pro ſolâ quartâ teneatur cavere. *nov.* 108. ſi tamen

 plus

plus tempore mortis ſuperſit, id ipſum quoque reſtituendum eſt, ſive ipſa pecunia aut corpora hæreditaria ſuperſint, ſive ex nummis res aliæ comparatæ ſint; aut iis ſuos creditores fiduciarius dimiſerit. *l.* 70. *§. ult. l.* 71. 72. *ff. de legat.* 2. [LIV. LV.]

16. Effectus reſtitutionis eſt, quòd onera hæreditaria pro ratâ ad fideicommiſſarium tranſeant, pro ratâ penus fiduciarium remaneant, ſive de ære alieno ſive de legatis præſtandis quæſtio ſit. *l.* 2. *C. h. t.* Obſt. *l.* 1. *§. ult. ff. h. t.* Reſp. ibi fiduciarius non ſolvit legata, quia deductâ vel præceptâ certâ quantitate centum aureorum rogatus erat reſtituere; quales non ferunt reſpectu rerum præcipiendarum onera hæreditatis. *§.* 9. *Inſt. h. t.* (LX. LXI)

17. Quòd ſi bona ulteriori reſtitutioni ſint obnoxia, alienari nequeunt, niſi ad ſolvendum æs alienum teſtatoris, vel conſtituendam liberis ejus congruam dotem. *l.* 114. *§.* 14. *ff. de legat.* 1. *nov.* 39. *c.* 1. *auth. res quæ C. commun. de legat.* & ſi ſub conditione fideicommiſſum ſit relictum, eâ pendente facta ſupra quadrantem alienatio irrita ſit, ubi conditio extiterit, & res à poſſeſſore vindicari poſſunt. *l. ult. §.* 3. *C. commun. de legat.* excepto caſu ſingulari in *l. ult. ff. §. ult. legat.* 1. (LXII, LXIII, LIV. & ſeqq.)

18. *Mortuus.* Filius naturalis non facit deficere conditionem *ſi ſine liberis* fideicommiſſo appoſitam. Filius autem fideicommiſſo gravatus hodie deducit Legitimam & Trebellianicam, adeòque dimidiam partem totius hæreditatis ſibi ab inteſtato debitæ.

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 49. *ad ſenatuſc. Trebellian.*

TIT. II.

Quando dies Legatorum vel Fideicommiſſorum cedat.

1. Dies *cedere* dicitur, cùm quid incipit deberi; *venire* verò, cum quid incipit peti poſſe. *l.* 213. *ff. de verb. ſignif.*

2. In puris autem legatis dies cedit ſtatim à morte teſtatoris, etiam ante aditam hæreditatem, ſic ut legatarius teſtatori ſuperſtes legatum ad hæredem ſuum tranſmittat. *l.* 5. *§.* 1. *ff. h. t.* niſi tale quid legatum ſit, quod legatarii morte perit; hujus enim legati dies demum ab aditâ cedit hæreditate; qualis

lis eſt libertas & ſervitutes perſonales. *l. un.* §. 6. *C. de caduc. tollend. l. 2. ff. h. t. tit. ff. quand. dies uſusfr. leg. cedat.* (I.)

3. Si ex die certo legatum relictum ſit, dies etiam ſtatim à morte teſtatoris cedit, venit, cùm dies exſtiterit, modò adita ſit hæreditas; at ſi ex incerto die, dies demum cedit die exiſtente. *l. 21. ff. h. t.* niſi dies incertus ſolutionis morandæ gratiâ tantùm adjectus ſit, quo caſu ſtatim cedit legati dies, ut legatario ante diem moriente legati ſpes ad hæredes tranſeat. *l. 26. §. 1. ff. h. t. l. 5. C. h. t.* Et ſi teſtator voluerit præſtari legatum, *cùm legatarius erit annorum quatuordecim*, aut *viginti quinque*, legatum anno demum impleto, non cœpto, peti poteſt. *l. 5 C. h. t. l. 49. ff. de legat. 1. l. 48. ff. de condit. & demonſtrat.* excepto caſu *l. 74. §. 1. ff. ad Senatuſc. Trebell.* propter paupertatem & verba teſtamenti, ut textus habet. (II.)

4. In conditionalibus legatis dies non niſi exiſtente conditione cedit, ſic ut, medio tempore moriente legatario, legatum ad hæredes ejus non tranſmittatur, niſi conditio habeatur pro non adjectâ. *l. 5. §. 2. 3. 4. l. 22. §. 1. ff. h. t.* vel eadem ſit conditio, ex quâ etiam hæres ſcriptus eſt. *l. 21. §. 1. ff. h. t.* vel principi quid ſub conditione relictum ſit. *l. 56. ff. de legat. 2.* vel conditio non ex teſtamento veniat, ſed ex ipſâ rei naturâ inſit, dum fortè fructus naſcituri legantur, *l. 99. ff. de condit. & demonſtr.* (III, IV, V.)

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 53. quando dies legat. vel fideic. cedit.*

TIT. III.

Ut Legatorum vel Fideicommiſſorum ſervandorum causâ caveatur.

1. Licèt in diem vel ſub conditione legata ſtatim peti nequeant, tamen, ne medio tempore pereant inopiâ vel dolo hæredis, cautio datis fidejuſſoribus per hæredem præſtanda eſt iis, quibus legatum ſuo tempore ſolvendum eſt; ut, quibus diebus teſtator dari fierive voluit, detur vel fiat, & dolum abfuturum *l. 1. ff. h. t.* Quòd ſi legatum quidem purè relictum ſit, ſed ejus præſtatio quandam moram habeat, etiam tunc cavendum erit. *l. 15. ff. h. t.* veluti ſi duo Titii de legato contendant, dum quiſque ſibi legatum eſſe aſſerit; pendente enim hâc lite, utrique per hæredem præſtanda eſt cautio. *l. 16. ff. h. t.* (I, II.)

2. Præ-

2. Præſtanda autem hæc cautio ante litem conteſtatam. *l.* 1. § 9. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Reſp ſi provocatum ſit, cautio poteſt exigi, ſed ante litem in appellatione conteſtatam, eo modo, quo & in primâ inſtantiâ; nec videtur poſt ſententiam petita, cùm omnis ejus vis per appellationem ſuſpenſa ſit. (111.)

3. Effectus cautionis præſtitæ eſt, quòd & hæres & fidejuſſor ejus conveniri poſſit, ſi ſuo tempore legata non fuerint ſoluta: niſi medio tempore hæres ab hoſtibus captus ſit; durante enim captivitate hæredis, ne fidejuſſor quidem tenetur: cùm hæres nec ante captivitatem verè debuerit, pendente adhuc obligationis die; nec dum captus eſt, quia ſervus. *l.* 5. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 10. *ff. h. t.* Reſp. hæreditas perſonæ vicem ſuſtinens obligata erat [IV, V]

4. Non tamen ſatiſdat fiſcus aut reſpublica. *l.* 1. §. 18. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* nec hæres, qui paratus eſt in continenti probare, nihil deberi. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* nec pater ſuo filiofamilias. *l.* 7. *ff. h. t.* nec denique, ſi teſtator cautionem exigi vetuerit, quo caſu etiam præſtita condici poteſt. *l.* 1. *ff. ut in poſſeſſ. legat.* [VI.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 54.

TIT. IV.

Ut in poſſeſſione Legatorum vel Fideicommiſſorum ſervandorum causâ eſſe liceat.

1. SI cautio per hæredem non præſtetur, nec per legatarium ſteterit quo minus caveatur, prætor eum, cui cavendum eſt, mittit in poſſeſſionem omnium rerum hæreditariarum *l.* 1. §. 1. *l.* 13. *ff. h. t.* nec id jure novo correctum per *nov.* 53. *c.* 4. verba enim *mittitur in poſſeſſionem ſecundum menſuram declarati debiti*, denotant, legatarium mitti pro conſequenda menſura declarati debiti; hic finis eſt miſſionis. In bona hæredis miſſio non fit, niſi is per ſex menſes in morâ ſit, quo minus ſatisfaciat aut ſatiſdet. *l.* 6. C. *h. t.* (1.)

2. Hâc autem miſſione dominium non conſequitur legatarius, nec poteſt hæredem expellere, ſed cum eo moratur. *l.* 5. *pr.* & §. 22. *ff. h. t.* & pignoris prætorii jus habet, ſic ut hæres non poſſit res poſſeſſas in legatarii præjudicium alienare ſine onere. *l.* 3. *l.* 5. C. *h. t.* Si plures ſint legatarii, miſſus pro ſe non pro aliis poſſi-

poſſidet, ſed poſtea miſſi idem jus habent, ac is qui primò miſſus eſt. *l.* 3. §. 2. 3. *ff. h. t.* [II, III.]

* Adde *ex Cod. lib.* 6. *tit.* 54. *ut in poſſeſſ. leg. vel fideicommiſſ. &c.*

LIBER XXXVII.

TIT. I.

De bonorum poſſeſſionibus.

1. BOnorum poſſeſſio eſt jus perſequendi vel retinendi patrimonii ſive rei, quæ cujuſque, cùm moreretur, fuit *l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* & non corporis, ſed magis juris eſt, ſic ut poſſeſſor effectu hæres ſit prætorius. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Poſſeſſio hæc vel edictalis eſt, quæ de plano ſine cauſæ cognitione ex ipſo edicto conceditur; vel decretalis, quæ prævià accuratiore cauſæ cognitione datur, veluti, ex Carboniano edicto; ut tamen hæc ſimul edictalis ſit. Illa repudiari poteſt, hæc non item, ex ratione. *l.* 1. § 7. *ff. de ſucceſſ. edict.* Eſt & alia poſſeſſio ordinaria, quæ ex edicto prætoris; alia extraordinaria, quæ ex legibus ſenatuſve conſultis defertur. [III.]

3. Petunt & agnoſcunt bonorum poſſeſſionem qui capaces ſunt. *l.* 12. § 1. *ff. h. t.* ſimpliciter ſine forma judicii aut ſolennitate apud quemcunque judicem. *l. ult. C. qui admitt. ad bon. poſſeſſ.* non modò pro ſe ſed & pro alio, veluti actores municipiorum, & procuratores. *l.* 3. §. 4. 7. *l.* 8. *ff. h. t.* tutores pro pupillis; licèt pro pupillis repudiare nequeant, ſed potius pupilli authore tutore repudient. *l.* 1. §. 2. *ff. de ſucceſſ. edict. l.* 8. *ff. h. t.* [IV.]

4. Petenda autem poſſeſſio à parentibus & liberis intra annum, à cæteris intra dies centum utiles à tempore ſcientiæ. *l.* 1. §. 12. 13. *ff. de ſucceſſ. edict.* & ſi filio infanti delata ſit poſſeſſio, ſcientia patris filio non nocet. *l.* 3. *ff. quis ordo in bon. poſſeſſ. l* 1. *ff. de bon. poſſeſſ furioſ.* ipſi tamen patri nocet, quo ſenſu intelligenda verba, *dies cedere quibus pater ſcit.* in *l.* 7. §. *ult. ff. h. t.* [V.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 9. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. poſſ. & intra quod tempus.*

TIT.

T I T. II.

Si Tabulæ Teſtamenti extabunt.

1. Non poteſt peti bonorum poſſeſſio ex teſtamento, niſi tabulæ mortis tempore extiterint & legi potuerint; licèt poſtea eas periiſſe non noceat. *l. un. ff. h. t.*

T I T. III.

De bonorum poſſeſſione furioſo, infanti, muto, ſurdo, cæco, competente.

1. Si furioſo, infanti, muto, ſurdo, & ſimilibus competat bonorum poſſeſſio, tempus utile non currit ipſis ignorantibus, licèt curatores & tutores ſciant. *l. 1. ff. h. t.* Obſt. *l. 7. §. ult. ff. de bonor. poſſeſſ.* Reſp. dies, ſciente tutore, ita cedunt, ut tutor ipſe lapſo tempore nequeat pro pupillo petere poſſeſſionem, & actione tutelæ ad id quod intereſt conveniri poſſit; ſed ideo non impeditur pupillus, ubi & ipſe major factus fuerit, bonorum poſſeſſionem petere intra tempora legitima, ex quo reſciverit eam ſibi delatam eſſe. Ne tamen, tutore vel curatore petere negligente, bona pereant, proximioribus interim poſſeſſio adjudicatur. *l. 1. ff. h. t.*

T I T. IV.

De bonorum poſſeſſione contra Tabulas.

1. Bonorum poſſeſſio vel ex teſtamento eſt, vel ab inteſtato: ex teſtamento rurſus vel contra vel ſecundum tabulas. Contra tabulas poſſeſſio locum habet in teſtamento patris, quo filius emancipatus eſt præteritus, vel ita exhæredatus, ut pro præteritione habeatur exhæredatio. *l. 18. ff. h. t.* uti &, ſi ſuus ſit præteritus; hactenus enim prætor ex ſuo edicto ſuſtinet teſtamentum, in quo ſuus præteritus eſt. §. 12. *Inſt. de ſucceſſ. ab inteſt.* [1.]

2. Non tamen huic poſſeſſioni locus eſt, ſi filius exhæredatus ſit. *l. 8. ff. h. t.* at tamen dari poſſit poſſeſſio litis ordinandæ gratiâ, quæ nec ſecundùm nec contra tabulas eſt, *l. 6. §. ult. ff. de*

ff. de inoff. teſt. Multòque minus ei locus erit, ſi filius inſtitutus ſit; niſi alius ſit præteritus, cujus occaſione & inſtituto hæc poſſeſſio competeret, licèt præteritus eam repudiet. *l.* 3. §. 11. *l.* 10. §. 1. *& ult. ff. h. t.* (II, III.)

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 12. *de bon. poſſ. contra tab. quam prætor liberis pollicetur tit,* 13. *de bon. poſſ. contra tab. liberti &c.*

TIT. V.

De Legatis præſtandis, contra Tabulas bonorum poſſeſſione petitâ.

1. PEtitâ bonorum poſſeſſione contra tabulas licèt legata corruant, quibuſdam tamen perſonis præſtanda ſunt, pura liberis, parentibus primi vel ulterioris gradûs, uxori, nurui dotis nomine. *l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* Et hæc ſolus præſtat emancipatus, non ſuus, licèt ſuus & emancipatus ſimul eodem teſtamento ſint præteriti, & hanc bonorum poſſeſſionem petierint. *l.* 15. 17. *ff. h. t.* adde *l.* 14. *l. pen. l. ult. ff. de bon. poſſ. contra tab.*

TIT. VI.

De Collationibus.

1. COllatio, quæ frequentem in ſucceſſionibus jure etiam novo uſum invenit, eſt, quâ rem ab aſcendentibus aut eorum occaſione, ipſis adhuc vivis quæſitam, liberi ipſis ſuccedentes in commune conferunt, ut dividantur [I.]

2. Et olim quidem ſoli emancipati, ſi ab inteſtato vel per bonorum poſſeſſionem contra tabulas ſuccederent, conferebant ſuis; non item ſui emancipatis. *l.* 1. §. 5. *l.* 2. §. 5. *ff. h. t.* at jure novo & ſui & emancipati conferunt, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato patri aut matri aliiſque aſcendentibus ſuccedant. *l.* 17. 19. 23. *& auth. ex teſtam. C. h. t.* Extranei verò hæredes, ut & collaterales, cum de collateralium [non aſcendentium] ſucceſſione quæſtio eſt, ad collationem non tenentur. *l. ult. C. commun. utr. judic.* (I, II, III, IV, V, VI.)

3. Fit autem collatio tempore diviſionis, quod tamen retrotrahitur ad tempus mortis teſtatoris. *l.* 6. *l.* 20. *C. h. t.* idque vel re ipsâ inferendo rem, uti eſt, etiam deterioratam, niſi

niſi culpâ aut dolo conferentis deterior ſit reddita. *l. 1. §.* 23. *l. 1. §* 2. *ff. h. t.* vel tantò minus ex rebus cæteris capiendo; vel, ſi tempore diviſionis incertum quid, quale, quantum conferendum ſit propter incertum acquiſitionis eventum, præſtando cautionem fidejuſſoriam aut pignoratitiam de reſtituendo pro rata eo, quod perventurum eſt. *l. 1. §. 9. 10. 11. 12. ff. h. t.* Quòd ſi quis ex hæredibus collationem facere detrectet, ei hæreditariæ denegantur actiones donec conferre paratus fuerit. *l* 1. *§.* 13. *ff. h. t. l.* 14. C. *h. t.* [ix, x.]

4. Cæterum conferenda ſunt omnia profectitia, id eſt, quæ à defuncto ad ſuos aut emancipatos pervenerunt, ipſo adhuc vivente; non ea, quæ demum quæſita poſt mortem ejus, de cujus ſucceſſione agitur, niſi fingantur retro quæſita. *l.* 1. *§.* 22. *l.* 2. *§.* 1. *ff. h. t.* nec peculium adventitium, multòque minus caſtrenſe vel quaſi. *l. ult. C. h. t.* nec donatio ſimplex facta liberis à parentibus, niſi duobus in caſibus, expreſſis in *l. pen. §. 1. C. h. t.* Obſt. *l.* 13. C. *h. t.* Reſp. illa non de ſimplici donatione, ſed dote, intelligenda eſt, cùm agat de re filiæ quæſitâ vivo patre; ſimplex autem donatio morte demum patris firma fit. *l.* 25. C. *de donat. inter vir & uxor.* Obſt. *l.* 17. *in fin. C. h. t.* Reſp. eſt ibi donatio ob cauſam, ut filius emancipatus ex rebus tempore emancipationis datis ſeſe exhibeat. Obſt. conferenda, quæ in legitimam imputantur. *l. pen. pr. C. h. t.* inter quæ etiam numerantur, quæ ſimpliciter donata ſunt. *§. ult Inſt. de inoff. teſt.* Reſp. regula in *d. l. pen.* propoſita ſuas patitur exceptiones, inter quas & hæc eſt. (xi, xii, xiii.)

5. Sumtus in ſtudia, dignitatem, peregrinationem filiorum quod attinet, illi non conferendi. *l.* 1. *§* 16. *ff. h. t. l.* 50. *ff. famil. erſciſcund.* niſi ſit dignitas, quæ vendi poteſt, veluti militia. *l. pen. C. h. t.* [licèt enim ipſa militia perſonæ cohæreat. *l.* 3. *§.* 7. *ff. de minorib.* æſtimationem tamen ejus, quanti tempore mortis vendi poteſt, conferri leges jubent. *d. l. pen.*] vel niſi pater ſumptus hoſce fecerit animo repetendi vel imputandi: qualis animus præſumitur, ſi liberi bona habuerint adventitia: de his enim pater magis quàm de ſuis creditur ſumptus liberis ſuppeditaſſe. *arg. l. ult. ff. de petit. hæred. l.* 5. *§.* 7. *ff. de agnoſc. & alend. liber.* licèt in dote datâ pater magis de ſuis quàm filiæ bonis præſumatur in dubio eam conſtituiſſe, eò quòd ad dotem dandam pater jure tenetur & cogi poteſt, non ita ad cæteros ſumptus. *l. ult. in fin. C. de dotis promiſſ.* (xiv, xv, xx, xxi, xxii, xxiii, xxxiv)

6. Ceſſat tamen generaliter collationis neceſſitas, ſi teſtator

eam

eam prohibuerit, *auth. ex teſtamento C. h. t.* vel ſi is, qui conferre deberet, abſtineat ab hæreditate; modò ea quæ conferenda eſſent, nunc retenta non conſtituant inofficioſam liberalitatem in præjudicium legitimæ reliquorum deſcendentium. *l. ult. ff. de dotis collat.* [XXV, XXVI, XXVII, XXVIII.]

7. *Moribus.* Licèt nullæ hodie obtineant bonorum poſſeſſiones, omneſque ad hæreditatem venientes ſimpliciter *hæredes* appellentur; collatio tamen omnino viget, ſic ut pleraque, quæ de jure Romano conferenda ſunt, etiam nunc in collationem veniant; illa quoque, quæ liberis donata ſunt à parentibus ad inſtruendam officinam aut mercaturam exercendam, aut alias ſimiles cauſas.

* Adde *ex Cod. l. 6. tit. 20. de collationibus.*

Tit. VII.

De Dotis Collatione.

1. INter res conferendas etiam numeranda dos & propter nuptias donatio, olim quidem etiam adventitia *l. 1. §. 7. ff. h. t.* at jure novo ſola profectitia, id eſt, ab eo profecta, de cujus hæreditate agitur. *arg. l. ult. C. de collation.* Ut tamen illud tantùm conferendum ſit, quod ex dote recuperari poteſt; ſic ut mulier, quæ dotem accepit, liberari poſſit inanes conferendo actiones, ſi ob mariti inopiam dotem recuperare nequeat: modò mulieri imputari nequeat, quòd à marito ad inopiam vergente dos non maturius repetita fuerit; veluti, ſi mulier minorennis fuerit, licèt ſui juris; vel ſi cum majorennis eſſet, in patris poteſtate fuerit conſtituta, eumque, ut ageret, & dotem repeteret ob mariti inopiam, monere non deſtiterit, nec tamen pater repetierit. *nov. 97. c. ult.*

2. *Moribus.* Dotem profectitiam non tantùm cohæredibus ſuis filia conferre tenetur, ſed & patris aut matris defunctæ conjugi ſuperſtiti, caſu quo viguit ſtatutaria bonorum inter conjuges communio, & licèt filia ad collationem dotis obligata eam inopiâ vel culpâ mariti recuperare nequeat, non tamen ideo à collatione liberatur.

TIT

Tit. VIII.

De conjungendis cum emancipato liberis ejus.

1. JUre civili filius emancipatus à nepotibus ex ſe genitis, & in avi poteſtate retentis, excludebatur quantum ad ſucceſſionem in bona avi. Sed prætor filium ſimul cum nepotibus ad ſucceſſionem vocavit, ita ut pars dimidia filio emancipato, pars altera nepotibus ex ipſo natis, quotquot fuerint, cedat, ſive omnes nepotes ſuccedant, ſive quidam ex his abſtineant. *l. 1. pr. &* §. 12. *ff. h. t.* collatis tamen priùs per filium intermedium emancipatum iis, quæ vulgò conferenda. *d. l.* 1. §. 14. *ff. h. t.*

Tit. IX.

De Ventre in poſſeſſionem mittendo.

1. SI poſthumus ſuus ſit præteritus, teſtamentum ſubſiſtit, donec agnatione rumpatur, interim tamen mulier prægnans ventris nomine in poſſeſſionem bonorum mariti defuncti mittitur, quaſi contra tabulas, ut interim alatur: ſecus, ſi poſthumus exhæredatus fuerit. *l. 1. pr.* §. 2. 3. *ff. h. t.* Si mulier vel prægnans ex marito defuncto vel uxor eſſe negetur, causâ cognitâ fit miſſio, quo caſu poſſeſſio decretalis fit. *l.* 1. §. 12. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* (1.)

2. Durante autem hâc miſſione curator ventri datur; datur & bonis; plerumque unus ex illis, qui poſthumo tutores dati ſunt. *l.* 1. §. 17. 23. *ff. h. t.* Quòd ſi non proximus ſit poſthumus, denegatur poſſeſſio, & expectatur pubertatis tempus. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* [11]

Tit. X.

De Carboniano Edicto.

1. CArboniano edicto, ſic appellato à Carbone prætore, bonorum poſſeſſio decretalis datur impuberibus, non puberibus. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* quibus controverſia ſtatûs movetur,

tur, an liberi ſint, delatâ in tempus pubertatis ſtatûs controverſiâ. *l. 1. 2. C. h. t. l.* 1. *pr. ff. h. t.* ſic ut interim impubes tanquam hæres conſideretur & alatur. *l.* 5. §. 2. 3. *ff. h. t.* modò impuberis nomine caveatur. *l.* 1. *C. h. t.* alioquin is, qui controverſiam movet, ſimul in poſſeſſionem mittitur, &, ſi caveat, ſolus adminiſtrat. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* neutro verò ſatiſdante, curator bonis datur. (I. IV.)

2. Non aliter tamen in tempus pubertatis defertur mora pupillo ſtatûs controverſia, quàm ſi id pupillo expediat. *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Uti nec differtur, ſed potius ipſa denegatur poſſeſſio, ſi appareat, poſſeſſionem peti per calumniam; quod & tunc fieri creditur, cum contra matrem impuberis judicatum fuerit, eam uxorem non fuiſſe. *l* 1. §. *ult. ff. h. t.* non enim in tempus pubertatis differtur mora matri controverſia. *d. l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Obſt. *l.* 1. *C. h. t. l.* 8. *ff. de ventre in poſſ. mitt* Reſp. in *d. l.* 1. controverſia matri ſimul & filio facta erat; & in *d. l.* 8. non differtur quæſtio in tempus pubertatis, ſed partûs editi. Quamvis de cætero victoria vel condemnatio matris revera non proſit vel noceat pupillo, quo minus is pubes factus controverſiam adhuc vel moveat vel patiatur. *l.* 3. §. 6. *ff. h. t.* (II.)

3. Poteſt autem peti hæc poſſeſſio ex Carboniano edicto, non modò contra, ſed & ſecundùm tabulas, & ab inteſtato. *l.* 3. §. 2. *l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* [III.]

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 17. *de Carboniano edicto.*

TIT. XI.

De bonorum poſſeſſione ſecundùm Tabulas.

1. SI nullus contra tabulas bonorum poſſeſſionem petat, ſecundùm tabulas ea peti poteſt. *l.* 2. *pr. ff. h. t.* per eos, qui inſtituti ſunt aut ſubſtituti teſtamento ſcripto. *l.* 1. §. 2. 3. 4. *ff. h. t.* imò & nuncupativo. *l.* 8. *in fin. ff. h. t.* modò præter ſua inveniat ſolennia, licèt alia deſint. *l.* 12. *ff. de injuſt. rupt. irrit. teſt.* modò etiam mortis tempore tabulæ exſtiterint ac ſint noviſſimæ. *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. ff. h. t.* Si duabus tabulis ſimul ſignatis diverſi hæredes ſcripti ſint, omnes poſſeſſionem obtinebunt. *l.* 1. §. 6. *ff. h. t.* exempla hujus poſſeſſionis occurrunt in *l.* 12. 17. *ff. de injuſt. rupt. irrit. l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* §. 6. *Inſt. quib. mod. teſt. infirmant.* Licèt quandoque generaliter ad om-

nes hæredes hæc poſſeſſio extendatur. Vide *l. 6. ff. h. t.* §. 3. *Inſt. de bon. or. poſſeſſ.*

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 11. de bon. poſſ. ſec. tab.*

Tit. XII.

Si quis à Parente manumiſſus ſit.

1. SI pater ſponte & gratis filium contractâ fiduciâ emancipaverit, & ab eo ſit in teſtamento præteritus, habet bonorum poſſeſſionem contra tabulas, uſque ad legitimam; niſi turpis perſona ſit inſtituta, quo caſu totam conſequeretur hæreditatem. *l. 3. ff. h. t.* Habet & querelam inofficioſi cum hâc poſſeſſione concurrentem. *l. 1. §. ult. ff. h. t.*

2. Denegatur tamen patri hæc poſſeſſio, ſi invitus vel acceptâ ante vel poſt emancipationem ob id pecuniâ, filium de poteſtate demiſerit. *l. 1. §. 3. l. ult. ff. h. t.* vel ſi filius cœperit militare. *l. 1. §. 4. ff. h. t.*

Tit. XIII.

De bonorum poſſeſſione ex Teſtamento Militis.

1. EX teſtamentis militum, ut & eorum, qui in hoſtico mortui, ſi jure militari teſtati ſint, remigum etiam militibus aſſimilatorum datur bonorum poſſeſſio ſecundùm tabulas, licèt prætor ibi ſua non inveniat ſolennia. *l. un. ff. h. t.* non contra tabulas, quia ea exhæredatis non datur, quales tamen ſunt, qui à milite ſunt ſilentio præteriti; quippe quorum præteritio tacitam includit exhæredationem. §. 6. *Inſt. de exhær. liber.*

Tit. XIV.

De Jure Patronatûs.

1 JUs patronatûs eſt, quod quis ex manumiſſione ſervi in perſonam & bona manumiſſi conſequitur. Cujus varii effectus ſunt, puta, quod libertus patrono obſequia & operas debeat, & patronus liberto ſuccedat multis caſibus, de quibus

bus *tit. ſeqq.* Inſuper quod patronus libertum poſſit ob ingratitudinem in ſervitutem revocare. *l. 5. ff. h. t.* niſi malit, ut aliter coërceatur. *l. 7. §. 1. ff. h. t.* (1. 11.)

2. Amittitur jus patronatûs remiſſione patroni, vel ſi is liberto egeno alimenta denegaverit *l. 5. in fin. ff. h. t.* fortè &, ſi libertum jurejurando adegerit, *ne uxorem ducat*, aut libertam, *ne nubat. l. 6. pr. & §. ult. ff. h. t.* ubi pro *permittitur*, legendum *permittit*. [111]

* Adde *ex Cod. lib. 6. tit. 4. de bon. libertor. & jure patronatûs.*

Tit. XV.

De obſequiis Parentibus & Patrono præſtandis.

1. Liberis & libertis ſanctam ſemper & honeſtam oportet eſſe parentis patronique perſonam. *l. 9. ff. h. t.* honorem proinde ipſis debent & reverentiam ac obſequia: unde nec ſine veniâ eos in jus vocare, nec actione famosâ convenire liberi libertique poſſunt, licèt per procuratorem ſe defenderent; nec denique condemnatos excutere ultra quàm facere poſſunt. *l. 2. l. 5. §. ult. l. 6. 7. pr. & § 1 ff. h. t.* ſed potius egenos tenentur alere, ut dictum *tit. de agnoſ. & alend. liber.*

LIBER XXXVIII.

Tit. I.

De Operis Libertorum.

1. Operæ libertorum ſunt diurnum officium. *l. 1. ff. h. t.* & vel officiales ſunt, quæ in officio conſiſtunt, veluti, comitando, ſalutando, aſſurgendo, &c. vel artificiales, quæ in artificio, fortè pictorio, fabrili, &c. conſiſtunt. Et officiales quidem debentur, licèt non ſint promiſſæ; adeòque præſtitæ condici nequeunt ut indebitæ. *l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb.* nec ad hæredes extraneos tranſeunt, & ſoli patrono debentur. *l. 6. l. 9. ff. h. t.* Artificiales verò

non

non debentur, niſi promiſſæ; alioquin præſtitæ condici poſſunt: *l.* 26. §. 12. & promiſſæ ad hæredes tranſeunt, *l.* 6. *l. ult. ff. h. t.* ac jubente patrono etiam extraneis præſtandæ. *l.* 9. *ff. h. t.* idque ſumptibus patroni, ſi aliàs ſe exhibere nequeat libertus ex quæſtu ſuo; alioquin ſumptibus ipſius liberti. Vide *l.* 18. 19. 33. *ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. lib.* 6. *tit.* 3. *de operis libertorum.*

Tit. II.

De bonis Libertorum.

1. PAtroni ex jure patronatûs ſuccedunt in bona libertorum, aliter tamen jure veteri ex lege 12. *tab. ex* edictis prætorum & ex lege Papiâ, vide *pr. & §§. ſeqq. Inſt. de ſucceſſ. libert.* aliter jure novo Juſtiniani, quo, ſi libertus centenario minor ſit, patronus teſtamento quidem liberti excluditur; ſed, eo inteſtato moriente, ſuccedit, ſi libertus liberos non habeat. Sin centenario major ſit, ſcriptis teſtamento hæredibus patronus avocat tertiam hæreditatis partem; ab inteſtato verò in ſolidum ſuccedit, ſi nulli extent defuncti liberti liberi. §. *ult. Inſt. de ſucceſſ. libert.* niſi patronus majorennis libertum capitis accuſaverit, aut in ſervitutem voluerit revocare. *l.* 14 *ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 4. *de bonis libert. tit.* 13. *de bonor. poſſ. contra tab. liberti.*

Tit. III.

De Liberis univerſitatum.

1. QUod juris eſt libertis privatorum, id in univerſitatis libertis quoque obtinet, *l. un. ff. h. t. arg. l.* 16. *de verb. ſignif.*

Tit. IV.

De aſſignandis Libertis.

1. JUs patronatûs ad hæredes liberos patroni tranſit æqualiter. Poteſt tamen pater uni ex liberis in poteſtate retentis aſſignare libertum teſtamento vel codicillis, *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.*

cui

cui tunc ſoli jus patronatûs competit, reſpectu operarum & ſucceſſionis: nam reverentia reliquis etiam liberis adhuc eſt debita. Emancipato autem filio non rectè libertus aſſignatur. §. 2. *Inſt. h. t.* niſi *ſuo* ſimul & *emancipato* pater aſſignet. *l. 9. ff. h. t.*

TIT. V.

Si quid in fraudem Patroni factum ſit.

1. SI quid in fraudem patroni libertus alienaverit, ne portionem legitimam patronus habeat, revocantur alienata actione perſonali Favianâ, ſi teſtatus ſit libertus; Calviſianâ, ſi inteſtatus. *l. 1. § 26. ff. h. t.* Quæ tamen actiones non habent locum in non acquiſitis. *l. 1. §. 6. ff. h. t.* nec in alienatis inter vivos, niſi dolus liberti adſit. Planè ſi ultimâ voluntate ſit facta alienatio, revocationi locus eſt, licèt nec dantis nec accipientis dolus concurrat. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 5. ſi in fraud. patron. à libertis alienatio facta ſit.*

TIT. VI.

Si Tabulæ Teſtamenti nullæ extabunt unde liberi.

1. DEficiente bonorum poſſeſſione ex teſtamento, locum habet ea quæ eſt ab inteſtato; quæ quadruplex eſt, puta, unde liberi, unde legitimi, unde cognati, unde vir & uxor: quibus ex jure veteri aliæ quatuor accedebant, ſed jure medio ſublatæ, puta, unde decem perſonæ, tanquam ex familiâ, unde patroni, & unde cognati ex tanei manumiſſoris. Vide §. 3. 4. *Inſt. de bonor. poſſeſſion.*

2. Bonorum poſſeſſio *unde liberi*, eſt, quâ prætor vocat liberos emancipatos, & eos qui ex his nati ſunt jure repræſentationis, ad patris, non matris ſucceſſionem. *arg. l. 1. §. 1. ff. h. t.* Sed hæc poſſeſſio poſtea utilitatis causâ etiam ad ſuos & adoptivos fuit translata. *l. 1. §. 6. ff. h. t. pr. Inſt. de bonor. poſſeſſ.*

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 14. unde liberi.*

Tit. VII.
Unde Legitimi.

1. BOnorum poſſeſſio *unde legitim.* eſt, quam prætor dat iis, qui & jure civili ex legibus ſenatûſve conſultis hæredes erant; fratribus nempe cæteriſque agnatis ſecundùm gradûs prærogativam, quæ non tempore mortis ſed petitæ poſſeſſionis ſpectatur. *l.* 1. *l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* ſic ut hæc poſſeſſio non ex neceſſitate introducta ſit; ſed potius à prætore propoſita, ne interrumperet ſeriem ſucceſſionis, quam ſuo edicto obſervaverat *in pr. Inſt. de bon. poſſeſſ. arg. l.* 1. §. 1. *ff. ſi tab. teſt. nulla extab.*

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 15. *unde legitimi.*

Tit. VIII.
Unde Cognati.

1. BOnorum poſſeſſio *unde cognati*, eſt, quæ datur cognatis per fœmininum ſexum conjunctis, vel, cum per maſculos juncti eſſent, emancipatis; uſque ad ſeptimum gradum. §. 1. 2. 3. *ult. Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

* Adde *ex Cod. lib.* 6. *tit.* 15. *unde legitimi & unde cognati.*

Tit. IX.
De ſucceſſorio Edicto.

1. OLim proximiore non volente vel impedito petere bonorum poſſeſſionem intra tempora præfinita, hæreditas caduca fiſco cedebat, nec aliis gradu aut ordine ſequentibus competebat; ſed poſtea ſucceſſio graduum & ordinum admiſſa fuit: ſic ut, legitimo proximiore repudiante, remotior admittatur; &, omnibus legitimis non petentibus cognati veniant. *l.* 1. *paſſim. ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 6. *tit.* 16. *de ſucceſſ. edicto.*

TIT.

Tit. X.
De Gradibus & Affinibus.

1. Cognationis gradus tantùm ſunt, non item affinitatis. *l. 4. §. 4. ff. h. t.* niſi impropriè, quo modo accipienda. *l. ult. pr. ff. h. t.* Computantur autem gradus in linea, deſcendente, aſcendente, & collaterali ex numero perſonarum hâc unicâ ſervatâ regulâ; (*quot ſunt perſonæ demp à ſtipite, vel quot ſunt generationes*) *tot ſunt gradus.* Cæterùm cognatorum affiniumque nomina peti poſſunt ex *l. 10. §. 10. & ſeqq. ff. h. t.*

Tit. XI.
Unde Vir & Uxor.

1. Deficientibus cognatis, prætor conjugem ſuperſtitem ad conjugis defuncti bona admittebat per bonorum poſſeſſionem *unde vir & uxor,* cui tamen tum demum locus eſt, cum verum intercesſerit matrimonium, & morte, non divortio, fuerit diſſolutum. *l. un. ff. h. t.* niſi fortè pars innocens poſt divortium adhuc videatur admittenda, ne aliàs pœna ſit, ubi nullum delictum eſt.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 18. unde vir & uxor.*

Tit. XII.
De Veteranorum & Militum ſucceſſione.

1. Si miles ex delicto militari, non communi, damnatus ſit, nec teſtamentum fecerit, bona ejus caſtrenſia legitimis hæredibus uſque ad quintum gradum cedunt; idque ex privilegio, cum alias deberent fiſco cedere. In bonis aliis extra caſtrenſia id locum non habet; quippe quæ ad fiſcum devolvuntur. *l. 1. 2. ff. h. t.* Obſt. legio antecedit fiſcum. *l. 2. C. de hæred. decur.* Reſp. id verum, ſi miles non ſit condemnatus, & ita ſine hærede moriatur.

Tit. XIII.

Quibus non competit bonorum poſſeſſio.

1. QUi ſe jure civili reddiderint indignos hæreditate, veluti cogendo, ut, vel prohibendo ne teſtetur moriens, aliiſque multis modis, de quibus alibi; his nec bonorum poſſeſſio ex edicto prætoris datur. *l. un. ff. h. t. arg. l.* 12. §. 1. *ff. de bonor. poſſeſſ.*

Tit. XIV.

Ut ex Legibus Senatûſve Conſultis bonorum poſſeſſio detur.

1. BOnorum poſſeſſio *extraordinaria eſt*, quæ ex legibus aut Senatuſconſultis datur; qualis eſt ea, quæ *tit.* 12. fuit propoſita circa militum ſucceſſiones: ut & ea quæ ex Lege Papiâ patrono in dimidiam partem bonorum liberti datur. §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. libert.*

Tit. XV.

Quis Ordo in bonorum poſſeſſione ſervetur.

1. UT civilis, ita & prætoriæ ſucceſſionis ordo eſt; juxta quem primò admittuntur poſſeſſiones ex teſtamento, ut primitus contra tabulas poſſeſſio locum habeat, eâque deficiente, illa quæ eſt ſecundùm tabulas. Poſt has datur primo loco poſſeſſio unde liberi, deinde unde legitimi, tertio unde cognati, & quarto unde vir & uxor. *l.* 1. *& paſſim h. t.*

Tit. XVI.

De ſuis & Legitimis Hæredibus.

1. SUcceſſio ab inteſtato olim deferebatur primo loco ſuis; non emancipatis, nec nepotibus ex filiâ. Sui s deficientibus agnati

agnati vocabantur, non cognati, maſculi non fœminæ, exceptis ſororibus *l. 2. 9. 15. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt.* §. 3. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Sed hæc variis modis mutata legibus poſterioribus, edictis, Senatusconſultis; præcipuè Tertulliano & Orphitiano.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 55. de ſuis & legitim. liberis tit. 58. de legitimis hæredib.*

Tit. XVII.

Ad Senatusconſultum Tertullianum & Orphitianum.

1. CUm mater ex lege 12. tab. liberis non ſuccederet, Claudii conſtitutione omnibus prælata fuit collateralibus: ſed id mitigavit Senatusconſultum Tertullianum temporibus Hadriani [quo non nulli D. Pium filium Hadriani adoptivum, qui patris nomen aſſumpſit, intelligunt] conditum. §. 2. *Inſt. de Senatuſc. Tertull.* quo cautum, ut mater ingenua jure trium, libertina quatuor liberorum jure gaudens in beſſem ſuccedat filio, triente agnatis relicto: quo jure ſi mater non gaudeat, ipſa in trientem, agnati in beſſem vocantur; idque ſi nec pater, nec liberi, nec fratres aut ſorores defuncti ſuperſint, *tit. Inſt. de Senatuſc. Tert.*

2. Viciſſim Orphitiano (quod Orphitio & Rufo Conſulibus D. Marci temporibus conditum. *pr. Inſt. ad Senatuſconſ. Orphit.*) conſtitutum; ut liberi matri ſuccedant, excluſis omnibus agnatis. *tit. de Senatuſc. Orphit.*

3. Sed jure noviſſimo ſimplicior à Juſtiniano propoſita ſuccedendi ratio, in *nov.* 118. idque ſecundùm triplicem cognationis lineam, deſcendentem, aſcendentem, & collateralem. Affines enim quod attinet, hi ſibi invicem nec veteri nec novo jure ſuccedunt. *l. 3. l. 7. C. commun. de ſucceſſ.* Obſt. *l. 5. C. eod.* Reſp. caſus ibi proponitur, quo amita habens privignum ex privigni patre ſobolem ſuſcepit; amitæ huic defunctæ proprius ſucceſſit filius; eoque deinceps ſine liberis etiam moriente, proximus ejus ſucceſſor eſt privignus, non quâ talis, ſed quâ frater conſanguineus defuncti. (I, II, III, IV.)

4. Primus autem locus ſuccedendi tribuitur lineæ deſcendenti; in qua qui in primo gradu conſtituti ſunt, in capita, reliqui in ſtirpes ſuccedunt jure repræſentationis: quæ repræſentatio

ſentatio eſt juris fictio, quâ gradu remotiores ſubintrant in locum proximioris defuncti; & in hac linea deſcendente in infinitum locum ſibi vindicat. Nec refert, liberi ſui ſint an emancipati, maſculi an fœminæ. *nov.* 118. *c.* 1. (v. vi, vii)

5. Quod ſpectat liberos naturales & ſpurios, matri quidem ſuccedunt una cum liberis legitimè natis; niſi mater illuſtris ſit, cui ſpurii non ſuccedunt. *l.* 5. *C. ad Senatuſc. Orphit.* ad patris verò ſucceſſionem nullo modo vocantur, extantibus liberis legitimè natis: ut tamen, his deficientibus, naturales patris ſuccedant in ſextantem cum matre in partes viriles dividendum. *nov.* 89. *c.* 12. §. 3. Multò minus nepos naturalis ſuccedit avo paterno, ſive ex filio naturali legitimè natus ſit, ſive ex filio legitimè nato ſit progenitus extra matrimonium. *arg. l. ult. C. de liber. natur.* [viii, ix.]

6. Quòd ſi liberi legitimati ſint, ſi quidem per ſubſequens matrimonium, unà cum liberis legitimis ſuccedunt; cum omnia *ſuorum* jura tali legitimatione conſequantur. §. 2. *Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. defer.* Si verò reſcripto Principis legitimati ſint eo tempore quo pater liberos alios habebat legitimè natos, patri ſuo non ſuccedunt cum talibus legitimè natis; quippe in quorum præjudicium Princeps non præſumitur conceſſiſſe legitimationis beneficium. Sed ſi tempore legitimationis à Principe factæ nulli extiterint legitimè nati liberi, legitimati ad ſucceſſionem patris admittendi videntur, etiam una cum liberis, quos poſtea pater ex legitimo fortè matrimonio ſuſcepit; non enim injuria videri poteſt facta liberis, qui tempore legitimationis nec nati nec concepti erant. *arg. auth. præterea, & auth. item & auth. ſi quis C. de liber. natural.* [x.]

7. Si nulli deſcendentes ſint, aſcendenti lineæ locus eſt; in quâ primo vocantur, pater ac mater, & cum his fratres ac ſorores germani (non conſanguinei aut uterini) in capita, ac concurrentes, cum ſuis patruis & avo fratrum germanorum liberi in ſtirpes jure repræſentationis. *nov.* 118. *c.* 2. *nov.* 127. *c.* 1. Deficiente patre & matre, fratres germani reliquis aſcendentibus videntur in ſucceſſione præferendi. *arg. d. nov.* 118. *c.* 2. *in med.* verbo *proximi.* Si ſoli ſint ulterioris gradûs aſcendentes gradu proximior excludit remotiorem; ſi gradu pares ſint concurrunt, ita tamen ut in duas partes dividatur hæreditas, & altera paternæ altera maternæ lineæ cedat, licèt numero pares non ſint qui ex matris & qui ex patris latere ſuccedunt. *d. nov.* 118. *c.* 2. *auth. defuncto, C. ad Senatuſc. Tertul.* [xi, xii, xiii, xiv, xv.]

8. De

8. Deficiente etiam lineâ aſcendente, collaterales ſuccedunt, inter quos primo loco admittuntur fratres & ſorores germani, ac cum his aliorum germanorum defunctorum liberi jure repræſentationis. *nov.* 118. *c.* 3. *nov.* 127. *c.* 1. ſi verò nulli germani fratres ſint, ſed ſoli germanorum liberi, hos patruo defuncto in capita potius quàm in ſtirpes ſuccedere, verius eſt; cùm nuſpiam in tali caſu jure novo inveniatur introductum jus repræſentationis, ſed potius limitatum ad caſum, quo fratrum liberi cum ſuis thiis concurrerent *d. nov.* 118. *c.* 3. *verſ. ſed & ipſis.* Quòd enim tales germanorum liberi ſoli exiſtentes præferantur defuncti fratribus conſanguineis & uterinis, ejus ratio non ex jure repræſentationis, ſed ex duplici vinculo petenda eſt. Et quòd potiores ſint ipſis patrui defuncti patruis, qui tamen & ipſi in tertio gradu ſunt, illud itidem non tribuendum juri repræſentationis, ſed potius, quod quemadmodum in lineâ rectâ deſcendentes præferuntur aſcendentibus; filii patribus, licèt ambo in primo gradu ſint, ita & in linea collaterali viſum fuerit Legislatori, potiorem eſſe debere cauſam eorum, qui liberorum loco ſunt, quales fratrum filii, quàm eorum, qui parentis loco habebantur, quales patrui ejus qui defunctus eſt. [XVI.]

9. Deficientibus etiam germanorum filiis, conſanguinei & uterini fratres promiſcuè ſuccedunt, ac cum his conſanguineorum aut uterinorum liberi in ſtirpes; vel ſi hi ſoli ſint, in capita, eo modo quo id de germanorum filiis expoſitum eſt. *d. nov.* 118. *c.* 3. & ſi concurrant conſanguinei cum uterinis; paterna bona non cedunt conſanguineis; materna uterinis; ſed potius promiſcuè tanquam ad unicum patrimonium concurrunt; cùm in *d. nov.* 118. *c.* 3. ſimpliciter ſine diſtinctione vocentur, ut proinde abrogata ſit. *l.* 13. §. 1. C. *de legit. hæred.* De cætero omnes deinde collaterales ſuccedunt juxta prærogativam graduum, ſive agnati ſint ſive cognati; ita ut proximior excludat remotiorem, & pares gradu pariter ſuccedant, *d. nov.* 118. *c.* 3. *in fin.* (XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII.)

10. Si nec collaterales inveniantur, conjux, conjugi ſuccedit ex edicto prætoris, modò verum fuerit matrimonium, & morte diſſolutum, ut dictum *tit. unde vir & uxor.* Quamvis jure novo uxor inops & indotata (non item maritus) ſuccedat in quartam proprietatis bonorum mariti ante omnes aſcendentes & collaterales, ſi modò liberi deficiant: liberis verò defuncti mariti ſuperſtitibus, uxor quartæ partis uſumfructum habeat, ſi pauciores ſint liberi quàm quatuor, aut

portionis

portionis virilis; ſi plures ſint quam quatuor, proprietate liberis ipſis reſervatâ. *nov.* 117. *c.* 5 abrogatâ *nov.* 53. *c.* 6. [XXIII, XXIV, XXV.]

11. Poſt hos omnes fiſcus ſuccedit, tanquam in bona vacantia. *tit. C. de bonis vacant.* niſi ſocius liberalitatis imperialis ſuperſtes ſit, qui in re ſibi & defuncto ſimul à Principe donatâ fiſco præfertur. *l. un. C. ſi ſocius liberal. imper. ſine herede.* Vel defunctus fuerit liciti ac privilegiati alicujus collegii membrum; quo caſu collegium magis admittitur, quàm fiſcus. *tit. C. de hæred. decurion.* [XXVII, XXVIII, XXXI.]

12. *Moribus.* Liberi naturales patri non ſuccedunt, ne in ſextantem quidem, licèt liberi legitimi deficiant; ſed ſpuriis planè ſimiles habentur quantum ad ſucceſſionem. Naturalibus autem liberis in Hollandiâ ac Ultrajecti (non ita aliis multis in locis) annumerandi qui nati ſunt ex ſponſa imprægnata, cum nuptiæ ſponſi mortalitate non fuerunt ſubſecutæ, adeòque nec tales ſuo patri ſponſo ſuccedunt ab inteſtato. Matri tamen tum naturales tum ſpurii ſuccedunt unà cùm legitimè natis juxta juris Romani deciſionem. Non etiam adoptivi liberi patri adoptivo ſuccedunt ab inteſtato, quippe qui magis alumnorum quàm liberorum jure apud nos cenſentur. Sed nec uxor viro vel vir uxori ſuccedunt, deficientibus agnatis & cognatis, niſi, quòd Ultrajecti uxor utenſilia nonnulla deducere poſſit jure præcipui ex bonis mariti, licèt liberi exſtent legitimi.

De cætero Ultrajecti quidem in ſucceſſionibus ab inteſtato maximâ ex parte ſervatur jus Romanum eo excepto, quod parentes ſuis liberis defunctis ſoli ſuccedant, excluſis defuncti fratribus germanis ac conſanguineis aut uterinis, quòdque ad ſucceſſionem fratris defuncti deficientibus parentibus promiſcuè admittantur in partes viriles & æquales fratres conſanguinei vel uterini cum germanis.

Aſt in Hollandiâ magnâ ex parte juris Romani contigit mutatio: etenim olim quidem in nonnullis ejus civitatibus ac pagis vigebat jus Æſdomicum, in aliis Scabinicum: donec anno 1580. jus uniforme ſuccedendi ab inteſtato introductum fuit, cum verò juris illius diſpoſitio in quibuſdam diſpliceret variis civitatibus ac regionibus, in harum gratiam anno 1599. conditum fuit ſpeciale jus ſeu placitum. Sic ut nunc in quibuſdam Hollandiæ partibus ex politicâ Ordinatione anni 1580. in aliis ex peculiari placito anni 1599. ſucceſſio ab inteſtato deferatur.

Quæ

Quæ autem fuerit antiqui juris Aeſdomici ac Scabinici origo, quæ diſpoſitio; quâ ratione, quo ordine nunc deſcendentes, aſcendentes & collaterales ſuccedant, quo uſque jus repræſentationis in lineâ collaterali admittatur; quæ denique civitates ac regiones jure anni 1580. utantur, quæ ex adverſo regantur placito anni 1599. accuratè deſcriptum dedêre Grotius *libr. 2. introduct. part. 28.* Simon van Leeuwen *Cenſur. Forenſ. part. 1. lib. 3. cap. 16.* Quæ cum vix compendioſius exhiberi queant, ad Autores hoſce lectorem remitto.

Quod ſi nulli intra decimum gradum cognati ſint, vel cum eſſent, intra annum & diem non appareant, ut hæreditatem cognati ſui vindicent, fiſcum in Hollandia *id* eam cenſent admittendum licèt id dubium ſit. Sed ſi cognati ſint ex linea paterna non materna, aut vice versâ, tota hæreditas ſoli lineæ paternæ vel maternæ cedit, nec pars ejus dimidia fiſco applicanda, quaſi is in locum lineæ deficientis ſuccederet: quod pluribus adſtruit Groenew. ad *tit. C. de bon. vacant.* Quamvis Grotius *libr. 2. introd. cap.* 30. contra ſentiat, illis nempe caſibus quibus leges jubent, ut pars dimidia paternæ, pars altera maternæ lineæ cedat.

* Adde *ex Cod. libr. 6. tit. 56. ad Senatuſc. Tertullianum tit. 57. ad Senatuſc. Orphitianum. tit. 59. communia de ſucceſſionibus.*

LIBER XXXIX.

Tit. I.

De operis novi nunciatione.

I. OPeris novi nunciatio eſt legitima prohibitio facta novum opus paranti, ne in opere pergat, donec de jure conſtiterit. Et fit vel autoritate *publicâ*, adito prætore. *l. 16. ff. h. t.* qui tunc ab eo, qui ſuo nomine nunciat, jusjurandum calumniæ exigit, *l. 5. §. 14. ff. h. t.* cautionem verò de rato ab eo, qui nunciat nomine procuratorio. *l. 5. §. 18. ff. h. t.* Vel *privatâ, arg. l. 1. §. 2. ff. h. t.* idque vel verbis, vel lapilli jactu. *l. 5. §. 10. ff. h. t. l. 20. §. 1. ff. quod vi aut clam.* Sed qui per prætorem aut lapilli jactum novum opus, nunciat, poſſeſſionem retinet; qui verò nudis verbis, adver-

adverſarium agnoſcit poſſeſſorem. *d. l.* 5. §. 10. *ff. h. t.* (II.)

2. Nunciare poteſt novum opus, tuendi quidem juris publici gratiâ quilibet ex populo. *l.* 1. §. 17. *l.* 3. §. *ult. l.* 5. §. 9. *ff. h. t.* excepto pupillo & muliere. *l.* 5. *pr. ff. h. t. arg. l.* 6. *ff. de popul. action.* privati verò juris defendendi causâ is cujus intereſt. *l.* 1. §. 19. *ff. h t.* adeòque domini directi & utiles, ut & habentes jus pignoris aut ſervitutis realis vel perſonalis, quoties quid fit, quod ſervituti directò obeſt. *l.* 1. §. 19. *l.* 3. §. 3. *l.* 9. *ff. h. t. l. un.* §. 3. 4. *ff. de remiſſion.* alioquin ſervitutem habentes, eam vindicant adversùs eos, qui quid novi faciunt; aut novum opus nunciant tantum nomine procuratorio; veluti fructuarii reſpectu ſervitutum fundo fructuario debitarum. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t. l.* 1. *ff. ſi uſusfr. petetur.* Si plures ſint domini, quibus novo opere nocetur, ſinguli nunciare debent, cum alter poſſit habere nunciandi jus, alter non item. *l.* 5. §. 6. *ff. h. t.* (III.)

3. Non tamen rectè nunciant inquilini aut coloni. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* nec pupilli ſine tutoris auctoritate, quamvis pro ipſis tutor rectè nunciet. *l.* 5. *pr. l.* 7. § 1. *ff. h. t.* nec ſervi. *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 3. *ff. quod vi aut clam.* Reſp. nunciatio per ſervum facta nihil quidem operatur quantùm ad effectus nunciationis novi operis. *d. l.* 5. §. 1. ſed tamen efficit, ut adverſarius poſt nunciationem videatur magis vi quàm clam opus feciſſe. *d. l* 3. nec denique ſocius ſocio privatim, ſed tantùm autoritate publicâ per prætorem; alioquin magis judicio communi dividundo experiundum, ne in opere cœpto pergatur, ſive ſocius novo opere noceat communi prædio, ſive obſit prædio ſolummodo ad alterum ſocium pertinenti. *l.* 3. §. 1. 2. *ff. h. t. l.* 28. *ff. commun. divid.* [IV.]

4. Nunciatur ei, qui novum opus parat, contra priſtinam formam ædificando, extruendo, deſtruendo, mutando. *l.* 1. §. 11. 12. *ff. h. t.* non ei, qui tantùm reficit aut fulcit priſtinum opus. *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* ſi pluris ſint domini rei in qua novum opus ſit uni nunciari ſufficit. *l.* 5. §. 5. *ff. h. t.* Quòd ſi opus jam perfectum ſit, fruſtra fit nunciatio; ſed magis agendum interdicto quod vi aut clam. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 21. §. 3. *ff. h. t.* Reſp. ſenſus eſt, nunciationem non aliter poſſe fieri, quàm ſi conſtet opus parari per vicinum; de eo autem non conſtat, niſi jam facies quædam operis appareat. (V.)

5. Non tamen præciſè facienda nunciatio ei, qui opus fieri curat; verùm etiam alteri cuivis fieri poteſt, qui nomine domini eſt in re præſenti; ſive ſervus ſit, ſive faber, vel opifex.

l. 5.

l. 5. §. 1. 3. *ff. h. t.* licèt dominus abſens ſit & nunciationis ignarus. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* Quid, quòd & infanti vel furioſo rectè nunciatur ſine tutoris aut curatoris autoritate, cum hæc nunciatio in rem fiat. *l.* 10. 11. *ff. h. t.* (VI.)

6. Facienda autem nunciatio novi operis in re præſenti, non alibi *l.* 5. §. 2. 3. 4. *ff. h. t.* licèt alibi facta ſufficiat ad id, ut interdictum quod vi aut clam locum habeat, *l.* 5. §. 7. *ff. quod vi aut clam.* atque hinc, ſi pluribus in locis novum opus fiat, in ſingulis locis in re præſenti nunciandum eſt. *l.* 5. §. 16. *ff. h. t.* [VI.]

7. Effectus nunciationis eſt, quòd ſtatim ab opere deſiſtendum ſit. *l.* 5. §. 4. *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* & ſi quid poſtea factum ſit, id in priſtinum ſtatum ſit reſtituendum; quem in finem conſultum eſt, nunciationem fieri modulis adhibitis, ut ſciri poſſit, quid poſtea exſtructum ſit. *l.* 8. §. 1. *&* 5. *ff. h. t.* qui effectus & tunc obtinebit, cum notoriè injuſta dicitur eſſe nunciatio. *l.* 20. §. 1. 2. *ff. h. t.* eò quòd is, cui nunciatum eſt, debuiſſet jus ſuum apud prætorem docere & impetrare remiſſionem, non ipſe ſibi judicium de cauſæ propriæ juſtitiâ vindicare. (VII.)

8. Ceſſat effectus nunciationis novi operis morte vel alienatione nunciantis *l.* 8. §. *pen. ff. h. t.* quod tamen non impedit, quominus hæres nunciantis ipſe rurſus nunciet; vel etiam interdicto experiatur, ſi quid vivo adhuc nunciante factum ſit contra nunciationem. *l.* 20. §. 6. *ff. h. t.* Ceſſat & remiſſione factâ per nunciantem ſine prætoris autoritate. *l.* 1. §. 10. *ff. h. t.* vel per prætorem ob juſtam cauſam. *l.* 6. §. 12. 13. *ff. h. t.* qualis cauſa duplex eſt, puta, vel defectus juris in eo, qui nunciat, dum prætor à partibus aditus ſummatim jus utriuſque examinat, & ita poſt cauſæ cognitionem remittit nunciationem privatâ vel publicâ autoritate factam. *l.* 16. *ff. h. t. l.* 1. §. 1. *ff. de remiſſ.* vel ſecundò, ſatisdatio [quandoque repromiſſio, ſi publico nomine ſit facta nunciatio. *l.* 8. §. 3. *ff. h. t.*] oblata & præſtita per eum, cui nunciatum eſt, de deſtruendo novo opere, ſi poſtea non jure exſtructum appareat: tunc enim prætor ei permittit exſtruere ſuo periculo, etiam ſine cauſæ cognitione. *l.* 5. §. 17. *ff. h. t.* adeò ut & volenti in opere cœpto pergere accommodet interdictum, ne vis fiat exſtruere volenti. *l.* 5. §. *ult. l.* 20. §. 9. *& ſeqq. ff. h. t.* Admittit autem prætor hanc cautionem, ſtatim quidem, ſi periculum in mora ſit. *l.* 5. §. 12. *ff. h. t.* poſt tres verò menſes, ſi non adeò ingens ſubſit ex mora periculum. *l. un. C. h. t.* (IX, X.)

9. Non tamen evaneſcit novi operis nunciatio morte ejus, cui ea facta eſt aut alienatione rei; ſed & ſucceſſores tenet. *l.* 8. §. *pen. l. pen. & ult. ff. h. t.* quamvis ſucceſſores non poſſint conveniri, ut ſuâ impensâ opus tollant; ſed tantùm, ut patientiam tollendi præſtent ei, cui nocitum eſt, ſive prædeceſſor quid novi fecerit. *l. pen. ff. h. t.* ſive ipſe ſucceſſor ſeu emptor; & de hac ſola patientia intelligenda. *l. ult. ff. h. t.* ut concilietur cum *l.* 3. §. 3. *ff. de alien. jud. mut. cauſ.* quæ habet emptorem *non teneri, quia ei nunciatum non eſt*; puta; ad id ut ipſe ſuâ impensâ opus priſtinum reſtituat. [XI.]

10. *Moribus.* Fructuarius ſuo nomine poteſt opus novum nunciare, & impetrare mandatum Curiæ pœnale, quo interdicitur, ne quid novi fiat in præjudicium uſusfructûs. Cæterùm morte ejus, qui nunciavit, nunciatio non extinguitur. Quòd ſi is cui nunciatum eſt, ſatiſdare paratus ſit de opere demoliendo, ubi conſtiterit non jure exſtructum eſſe, decretum petere poteſt, ut in opere pergere liceat, non expectato præciſe trium menſium lapſu.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 11. *de novi operis nunciatione. tit.* 10. *de ædificiis privatis.*

Tit. II.

De damno infecto & de ſuggrundis & protectionibus.

1. Damnum infectum dicitur, quod nondum factum eſt, ſed metuitur, ſive ex arboribus, ſive ex ædibus aut earum parte, ſuggrundis, protectionibus &c. ſive ex alia cauſa, in urbe vel agro. *l.* 19. §. 1. *l.* 30. §. 2. *ff. h. t.* Cujus damni nomine petitur cautio de damno infecto reparando ſi datum fuerit; proditâ fortè eum in finem actione ſubſidiariâ ex edicto prætoris, vel implorato extra ordinem prætoris officio: idque ſi non aliud juris remedium ſit ad damni reparationem petendam. *l.* 32. *ff. h. t.* [I, II.]

2. Exigunt hanc cautionem omnes, qui ſuâ intereſſe dicunt, modò jusjurandum de calumnia præſtent; quo præſtito prætor arbitratur, utrùm cautio interponenda ſit nec ne. *l.* 13. §. 3. *ff. h. t.* Quid, quòd & is, qui alieno nomine cautionem exigit, de calumnia domini jurare tenetur, *eum* nempe *cujus nomine exigit, non calumniæ causâ fuiſſe petiturum. l.* 13. §. 13. *ff. h. t.* (III.)

3. Non

3. Non tamen cautionem hanc rectè petit, qui quid illicitè exſtruxit, ſi quid damni in eo metuat; nec qui ipſe prius alteri ejuſdem rei nomine cavere detrectavit. *l.* 13. §. 7. *&* 11. *ff. h. t.* nec emptor regulariter ante traditionem, quia actionem ex empto contra venditorem habet, niſi venditori nihil poſſit imputari. *l.* 38. *ff. h. t.* nec ſocius à ſocio, cum ei aliter conſultum eſſe poſſit; exceptis duobus caſibus in *l.* 39. *ff. h. t.* nec fructuarius à proprietario aut vice verſâ, niſi fructuarius petat, ſibi caveri de vitio ſoli; aut proprietarius, de vitio operis, à fructuario facti. *l.* 20. *ff. h. t.* nec denique is qui metuit damnum non ex vitio rei accidentali ſed naturali, aut ex vi ventorum, aut ex eo, quòd quis in ſuo aliquid faciat ad ſuam utilitatem, quod vicinis poſſet fortè damnoſum eſſe. *l.* 24. §. 2. *& ſeqq. &* §. *ult. l.* 25. 26. 43. *ff. h. t.* (IV, V.)

4. Cavere tenentur illi, qui habent jus in re, ex qua damnum imminet; adeóque domini, bonæ fidei poſſeſſores, ſervitutem habentes, modò ex ipſa ſervitute damnum immineat. *l.* 13. *pr. &* §. 1 *ff. h. t.* alioquin non ſuo, ſed procuratorio nomine cautionem præſtant. *l.* 9 §. 4. 5. *ff. h. t.* quisquis autem ſuo nomine cavet, repromittit tantùm; qui alieno nomine, ſatisdat. *d. l.* 13. *ff. h. t.* (VI.)

5. Quòd ſi plures ſint domini ædium, quibus damnum imminet, ſinguli de ſolido damno, non de parte, ſtipulari debent: ſin plures ſint rei vitioſæ domini, ſinguli pro parte tantùm ſua debent repromittere, ne aliàs in ſolidum ſinguli conveniantur. *l.* 27. *l.* 40. §. 2. 3 *ff. h. t.* (VII.)

6. Cautionis præſtitæ effectus eſt, quod & cavens & ejus ſucceſſores univerſales ac particulares, ſi ſucceſſorum ſit facta mentio, conveniri poſſint actione ex ſtipulatu ad reparationem damni, quod contigit intra diem ſtipulationi adjectum aut adjici ſolitum. *l.* 15 *pr. &* §. 1. 2. *l.* 24. §. 1. *ff. h. t.* modò damnum vitio rei contigerit. *l.* 24. §. 2. 6. *ff. h. t.* (VIII, IX.)

7. Si quis cavere nolit, miſſio fit in poſſeſſionem partis ruinoſæ, ſi ſeparatim poſſideri poſſit: alioquin in totam rem vel totas ædes. *l.* 38. §. 1. *ff. h. t.* & ſi quis miſſus ſit, ex primo decreto conſequitur detentionem rei unà cum domino. *l.* 3. §. *ult. ff. de acquir poſſ. l.* 15. §. 16. 20. *ff. h. t.* ſed ſi poſt longum tempus arbitrarium necdum caveatur, ex ſecundo decreto miſſio fit, per quam miſſus conſequitur poſſeſſionem cum poteſtate uſucapiendi. *l.* 5. *l.* 7. *l.* 12. *l.* 15. §. 16. *&* 20. *ff. h. t.* nec ex eo tempore dominus rem ſuam recuperare ultra poteſt, præſtitâ cautione, niſi ætas aut alia juſta cauſa interveniat. *l.*

l. 15. §. 33. *ff. h. t.* Obſt. poſt ſecundam miſſionem miſſus non indiget uſucapione, cùm dominium habeat, & vindicare poſſit. *l.* 15. §. 33. *ff. h. t.* junct. *l.* 7. §. 9. *ff. commun. divid.* Reſp. habet dominium prætorium, quod habent omnes bonâ fide & juſto titulo poſſidentes ex fictione prætoris; ex quo ficto dominio competit *vindicatio*, id eſt, Publiciana in rem actio, juxta §. 4. *Inſt. de action.* omnis enim in rem actio ſub generali vindicationis appellatione continetur. §. 15. *Inſt. de action.* (x, xi, xii.)

8. Cæterùm, ſi plures in eandem rem miſſi ſint, nulla inter eos temporis habetur ratio, nec damni imminentis conſideratur proportio, ſed omnes æqualiter poſſident. *l.* 15. §. 15. 18. *l.* 40. §. *ult. ff. h. t.* (xiii.)

9. Quòd ſi quis cautionem hanc non exegerit, cùm exigere deberet, aliis deſtitutus juris remediis, juxta *l.* 9. & 32. *ff. h. t.* nec damni reparationem petere poteſt, ſi id contigerit; nec vicinum, cujus ædes collapſæ, cogere ut rudera tollat. *l.* 6. *ff. h. t.* Adde *l.* 7. §. *ult. l.* 8. 9. §. 6. *ff. h. t.* Idemque eſt, ſi privatim quidem petierit ſibi caveri, ſed, antequam prætorem adiret, damnum datum ſit. *l.* 44 *ff. h. t.* Si petierit quidem cautionem, ſed prætore deliberante an cavendum ſit nec ne, ruinoſæ ædes collapſæ ſint, prætor ſine miſſione damnum reſarciri jubet. *l.* 15. §. 28. *ff. h. t.* Si petierit, & prætor cautionem jam decreverit, nec tamen cautum ſit, perinde habetur ac ſi cautum eſſet vel miſſio eſſet facta. *l.* 44 *ff. h. t.* quod & obtinet, ſi miſſum non admiſerit rei vitioſæ dominus. *l.* 15. §. *ult. ff. h. t.* (xiv.)

10. De ſuggrundis & protectionibus, quid ſint, vide *l.* 242. §. 1. *ff. de verb. ſignif.* ibique DD. (xv.)

11. *Moribus.* Quiſquis damnum ex vicini re vitioſa metuit, non petit cautionem de damno infecto aut miſſionem in poſſeſſionem rei vitioſæ, ſed ſimpliciter proteſtationem adhibet, quo facto perinde damni reparationem petere poteſt, ac ſi cautio ipſi fuiſſet præſtita.

Tit. III.

De Aquâ & Aquæ pluviæ arcendæ.

1. Pars prima tituli agit de *aquâ* ſupple *ducenda*, quam non licet ducere ex flumine publico quod eſt navigabile, aut quo aliud redditur navigabile; nec per viam publicam, ſine permiſſu Principis. *l.* 10. *in fine. l.* 18. *in fin. ff. h. t. l.* 2. *ff. de fluminib.*

fluminib. ſed ex flumine alterius privato ducere licet conſentiente domino, & eo, cui jam ſervitus aquæductûs conſtituta eſt. *l.* 8. *ff. b. t.* (I.)

2. Altera pars eſt de *aqua pluvia arcenda* ſupple *actione*; quæ perſonalis eſt, ſed in rem ſcripta. *arg. l.* 6. §. 5. *ff. h. t.* competens domino fundi, cui aqua nocet ex opere manu facto in vicini fundo. *l.* 4. §. 2. *ff h. t.* utilis etiam fructuario. *l.* 22. *ff. h. t.* non item directa. *l.* 3 §. *ult. ff. h. t.* contra dominum, qui per ſe vel per colonum aut alium opus factum habet, quo aliter aqua fluit; ad id ut opus tollatur & damnum reſarciatur poſt litem conteſtatam datum. *l.* 6. §. 6. *& ſeqq ff. h. t.* idque impenſis rei conventi, quoties vel ipſe opus fecit vel fieri curavit. *l.* 6. §. 7. *ff. h. t.* quo etiam caſu, ſi plures ſint domini, contra ſingulos pro parte hæc actio competit. *l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* Si verò reus conventus nec fecerit, nec fieri mandaverit, tantùm præſtat patientiam, ut opus tollatur. *d. l.* 6. §. 7. *ff. h. t.* quam etiam nudam patientiam tantùm præſtat emptor, legatarius aliúſve particularis (non univerſalis. *d. l.* 6. §. 7.) ſucceſſor. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* (II.)

3. Ceſſat hæc actio, reſpectu damni ante litem conteſtatam vel poſt ſententiam dati, & reſpectu operis poſt litem conteſtatam facti. *l.* 6. §. 6. *l.* 14. §. 3. 4. *ff h. t.* ut &, ſi agri colendi ſeu fructuum causâ opus factum ſit. *l.* 1. §. 3. *& ſeqq. ff h. t.* vel ſi opus non ſit manu factum, ſed naturaliter quid fiat, vel agger ſubſederit, & ita noceat. *l.* 1. §. *ult. l.* 9. § 1. *ff. h. t.* ut tamen ex æquitate liceat vicino, cui nocetur, reſtituere id quod ſubſedit. *l.* 2. §. 5. *ff. h t.* Alios caſus, quibus hæc ceſſat actio, vide in *l.* 1. §. 11. §. *ult. l.* 3. §. *pen. l.* 18. 19. *ff. h. t.* (III, IV, V.)

TIT. IV.

De Publicanis & Vectigalibus & commiſſis.

1. PUblicani ſunt, qui vectigalia conducta habent. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* ſive à republica ſive à municipio. *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* Qui, ſi plus debito exegerint vectigalium nomine, ſive ipſi, ſive eorum miniſtri, tenentur læſis ac eorum hæredibus. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* actione in factum pœnali mixta in duplum intra annum. *l.* 1. *pr. &* § *pen. l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* aut, ſi vis ſit adhibita, in quadruplum pœnale mixtum, actione de vi bonorum raptorum; præter extraordinariam coërcitionem. *l.* 9. §. 5. *ff. h. t.*

Si plures ſint publicani, ſinguli pro rata conveniendi, ſed unius inopia cæteros gravat. *l. 6. ff. h. t.* &, ſi familia damnum dederit, ſemel pœna præſtanda eſt. *l. 3. §. ult. ff. h. t.* ut tamen pœna evitetur, ſi id, quod ſupra modum eſt exactum, ante ſententiam reſtituatur. *l. 1. pr. l. 5. ff. h. t.* Hæredes planè publicanorum non tenentur, niſi lis cum defuncto ſit conteſtata, vel aliquid ad eos pervenerit. *l. 4. ff. h. t.* (I, XIX.)

2. Conducunt vectigalia quilibet non prohibiti; liberè non coacti. *l. 9. §. 1. ff. h. t.* niſi publicani ex priori conductione ingens emolumentum perceperint, & vectigalia nequeant iterum tanti elocari, *l. 11. §. ult. ff. h. t.* Non tamen ad conductionem admittuntur reliquatores, nec fiſci, aut reipublicæ debitores, niſi idoneos dent fidejuſſores pro debito. *l. 9. §. 3. ff. h. t.* nec tutores aut curatores antè redditas rationes. *l. un. C. ne tut. vel curat. vect. conduc.* nec filiif. *arg. l. 3. pr. & §. 1. ff. ad Senatuſc. Maced.* Obſt. argumentum ex *l. 9. ff. de his qui ſui vel alien.* Reſp. vectigalium conductio non eſt cauſa publica. Unde & mulieres à vectigalium conductione excluſæ non ſunt. *l. 47. ff. de jure fiſci.* (II, III, V, VI.)

3. Eſt autem vectigal, quod pro mercibus importandis aut exportandis ſolvitur, olim plerumque octava mercium pars. *l. 7. 8. C. h. t.* quandoque etiam major vel minor pro re nata. Quale vectigal ſolus imponit Princeps aut Principe conſentiente etiam civitas. *l. 10. C. h. t.* ſic ut alius nec augere illud nec minuere poſſit, ſub pœna exilii. *l. 10. ff. h. t. l. ult. C. eod.* (IX, XI, XII.)

4. Quòd ſi quis vectigal non ſolverit, res illa, cujus nomine prætermiſſa eſt ſolutio, in commiſſum cadit. *l. 14. ff. h. t.* non item res cæteræ; adeo ut, ſi unus hæredum profeſſus non fuerit rem communem hæreditariam, ejus ſolius pars in commiſſum cadat. *l. 8. §. 1. ff. h. t.* Nec evaneſcit commiſſi pœna morte, ſed fiſcus rem ab hæredibus avocat. *l. 14 ff. h. t.* Obſt. *l. ult. §. pen. ff. h. t.* Reſp. ibi agitur de pœna publicanorum plus exigentium, ùt colligi poteſt ex *§. ſeq.* non de pœna commiſſi. Res autem commiſſæ ob non ſolutum vectigal ipſis cedunt publicanis. *l. 11. C. h. t.* cùm illi repræſentent fiſcum, ex jure conductionis; ut ergo fiſcus vectigalia habet, ita & commiſſa, ſed per ſuos publicanos. (XX, XXIII

6. Ceſſat tamen pœna commiſſi ſilentio quinquennii. *l. 2. C. h. t.* ut & ſi quis rem profeſſus ſit, ſed publicanus deinde vectigal non exegerit. *l. ult. §. 12. ff. h. t.* quæ tamen publicani negligentia aut remiſſio non inducit in poſterum immuni-

tatem

tatem à vectigali. *l. 9. §. 6. ff. h. t.* Ceſſat etiam, ſi miles, minor, impubes, profeſſionem neglexerit. vide *l. ult. §. 9. & ſeqq. ff. h. t. l. 3. C. h. t.* alius ſi per errorem omiſerit profeſſionem, duplicatum ſolvendo vectigal liberatur. *l. ult.* §. 10. *ff. h. t.* Denique ceſſat in iis omnibus, qui à vectigalibus immunes ſunt; quales legati. *l. 8. C. h. t.* ipſe fiſcus. *l. 9. §. ult. ff. h. t.* naviculari rem ſibi gerentes. *l. 6. C. h. t.* ſtudioſi. *auth. habita C. ne filius pro patre.* Ita nec quiſquam ex rebus ad uſum proprium, aut ruris exercendi causâ, ac exercitui paratis, ad vectigal tenetur. *l. 9. §. pen. ff. h. t. l. 5. C. h. t.* ut tamen præſides aliique ſimiles manu ſuâ ſcribere publicano debeant, quid in uſus ſuos emi mandaverint. *l. 4. §. 1. ff. h. t.* (XXIV, XXV, XXVII, XXVIII.)

6. Cæterùm, ſi quis res inferat vel efferat importari vel exportari prohibitas, non illæ tantùm fiſco cedunt, unà cum nave, ſi domino navis ſciente ſint impoſitæ. *l. 11. pr. & §. 2. ff. h. t.* etiam cum mercibus non prohibitis, quas idem, qui prohibitarum dominus erat, impoſuerat. *l. 3. C. de naut. fœn.* ſed & inſuper capite plectitur. *d. l. 11. & §. 2.* (XXXI.)

7. *Moribus.* Conductiones vectigalium hodie non excedunt ſex menſium aut ad ſummum anni ſpatium; & arcentur à conductione Baillivi, Sculteti, Droſſardi (ùt loquuntur) aliique ſimiles, ut & reipublicæ quæſtores; nec quiſquam finitâ conductione invitus ad repetendam conductionem cogi poteſt, licèt vectigalia nequeant iterum tanti elocari Pœna autem publicanorum plus juſto exigentium non dupli aut quadrupli ſed magis arbitraria eſt: & exactio pœnæ ob non ſolutum vectigal regulariter ultra anni ſpatium à tempore fraudationis non durat. Cæterùm nova vectigalia apud nos imponi nequeunt, niſi conſenſu omnium & ſingulorum, qui ordines Provinciæ conſtituunt; nec hoc caſu valet quod à majore parte decretum eſt, minore parte diſſentiente.

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit. 61. de vectigalibus & commiſſis. tit. 62. vectig. nova inſtitui non poſſe.*

TIT. V.
De Donationibus.

1. DOnatio eſt liberalis & licita rei datio vel promiſſio facta vel inter vivos vel mortis causâ vel ſimpliciter, vel ſub modo. *tit. C. de donat. quæ ſub modo* Inter vivos donatio eſt, quæ fit ſine ulla mortalitatis mentione: & in dubio non

præſumitur, niſi quis ſciens ſolverit indebitum. *l.* 53. *ff. de reg. jur.* (I, II, III, IV, V)

2. Donare poteſt quivis liberam habens rerum ſuarum adminiſtrationem; cuilibet non prohibito & donatum acceptanti. Non tamen pater ſuo filiof. *l.* 1. §. 1. *ff. pro donato.* Niſi in caſtra proficiſcenti. *l.* 4. *C. famil. erciſc.* licèt verum ſit donationem à patre filiof. factam patris morte confirmari. *l.* 25. *C. de donat. inter vir. & uxor.* vel emancipatione filiif. ſi pater peculium ei non ademerit. *l.* 31. §. 2. *ff. h. t.* Sic nec rectè donat filiusfamilias ſuum peculium profectitium; niſi gravis cauſa ſubſit. *l.* 7. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* nec reus perduellionis poſt contractum crimen, licèt moriatur ante condemnationem. *l.* 31. §. *ult. ff. h. t.* ſi quis aliud crimen commiſerit, ſi quidem condemnetur, donationes poſt crimen contractum celebratæ revocantur *l.* 15. *ff. h. t.* ubi pro *niſi* legendum *ſi*. Si verò condemnetur, ſubſiſtunt: uti & ſubſiſtunt donationes inter vivos factæ antè crimen commiſſum, ſive condemnatio poſtmodum ſequatur ob crimen ſive non; ſecus quàm eſt in mortis cauſa donationibus, quæ etiamſi antè crimen commiſſum factæ ſint, damnatione tamen poſtmodum ſecutâ fiunt inutiles. *l.* 32. §. 7. *ff. de donat. inter vir. & uxor. l.* 1. *de mort. cauſ. donat.* (VI, VII, VIII.)

3. Donantur res omnes, quæ ſunt in commercio; propriæ, non alienæ, ad eum effectum, ut dominium transferatur. *l.* 9 §. *ult. ff. h. t.* quamvis alienarum donatio operetur facultatem uſucapiendi. *l.* 3. *in fin ff. pro donat.* Et vel res certè donari poſſunt, vel omnia bona tam futura quàm præſentia, modò nulli inferatur præjudicium quantum ad legitimam. *l.* 35. §. 4. 5. *C. h. t.* ut tamen donatis ſimpliciter bonis omnibus ſine mentione *futurorum*, præſentia ſola donata videantur; cùm donatio ſtricti juris ſit, & ſtrictam recipiat interpretationem. *arg. l.* 22. *ff h. t.* (X.)

4. Quòd ſi donatio quingentos excedat aureos, indiget inſinuatione ſeu profeſſione apud acta, quâ prætermiſſâ donatio non in totum, ſed tantùm pro quantitate aureos quingentos excedente erit inutilis. §. 2. *Inſt. h. t. l.* 34. *pr. C. h. t.* niſi ſpeciali lege remiſſa ſit inſinuationis neceſſitas, veluti, ſi quid donatum ſit Principi vel à Principe, vel militi à ſuo Duce, vel ad redemptionem captivorum aut reſtaurationem ædium exuſtarum. *l.* 34. *in fin. pr. & auth. item. l.* 36. *C. h. t.* (XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII.)

5. Effectus donationis inter vivos eſt, quòd inde actio detur

tur ad tradendam rem donatam. *d.* §. 2. *Inſt. h. t. d. l.* 35. *C. h. t.* quódque perfecta revocari nequeat, niſi ob quinque juſtas ingratitudinis cauſas; quales ſunt, ſi donatarius donatori impias manus intulerit, aut atrocem injuriam, aut ingentem jacturæ molem, aut vitæ ejus inſidias ſtruxerit, aut denique conditionibus donationi adjectis non paruerit. *l. ult. C. de revoc. donat.* Quibus tamen caſibus ſolus donator, non item hæres ejus, revocare poteſt à ſolo donatario, non item ab ipſius hærede. *l.* 1. 7. §. *ult. C. de revoc. donat.* (XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV.)

6. Non tamen fit revocatio propter liberos poſtea ſuſceptos, cùm id nuſpiam in jure cautum ſit; niſi libertus ſit donatarius; qui caſus ſpecialis eſt in *l.* 8. *C. de revoc. donat.* nec ad alios donatores ac donatarios trahendus. Sed propter liberos tempore donationis jam natos aut ſaltem conceptos donatio poſt mortem donantis uſque ad legitimam revocari poteſt. *tit. C. inoffic. donat. tit. C. de inoffic. dot.* (XXVI, XXXVI. *& ſeqq.*)

7. *Moribus.* Donatio inter patrem & filiumfam. omnino conſiſtit; ſed mulier ſine mariti conſenſu nec extraneis nec propriis liberis rectè donat: utì nec minores ſuis tutoribus aut curatoribus, eorúmve liberis, immobilia donare poſſunt, aut ea donationis causâ annuo reditu in gratiam tutorum &c. gravare, niſi tutores tales ſint, qui & ab inteſtato poſſunt ſuccedere. Ob liberos autem poſt donationem conceptos & editos ea revocari poteſt.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 54. *de donationibus. tit.* 55. *de donat. quæ ſub modo vel condit. vel cert. temp. perfic. tit.* 56. *de revoc. donat. libr.* 3. *tit.* 29. *de inoff. donat.*

TIT. VI.
De mortis causâ Donationibus.

1. MOrtis causâ donatio eſt liberalitas propter mortem nullo jure cogente facta, cùm magis ſe quis velit habere quàm eum cui donat; magiſque eum cui donat, quàm hæredem ſuum. §. 1. *Inſt de donat.* Si quis moriens abſolutè donet, nullâ injectâ mortis mentione, magis eſt inter vivos donatio. *l.* 42. §. *ult. ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Mortis causâ donat regulariter, qui & legare vel inter vivos donare poteſt; illis, qui mortis ſaltem tempore

Digitized by Google

capaces ſunt. *l. 22. ff. h. t.* adhibitis ad minimum quinque teſtibus. *l. fin. C. h. t.* & interveniente acceptatione per donatarium aut ejus procuratorem factâ. *arg. l. 4. 10. ff. de donat.*

3. Cùm autem hæc donatio morte demum donantis confirmetur, exemplo legatorum. §. 1. *Inſtit. h. t.* etiam per ipſum donantem quandocunque revocari poteſt, etiam ſine cauſa, ſolâ pœnitentiâ. *d.* §. 1. adeò ut, ſi pactum vel clauſula de non revocando ſit oppoſita, magis ſit futura inter vivos quàm mortis causâ donatio. *l. 27. ff. h. t.* Obſt. *l. 13. in fin. l. 35. §. 4. ff. h. t.* Reſp. valet quidem mortis causâ donatio ſic facta, *ut nullo caſu revocetur*, ſed non ſit mortis causâ; verùm magis ſit inter vivos donatio; ſic ut impropriè ſit donatio mortis causâ, & non niſi quâdam verborum conceptione. Quid, quòd & tacitè revocata cenſeatur, ſi donans ipſum illud periculum, propter quod in ſpecie donaverat, evaſerit. *d. §. 1. Inſt. de donat. l. 29. 30. 35. §. 3. ff. h. t.* ut & omnibus illis modis, quibus etiam legata tacitè adimuntur, eò quòd donationes hæ legatis ferè ſunt exæquatæ. *d. §. 1.* (IV, VI, VII, VIII. *& ſeqq.*)

5. *Moribus.* Mortis causâ donatio duobus teſtibus ac tabellione adhibitis perfici poteſt, & ſi pluribus mortis causâ donatum ſit, jus accreſcendi non habebit locum, uno ex donatariis deficiente, eodem modo quo in legatis. Quòd ſi donatio ab infirmo & ægrotante facta ſit, in dubio magis præſumendam eſſe mortis causâ donationem, quàm inter vivos, tradunt Pragmatici.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 57. de donat. causâ mortis.*

LIBER XL.

TIT. I.

De Manumiſſionibus.

1. MAnumiſſionum materia, cùm non adeò magnum uſum habeat, obiter tractanda. Eſt ergo manumiſſio de manu datio; ſeu datio libertatis: quam non dant actu inter vivos minores annis viginti. *l. 1. ff. h. t.* nec filiif. ſine juſſu patris, cujus in poteſtate ſunt. *l. 22. ff. h. t.*

Mittun-

Mittuntur autem ſervi cujuſcunque ætatis, proprii, non alieni *l. 2. 3. ff. h. t.* nec manumitti prohibiti *l. 9. ff. h. t.* Ingenui ſi manumiſſi ſint, nihil eis obeſt miſſio: ſervi verò manumiſſi fiunt libertini *tit. Inſt. de libertin.* §. 1. *Inſt. de ingenuis.*

* Adde *ex Cod. de materia manumiſſionum & connexis, libr. 7. tit. 1. & ſeqq. uſque ad tit. 22.*

Tit. II.

De Manumiſſis Vindictâ.

1. MUltis olim modis facta manumiſſio: puta, vindictâ, cenſu, teſtamento, in Sacroſanctis Eccleſiis, per epiſtolam, per nuncium, inter amicos; de quibus videndi interpretes ad *tit. Inſt. de libertin.*

Tit. III.

De Manumiſſionibus, quæ ſervis ad Univerſitates pertinentibus imponuntur.

1. SErvi univerſitatum vindictâ manumitti poſſunt, decreto ordinis, & præſidis conſenſu, per actorem; quod ſingulare eſt, cùm manumiſſio ſit actus legitimus. *l. 1. 2. C. h. t. de ſerv. reip. manumut.*

Tit. IV.

De Manumiſſis Teſtamento.

1. UT inter vivos, ita & ultimâ voluntate, teſtamento vel codicillis poteſt fieri manumiſſio, directò vel per fideicommiſſum; expreſsè, vel tacitè, dum Dominus ſervum proprium hæredem inſtituit aut liberis ſuis tutorem dat. *pr. Inſt. de hered. inſtit.* §. 1. *Inſt. qui teſt. tut. dari poſſ.* nec Dominus certo numero manumittendorum adſtrictus eſt, abrogatâ lege Furiâ Caniniâ. *tit. Inſt. de lege Fur. Canin. tollend.*

Tit. V.

De Fideicommiſſariis libertatibus.

1. Directò ſolis ſervis propriis libertas datur; per fideicommiſſum verò etiam alienis, qui tunc redimendi & ita manumittendi ſunt. Si dominus eos vendere nolit pretio, quod ex teſtamento conſecutus eſt, qui rogabatur manumittere, in ſuſpenſo eſt libertatis datio. Vide §. 2. *Inſt. de ſingul. reb. per fideic. relict. l.* 24. §. 12. *ff. h. t.*

Tit. VI.

De Ademptione libertatis.

1. Libertas teſtamento vel codicillis data adimi rurſus poteſt, vel à teſtatore, eo modo, quo & legata, vel à lege. *l. un. ff. h. t.*

Tit. VII.

De ſtatu liberis.

1. Statu liber eſt, qui ſtatutam in tempus aut conditionem libertatem habet: qualis licèt in multis pro libero habeatur, vide *l 9. §. ult. ff. de pœnis.* Verè tamen ſervus eſt. *l. 9. ff. h. t.*

Tit. VIII.

Qui ſine Manumisſione ad libertatem perveniant.

1. Sine manumiſſione liberi fiunt, qui domini necem detexerunt. *l. 5. ff. h. t.* aut beneficium ſingulare reipublicæ præſtiterunt. *l. 2. l. 4. C. pro quib. cauſ. ſervi pro præm. libert. accip.* ut & ancilla eâ lege vendita, ne proſtituatur, ſi nihilominus proſtituta ſit. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* ſervus etiam intra certum diem ex pacto contractui adjecto vel ex teſtamento manumittendus,

tendus, ſi non mittatur. *l.* 1. 3. *ff h. t.* denique & is, qui propter infirmitatem à domino pro derelicto habitus. *l.* 2. *ff. h. t.*

TIT. IX.

Qui & à quibus Manumiſſi liberi non fiant, & ad legem Æliam Sentiam.

1. QUidam, licèt manumiſſi ſint, libertatem tamen non conſequuntur, puta, ſi miſſi fuerint in fraudem creditorum: modo & affectus & effectus concurrat ejuſdem creditoris reſpectu in directa libertatis datione. §. 3. *Inſt. h. t. l.* 15. *ff. quæ in fraud. credit. alien. ſunt ut reſcind.* In fideicommiſſaria ſolus effectus ſufficit. *l. ult C. qui manumitt. non poſſ.* Sic nec olim liberi fiebant à minore annis viginti manumiſſi, cùm juſta cauſa non eſſet apud conſilium probata. §. 4. *Inſt. h. t.* quamvis jure novo eâ ætate, quâ quis teſtamenta facere, etiam libertates ultimâ voluntate ſervis dare poſſit. *Nov.* 119. *c.* 2.

TIT. X.

De Jure Aureorum Annulorum.

1. INgenui aureo annulo à libertis diſtinguebantur; ſi ergo liberti jus aureorum annulorum à Principe impetraſſent, fiebant ingenui, ſalvo jure patronatûs. *l. pen. & ult. ff. h. t.* ſed jure novo quotquot manumittuntur ipſo jure fiunt ingenui, ſalvo patronatûs jure. *Nov.* 78. *c.* 1.

TIT. XI.

De Natalibus reſtituendis.

1. NAtalibus qui reſtituebantur à Principe, conſentiente patrono, non eo invito, ita fiebant ingenui, ut & jus patronatûs tolleretur, perinde ac ſi liberi nati fuiſſent. *l.* 2. 4. *ff. h. t.* ſed jure novellarum, patrono jus ſuum remittente, idem ſine reſcripto Principis habent manumiſſi, quod antea habebant ex natalium reſtitutione. *d. Nov.* 78. *c.* 1.

Tit. XII.
De liberali cauſâ.

1. OLim pro eo, qui in ſervitute detinebatur invitus, erat aſſertor libertatis, ſive cognatus ſive extraneus: pro eo, qui volens ſerviebat, pater aſſertor audiendus erat. *l.* 1. *& ſeqq. ff. h. t.* jure verò novo ſublatâ aſſertione, is qui in poſſeſſione libertatis eſt, ipſe per ſe vel per procuratorem cauſam agit; ſed qui ut ſervus poſſidetur, ad libertatem proclamat. *tit. C. de aſſert. toll.* Nec libertati ullo tempore præſcribitur. *l. ult. de longi temp. præſcr. quæ pro libert. eſt.*

Tit. XIII.
Quibus ad libertatem proclamare non licet.

1. NOn proclamant ad libertatem ſervi, qui dominis erepti per raptorem manumiſſi ſunt. *l.* 2. *ff. h. t.* nec qui ad pretium participandum ſe venundari paſſi ſunt, cùm eſſent annis viginti majores. *l.* 1. *l.* 3. *ff. h. t.* Penes quem autem pendente liberali cauſâ res per eos, de quorum ſtatu agitur, poſſeſſæ ſervari debeant, vide *l. ult. C. h. t.*

Tit. XIV.
Si ingenuus eſſe dicetur.

1. UT de libertate, ſic & de ingenuitate contendi poteſt: quod ferè accidit, ſi quis ab alio tanquam liberto ſuo operas, obſequia, aliáque exigat. Vide *l. ult. ff. h. t.* Si quis ingenui ſtatum paſſim diffamet, quaſi libertus eſſet, diffamatus agit ex *l. diffamari.* 5. *C. de ingenuis.* ad id ut diffamans probet ea, quæ jactavit, vel aliàs perpetuum ipſi imponatur ſilentium. *d. l.* 5.

Tit. XV.

Ne de ſtatu Defunctorum poſt quinquennium quæratur.

QUia patronis ſæpè competit jus ſuccedendi in bona libertorum, hinc frequens poſt alicujus obitum eſt diſceptatio, an libertus fuerit an ingenuus. Qualis quæſtio poſt quinquennium moveri nequit in præjudicium ingenuitatis: ſed ut is, qui credebatur libertinus, pronuncietur fuiſſe ingenuus, etiam poſt quinquennium peti poteſt. *l.* 1. *l.* 3. *ff h. t.* Quinquennium tamen prædictum non pertinet ad eos, qui in fuga latitantes mortui ſunt, de quorum ſtatu perpetuò quæri poteſt. *l. ult. C. h. t.* nec ad emancipationes, utrum rectè factæ ſint, nec ne. *l.* 5. *C. h. t.*

Tit. XVI.

De Colluſione detegendâ.

1. SI Domini aut Patroni colludant cum ſervis aut libertis, quibus ſtatûs controverſiam movent, ut liberi vel ingenui declarentur per Judicis ſententiam, colluſionis pœna eſt, quòd amittant dominium aut jus patronatûs, idque in præmium accedit ei, qui colluſionem detexerit intra quinquennium. *l.* 1. 2. *& paſſim ff. h. t.*

LIBER XLI.

Tit. I.

De acquirendo rerum Dominio.

1. DOminium eſt jus quo res noſtra eſt; & acquiritur vel jure civili. §. 11. *Inſt. h. t.* Jure gentium variis modis, qui tamen ad tria capita commodè reduci poſſunt, puta, ad occupationem, acceſſionem, & traditionem.

2. Occu-

2. Occupatio eſt juſta apprehenſio rerum corporalium, animo domini facta; ad quam refertur venatio, piſcatio, aucupium, locum habens in animalibus quæ nullius ſint, adeóque non in manſuetis. §. 16. *Inſt. h. t. l. 44 ff. h. t.* ſed feris, ut & manſuefactis poſtquam revertendi conſuetudinem amiſerint, ante enim, cum in alicujus ſint dominio, eorum furtum fieret. *l. 8. § 1. ff. famil. erciſc.* §. 15. *Inſt. h. t.* Nec intereſt, in ſuo an in alieno agro aut ſylva circumſepta aut ſtagno vel lacu quis piſcatus aut venatus fuerit, ad id, ut fiat animalis capti dominus, ſive volente ſive invito fundi domino ingreſſus fuerit: manet enim etiam poſt domini prohibitionem fera nullius, atque ita occupanti cedit; qui inde dici nequit malæ fidei poſſeſſor, cùm non teneat rem alienam. §. 12. *Inſt. h. t. arg. l. 3. §. 14 ff. de acquir. poſſeſſ.* quia tamen iniquum eſt, invitis dominis venari in eorum agris. *l. 16. ff. de ſervit. præd. ruſt.* contra ingredientem, domino vetante, prodita eſt domino fundi injuriarum actio. *l. 13. in fin. ff. de injuriis.* Planè in alieno vivario aut piſcinâ venari vel piſcari prohibitum eſt. *d. l. 3. §. 14. ff. de acquir. poſſeſſ.* (I, II, III, IV, V.)

3. Pertinent & ad occupationem ea, quæ ab hoſtibus capta ſunt; capienti enim cedunt. §. 17. *Inſt. h. t.* modò mobilia ſint, & talia quæ jure poſtliminii ad priſtinos dominos non revertuntur; de quibus vide *l. 2. & ſeqq. ff. de capt. & poſtlim.* res enim immobiles capientium non fiunt, ſed jure poſtliminii ad priſtinos dominos revertuntur, vel, ſi nunquam ad cives Romanos pertinuerint; fiſco cedunt, aut militibus conceduntur, aut priſtinis relinquuntur poſſeſſoribus, tributo impoſito: de quibus latiùs egi *tract. de jure militari cap. 5.* (VIII.)

4. Inſuper ad occupationem referenda eſt *inventio*; ad quam non ſufficit, quòd quis rem viderit, ſed neceſſe eſt ut apprehenderit. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. in fin. ff. de acquir. poſſeſſ.* Quæ tamen nec in deperditis locum habet, nec in iis quæ in tempeſtate navis levandæ causâ jacta ſunt, quoties non ſunt projectea perdendi animo. Vide *l. 43. §. 10. 11. ff. de furtis.* §. *pen. & ult. Inſt. h. t.* ſed tantùm in iis, quæ nullius in bonis ſunt; qualia quæ in littore inveniuntur. §. 18. *Inſt. h. t.* & quæ pro derelictis habentur, quæ dominus eâ mente abjecit, ut in numero rerum ſuarum eſſe nolit. §. 46. *Inſt. h. t.* quæ tamen ſi is, qui dominus non eſt, pro derelicto habuerit, non ſtatim occupantis fiunt, ſed uſucapione opus eſt. *l. 4. ff. pro derelicto.* Denique etiam theſaurus: qui eſt vetus depoſitio

pecuniæ,

pecuniæ, cujus memoria non exſtat, ita ut dominum non habeat. *l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* quem ſi quis invenerit ſine artibus magicis in loco proprio vel ſacro, vel religioſo, qui antea privatorum fuerat in dominio, in totum ſibi acquirit: ſin in loco alieno vel fiſci vel Cæſaris, idque non datâ operâ, dimidium ſibi & domino loci vel fiſco dimidium acquirit; ſi datâ operâ, in totum domino theſaurus vel fiſco cedit. §. 39. *Inſt. h. t. l. un. C. de theſaur. l.* 3. *§. pen. ff. de jure fiſci,* in qua *l.* 3. *§. pen.* locus religioſus accipiendus eſt de eo, qui ante ad civitatem aut fiſcum pertinuit & religioſus factus eſt, ut cum *d.* §. 39. conciliari poſſit. (IX, X, XI, XII.)

5. Acceſſio eſt acquirendi dominii modus, quo res alterius fit, quia rebus ejus accedit: in qua non ſpectatur, utra res magis pretioſa ſit; ſed, quid, cujus rei ornandæ gratiâ accedat. *l.* 19. §. 13. *ff. de auro arg. &c. legat.* Et vel naturalis eſt, vel induſtrialis, vel mixta. Ad naturalem pertinent fœtus animalium & partus ancillarum, qui cedunt domino ventris ſeu matris, non patris. *l.* 5. §. 2. *ff. de rei vind.* Pertinet huc etiam alluvio, incrementum nempe latens, quando ita paulatim adjicitur, ut percipi nequeat, quantum quoquo temporis momento accedat. §. 20. *Inſt. h. t.* quæ nec in agris limitatis, nec in lacubus aut ſtagnis locum habet, ſed ſolis fluminibus. *l.* 12. *l.* 16. *ff. h. t.* Alluvioni autem in multis ſimilis eſt avulſio, cum vi fluminis pars terræ avulſa ad alienum defertur agrum; quæ cedit illius agri domino, poſtquam coaluerit. §. 21. *Inſt. h. t.* Quòd ſi cum parte terræ arbores quoque avulſæ radices immiſerint in fundum, cui pars avulſa adjecta erat; atque ita coaluerint, ipſæ quoque jure dominii acquiſitæ cenſentur domino fundi, cui pars avulſa adhæret. *d.* §. 21. *l.* 9. §. 2. *ff. de damno infect. arg. l.* 26. §. 2. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 5. §. 3. *ff. de rei vindic.* Reſp. non directa, ſed utilis tantùm datur arborum vindicatio, quæ & iis competit, qui domini non ſunt; idque ad arborum æſtimationem ex bono & æquo. (XIV, XV, XVI.)

6. Adhæc ad naturalem acceſſionem referenda inſula in flumine (non mari) nata, quæ cedit iis, qui prope ripam prædia poſſident, modò prædia habeant non limitata; nam ſi limitata ſint, inſula occupantis fit. *l.* 1. §. 6. *ff. de fluminibus. l.* 16. *ff. h. t.* §. 22. *Inſt. h. t.* ſi natatilis ſit inſula, fluminis conditionem ſequitur & publica eſt. *l.* 65. §. 2. *ff. h. t.* Quòd ſi uni ripæ ab initio proximior ſit tota inſula, ei ſoli cedit, cujus ripæ proximior eſt. *d.* §. 22. licèt poſtea alluvione accreſcens

creſcens contra frontes ſuperiorum & inferiorum ac è regione prædia habentium proceſſerit. *l. 56. ff. h. t.* (XVII.)

7. Acceſſioni denique naturali annumeranda alvei fluminis mutatio, quæ ſi contigerit, alveus derelictus ad eos pertinet, qui prope ripam prædia habent, & novus alveus ſit juris publici; adeò ut ſi hic rurſus deſeratur, non ad priſtinos redeat Dominos, ſed magis eorum ſit ad quos prædia adjacentia ſpectant. §. 23. *Inſt. h. t.* niſi ita recedat aqua, ut magis inundatio quàm novus alveus eſſe videatur; quo caſu ad priſtinos Dominos revertetur, convenienter *l.* 30. § 3. *ff. h. t.* (adde *l.* 7. §. 5. *ff. h. t.*) non enim inundatione dominium amittitur. §. 24. *Inſt. h. t. l.* 1. §. 5. *ff. de fluminib.* licèt exercitium dominii durante inundatione videatur perire. *l.* 23. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* (XVIII, XIX.)

8. Induſtrialem ad acceſſionem etiam varia reduci poſſunt, puta ſpecificatio, commixtio, confuſio, intextura, implantatio, ſatio, inædificatio, pictura, ſcriptura. Etenim inædificata ſolum ſequuntur. §. 29. 30. *Inſt. h. t.* implantata & ſata fundum, ex quo aluntur *l.* 26. §. 2. *ff. h. t.* unde arbor in confinio poſita quandoque communis eſt, quandoque plantanti ſoli cedit, quandoque ſoli confini qui non plantavit; prout vel omnes radices, vel circiter mediam radicum partem, vel paucas tantùm radices in hunc aut illum fundum egerit. Vide *l.* 6. *ff. arbor. furt. cæſarum. l.* 7. §. *ult. ff. h. t.* §. 32. *Inſt. h. t.* Scriptura chartæ cedit; picturæ tabula. §. 27. 28. *Inſt. h. t.* ſpecificata ſpecificanti, ſi vel partim ex ſua partim ex aliena materia novam ſpeciem fecerit; vel ex aliena materia tantùm, & ſpecies ad priſtinam materiam reduci nequeat: aliàs, ſi ad priſtinam materiam reduci poſſit, ipſi materiæ Domino cederet. §. 25. 27. *Inſt. h. t.* junct. *l.* 25. *ff. h. t.* (XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII.)

9. Ad acceſſionem mixtam fructus pertinent; qui vel naturales ſunt, ſpontè ſine cura & cultura provenientes, vel induſtriales, curâ & culturâ hominum produci ſoliti; *l.* 45. *ff. de uſuris. l.* 48. *ff h. t.* qui tamen aliquando etiam ſub naturalibus continentur, quatenus natura cum induſtria concurrit. *l.* 62. *ff. de rei vind.* vel denique civiles, qui non naturâ ſed jure percipiuntur; ut penſiones, uſuræ, &c. *d. l.* 62. *ff. de rei vind.* Rurſus fructus vel pendentes ſunt, necdum à ſolo ſeparati, qui pars ſoli ſunt & immobilibus accenſentur. *l.* 44. *ff. de rei vind.* vel extantes, qui & percepti dici poſſunt, vel conſumpti, vel percipiendi, qui, licèt percepti non fuerint, ho-

neſtè

neſtè tamen potuerunt percipi. Omnes autem fructus, ſi dominus ipſe perceperit, jure dominii protinus ſuos facit pleno jure & irrevocabiliter: ſin malæ fidei poſſeſſor, nullus facit ſuos aut acceſſionis jure ſibi lucratur, ſed omnes vero domino vindicanti unà cum re ipſâ tenetur reſtituere, naturales & induſtriales, exſtantes & conſumptos, ac percipiendos, exceptis ſolis uſuris percipiendis. *d. l. 62. ff. de rei vind.* Tenetur autem de percipiendis malæ fidei poſſeſſor, quatenus ipſe potuiſſet percipere, licèt fortè dominus non tantùm fuiſſet percepturus. *l. 5. C. de rei vind.* ſi tamen dominus plus potuiſſet percipere quàm poſſeſſor, etiam ad id poſſeſſor condemnabitur. *d. l. 62. §. 1. ff. de rei vind.* At ſi bonæ fidei poſſeſſor ſit, ſolos fructus tempore litis conteſtatæ exſtantes aut poſtea perceptos tenetur reſtituere; non item conſumptos ſive naturales ſive induſtriales, licèt inde locupletior factus fuerit. *l. 48. ff. h. t. §. 2 Inſt. de offic. Judic.* junct. *l. 4 §. 2. ff. fin. regund.* Obſt. reddere tenetur conſumptos, quatenus inde factus eſt locupletior. *l. 25. §. 11. ff. de petit. hæred. l. 1. §. 1. C. eod. l. 3. ff. de condict. indeb.* Reſp. in *d. l. 25. §. 11. & l. 1. §. 1.* agitur de petitione hæreditatis, in qua eſt exceptio, quia fructus augent ipſo jure hæreditatem. *l. 9. C. famil. erciſcund.* & in *l. 3.* non de fructuum ſed rerum principalium reſtitutione quæſtio eſt. Obſt. lucratur tantùm induſtriales. *l. 45. ff. de uſuris, arg §. 35. Inſt. h. t.* Reſp. in *d. l. 45.* agitur quidem de bonæ fidei poſſeſſore, ſed qui titulo caret; adeóque ſingulare eſt: hujuſmodi autem poſſeſſorum exempla alia occurrunt in *l. 13. §. ult. ff. de publician. in rem act. l. 13. §. 1. ff. de petit. hæred. l. 2. C. ſi quis ignor. rem minoris ſine decreto comparav.* & in *d. §. 35.* fructus fiunt bonæ fidei poſſeſſoris *pro cultura & cura* non fructuum, ſed magis fundi: præterquam quòd & fructus naturales culturam deſiderent ad perceptionem. Obſt. etiam fructus necdum conſumptos pleno jure adeóque irrevocabiliter ſuos facit. *l. 28. ff. de uſuris,* Reſp. ibi *pleno jure* fructus dicuntur poſſeſſoris fieri ſolummodo ad excluſionem uſucapionis; ſed id non impedit, quo minùs reſtituendi veniant, ſi adhuc exſtent. (XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII.)

10. Traditio eſt de manu in manum datio, ſeu translatio poſſeſſionis; per quam ut tranſeat dominium, ex parte tradentis adeſſe debet animus transferendi dominii. *§. 40. Inſt. h. t.* & ut tradens dominus ſit, vel ſaltem procurator ejus ad id mandatum habens. *§. nihil 42. & ſeqq. Inſt. h. t.* ut liberam habeat rerum ſuarum adminiſtrationem & alienandi licen-

tiam; & res talis tradatur, cujus dominium transferri pōteſt; ac juſta adſit tradendi cauſa. *l.* 31. *ff. h. t.* ex parte verò accipientis neceſſaria acceptatio: quibus concurrentibus dominium tranſit; nec tunc intereſt, vera fiat traditio, an ficta, veluti brevis manûs traditio, aut ſymbolica, traditis horrei, in quo merces erant reconditæ, clavibus. Vide §. 44. 45. *Inſt. h. t. l.* 74. *ff. de contrah. empt. l.* 14. *in fin. ff. de peric. & commod. rei vend. l.* 1. §. 21. *l.* 18. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Nudâ autem conventione, ſine traditione verâ vel fictâ dominium non transfertur. *l.* 20. *C. de pactis.* (XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII.)

11. *Moribus.* Si quis jus venandi vel piſcandi non habens (utì hoc jus variè limitatum eſt reſpectu perſonarum, modi, temporis, &c.) feram aut piſces ceperit, quod captum eſt, non capienti ſed ſaltuario & ſimilibus cedit. Nec in animalibus manſuefactis admiſſa eſt venatio, veluti falconibus aut accipitribus, licèt revertendi conſuetudinem amiſerint. Non etiam pro derelicto quis habere poteſt agrum, cui cohæret aggeris adjacentis reficiendi onus, niſi ſimul omnia prædia aggeris illius munitioni incluſa derelinquere paratus ſit. Quamvis autem non ſtatim inundatione amittatur dominium, tamen ſi quis toto decennio nullum dominii aut continuatæ poſſeſſionis actum exercuerit in agris inundatis, veluti piſcando ſupra ſuperficiem agri aquis tecti, aut alio modo, dominium amittit. Præterquam quod & Princeps citare poteſt priſtinos prædiorum dominos ut prædia exſiccent; vel iis deficientibus, eos qui jus pignoris habent in agris merſis; quibus etiam ſui copiam non facientibus, quibuſvis aliis eos exſiccandos poteſt concedere.

Cæterùm malæ fidei poſſeſſor, ut fructus reſtituit, ita & impenſas quatenus utiles ſunt, ex æquo & bono recuperat, non modò per retentionem, ſed & per actionem.

TIT. II.

De acquirendâ vel amittendâ poſſeſſione.

1. POſſeſſio, quaſi ſedium poſitio. *l.* 1. *ff. h. t.* eſt detentio rei corporalis animo ſibi habendi: & quidem rei certæ, vel pro indiviſo communis vel partis incertæ in re certâ. *arg. l.* 76. §. 1. *ff. de rei vind.* non item rei planè incertæ, veluti ſi quis poſſidere vellet, quicquid Titius poſſidet. *l.* 3. §. 2. *l.* 26. *ff. h. t.* (I, II.)

2. Eſt autem poſſeſſio vel naturalis vel civilis, idque du-

plici modo; etenim vel *naturalis* dicitur, quæ in facto conſiſtit, dum quis ſuo corpore poſſidet: *civilis* quæ in jure conſiſtit, dum quis animo poſſidet. *l.* 10. *C. h. t.* quâ ratione fieri poteſt, ut duo eandem rem ſinguli in ſolidum poſſideant, unus corpore & injuſtè, veluti clam, alter animo & juſtè. *l.* 6. §. 1. *l.* 7. *ff. h. t. l.* 3. *ff. uti poſſidetis.* at duos eandem rem ſingulos corpore in ſolidum poſſidere, ſive juſtè, ſive injuſtè, id contra naturam eſt, eóque pertinet argumentatio Pauli JCti in *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Vel ſecundò, *civilis* appellatur, quâ quis poſſidet animo domini; quo modo poſſident veri domini ac bonæ fidei poſſeſſores: *naturalis* verò ea, quâ quis rem tenet animo quidem ſibi habendi, ſed abſque opinione domini; quales præcipuè ſunt malæ fidei poſſeſſores vi vel clam poſſidentes. *l.* 6. *ff. h t.* ſic & fructuarii naturaliter poſſident. *l.* 12. *ff. h. t.* & eorum exemplo conductores, commodatarii, precario tenentes; quamvis hi etiam nudi detentores dicantur. *l.* 2. *ff. de rei vind.* (III, IV, V.)

3. Cæterùm vel acquiritur, vel retinetur, vel amittitur poſſeſſio. Acquirunt omnes, qui poſſunt habere poſſidendi animum; ac proinde ipſa municipia non per ſe ſed per ſuos ſervos aut adminiſtratores. *l.* 1. § *ult l.* 2. *ff h. t.* non furioſi, aut infantes: tutor tamen pro infante poteſt acquirere. *l.* 1. §. 20. *ff. h. t.* infans etiam tutore autore, quod ſingulare eſt. *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* infante major etiam ſine tutoris autoritate. *l.* 1. §. 3. *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 3. *C. h t.* Reſp. intelligi poteſt de acquiſitione tutore autore, juxta alias leges: nec huic reſponſo refragatur, quod in *d. l.* 3. *in fin.* demum agatur de acquiſitione tutore autore; nam potiùs ibi tractatur de acquiſitione, quæ fit *per tutorem* pro pupillo, quæ diverſa eſt ab ea, quæ per pupillum tutore autore fit. Filiif. acquirunt patri poſſeſſionem. *l* 4 *ff. h. t.* ſervi domino tantùm ſcienti, non ignoranti. *l.* 44. §. 1. *ff. h. t.* niſi vel ex cauſa peculiari ſervus acquirat poſſeſſionem, vel nomine domini, quibus caſibus etiam ignoranti poſſeſſio acquiri poteſt. *l.* 34 §. *ult. l.* 44. §. 1. *ff. h. t. l.* 31. §. 3. *ff. de uſucap.* Quòd ſi ſervus in fuga ſit, adhuc per eum poſſeſſio acquiritur, quamdiu fugitivus ab alio non poſſidetur. *l.* 1. §. 14. *ff. h. t.* Obſt. *l* 15. *ff de publician. in rem act.* Reſp. agit de naturali ac corporali poſſeſſione, quæ domino per fugitivum acquiri nequit. Sed & per procuratorem poſſeſſio rectè acquiritur. §. *pen. Inſt. per quas perſon. cuique acquir.* Quòd ſi procurator, cui poſſeſſio tradebatur, dixerit ſe eam ſibi velle acquirere, ſibi habe-

bit. *l.* 1. §. 20. *ff. h. t.* ſecus, ſi propoſitum tantùm in mente retineat, nec exprimat, ſe ſibi acquirere, quo ſenſu accipienda. *l.* 13. *ff. de donation.* (VI, VII, VIII.)

4. Acquiritur autem poſſeſſio vel traditione verâ aut fictâ, vel occupatione, vel acceſſione: nec neceſſe eſt, ut ſingulæ rei partes apprehendantur; cùm & unâ tantùm fundi parte apprehensâ totus fundus cenſeatur apprehenſus. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* modò alter qui antea poſſederat, habeat animum amittendæ poſſeſſionis; alioquin, qui ante poſſedit, omnes eas partes retinet, quas alter non occupaverit vel apprehenderit; ut in caſu *l.* 18. §. *ult. ff. h. t.* (IX.)

5. Non tamen ipſo jure acquiritur poſſeſſio, nequidem per hæredem. *l.* 23. *ff. h. t.* nec ſolo corpore, nec ſolo animo, ſed utroque ſimul. *l.* 8. *ff. h. t.* licèt ficta aut ſymbolica traditio & apprehenſio oculis facta etiam corporali apprehenſioni annumeranda ſit; ut & ea, quæ corpore ſeu miniſterio alterius fit. Vide *l.* 1. §. 21. *l.* 11. *pr. &* §. 2. *l.* 51. *ff. h. t. l.* 74. *ff. de contrah. empt. l.* 1. *C. de donat.* (X.)

6. Quòd ſi res incorporalis ſit, non vera ſed quaſi poſſeſſio ejus eſt, in eaque loco traditionis & apprehenſionis eſt patientia & uſus. *l.* 3 *ff. de uſufr.* (XI.)

Retinetur poſſeſſio vel animo & corpore ſimul; vel ſolo animo: adeò ut, licèt alius abſente poſſeſſore clam occupaverit poſſeſſionem, non tamen ante prior poſſidere deſinat, quàm ſi ſciens, alium intraſſe, reverti in poſſeſſionem auſus non fuerit, metuens vim majorem. *l.* 6. §. *ult. l.* 7. *l.* 25. §. 2. *l.* 46. *ff. h. t. l. ult. C. eod.* vel denique animo proprio per corpus alterius, puta coloni, conductoris, procuratoris, fructuarii, commodatarii, &c. *l.* 3 §. 12. *ff. h. t.* ſic ut non amittatur, etiamſi mortui fuerint aut furere cœperint hi, quorum corpore poſſidetur. *l.* 3. §. 8. *l.* 25. §. 1. *ff. h. t.* Quòd ſi colonus aut alius, qui pro alio poſſidet, poſſeſſionem dereliquerit, eámque alius occupaverit, olim quidem poſſeſſor etiam ignorans poſſeſſionem amittebat. *l.* 40. §. 1. *l.* 44. §. *ult. ff. h. t.* ſed jure novo nullum primo poſſeſſori ignoranti per talem deſertionem & occupationem ab alio factam infertur præjudicium. *l. ult. C. h. t.* ſed tantùm ſcienti, & ita poſſeſſionem negligenti. *arg. d. l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. h. t.* (XII.)

7. Quiſquis autem poſſidet, non poteſt, dum poſſeſſionem retinet, ſibi mutare cauſam poſſeſſionis: licèt poſſit poſſeſſionem primam omittere, & incipere rurſus ex nova cauſa poſſidere. *l.* 3. §. 19. *l.* 19. §. 1. *ff. h. t.* (XIII.)

8. Amit-

8. Amittitur poſſeſſio animo & corpore ſimul; non ſolo corpore. *l.* 8 *ff. h. t.* unde & pupillus ſolus ſine tutoris autoritate eam non amittit, licèt corporaliter poſſit deſerere. *l.* 29. *ff. h. t.* Nec ſolo animo ſine corpore. *d. l.* 8. *l.* 153. *ff. de reg. jur.* etiam ſi quandoque ſolo animo in jure noſtro quis dicatur poſſeſſionem amittere. *l.* 4. §. 6. *l.* 18. *l.* 44. §. *ult. ff. h. t.* quatenus nempe vera traditio & deſertio corporalis non intervenit; ut tamen ſemper ficta quæpiam traditio & corporalis deſertio concipienda ſit in *d. ll.* (XV.)

9. Sunt autem varia poſſeſſionis commoda: præterquam enim quod bonæ fidei poſſeſſor fructus lucretur; ut *tit. praced.* dictum, etiam poſſeſſor omnis eo ipſo, quo poſſidet, potior eſt aliis non poſſidentibus in pari cauſa. *l.* 9. §. 4. *in fin. ff. de Public. in rem act.* nec regulariter tenetur edere titulum ſuæ poſſeſſionis. *l.* 11. *C. de petit. hæred.* &, ſi de poſſeſſione dejectus ſit, in continenti rurſus poteſt adverſarium dejicere; aut alioquin petere, ut ſibi ante omnia reſtituatur poſſeſſio; etiamſi prædo eſſet, qui dejectus eſt. *l.* 1. §. 30. 31. *l.* 3. §. 9. *ff. de vi & vi armat. l.* 5. *C. de jure fiſci.* (XVI.)

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 32. *de acquir. & retin. poſſeſſione.*

TIT. III.
De Uſurpationibus & Uſucapionibus.

1. USucapio eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. *l.* 3. *ff. h. t.* Uſucapere poteſt omnis, qui & dominium acquirere; pupillus etiam ſine tutoris autoritate, ſi infante major ſit, & furioſus ea, quæ ante furorem incepit poſſidere. *l.* 4. §. 1. 2. 3. *l.* 44. §. 6. *ff. h. t.* Non tamen is, qui ab hoſtibus captus eſt; adeò ut nec eam uſucapionem, quam ante captivitatem inchoaverat, implere poſſit poſtquam redierit. *l.* 15 *ff. h. t. l* 12. §. 3. *ff. de captivit. & poſtlim.* ſed ſi ſervus ejus, qui apud hoſtes eſt, in urbe remanſerit, & poſſeſſionem rei ex cauſa peculiari nactus ſit, eam uſucapere poteſt; ſive ante domini captivitatem ſive durante eâ poſſidere cœperit: ſi verò non ex cauſa peculiari, cœptam quidem ante captivitatem domini uſucapionem implere poteſt; at captivitate durante, non poteſt eam de novo inchoare, niſi dominus apud hoſtes moriatur; quo caſu hæredibus prodeſſet medii temporis poſſeſſio ad uſucapionem. *d. l.* 12. §. 2. *de capt. & poſtl.*

poſtl. l. 44. §. *ult. ff. h. t.* adde *l.* 15. *ff. h. t.* ubi in fine principii delendam eſſe particulam *non* ſuadent verba antecedentia. (I, II.)

2. Ad uſucapionem autem requiruntur præcipuè, juſtus titulus, bona fides; res non vitioſa, continuata poſſeſſio, & tempus lege definitum. (III.)

3. Juſtus titulus eſt cauſa habilis ad dominium transferendum, ut emptio, &c. eúmque oportet verum eſſe, non putativum; cùm falſa cauſa uſucapionem non pariat. *l.* 27. *ff. h. t.* §. 11. *Inſt. h. t.* niſi vel agatur de ſervitutum præſcriptione, ubi bona fides ſufficit. *l.* 10. *ſi ſervit. vind.* vel juſtus ſit error facti, *l.* 11. *ff. pro emptore.* Planè juris error obeſt uſucapioni. *l.* 31. *ff. h. t.* (IV.)

4. Si alius fingatur titulus, alius verè ſubſit, veluti ſi quis fingat ſe vendere, & donet, uſucapio magis ex titulo, qui verè ſubeſt, perficitur. *l. ult. ff. pro donato.* ſecus, ſi quid fingatur ſubeſſe, & tamen nec illud quod fingitur nec aliud agatur; tunc enim, cùm titulus deficiat, non procedit uſucapio. *arg. tit. C. plus valere quod agitur, &c.* (V.)

5. Bona fides eſt, non habere conſcientiam rei alienæ. *l.* 109. *ff. de verb. ſignif.* eámque ſufficit adeſſe ab initio, id eſt, traditionis tempore, exceptâ emptione, in qua & contractûs & traditionis tempore bona fides exigitur. *l.* 48. *ff. h. t.* Mala fides ſuperveniens jure civili uſucapionem non interrumpit. *l.* 4. §. 18. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 23. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* Reſp. ibi non de implenda uſucapione, ſed lucrandis per poſſeſſorem fructibus agitur. Adde *l.* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* (VI, VII, IX, X.)

6. Res vitioſa hìc dicitur omnis illa, quæ nequit uſucapi: quales ſunt res commerciis hominum exemptæ, ſacræ, ſanctæ, religioſæ, &c. §. 1. *Inſt. h. t.* res fiſci aut Principis. §. 9. *Inſt. h. t.* *arg. l.* 6. §. 1. *ff. de jure fiſci.* ſervi fugitivi. *l.* 1. *C. de ſervis fugit.* res pupilli. *l.* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* Obſt. *l.* 4. §. 11. *ff. h. t.* *l.* 7. §. 3. *ff. pro emptore.* Reſp. ibi tantùm quæritur, an, & quomodo vitium in re pupillari furtiva purgetur, ut aliquando res talis uſucapi poſſit; ſed non aſſeritur, præcisè durante adhuc ætate impubere eam poſſe uſucapione acquiri. Obſt. *l.* 45. *ff. de minor.* Reſp. ibi caſus ſingularis eſt, quo inchoata erat uſucapio contra patrem, & perfecta antequam pupilus naſceretur. Obſt. *l.* 2. §. 15. *ff. pro emptore.* Reſp. ibi pupillus vendiderat rem alienam, quæ uſucapi per emptorem potuit. Pertinent huc denique res fur-

furtivæ aut vi poſſeſſæ. §. 2. 3. *Inſt. h. t.* niſi vitium ſit purgatum. §. 8. *Inſt. h. t.* quod fit, ſi ad dominum, vel tutorem aut curatorem domini, hoc non ignorantem, res redierit, ſic ut avelli nequeat; vel ſi rediiſſe fingatur, dum fortè dominus nactus eſt rei æſtimationem. *l.* 4. §. 6. 11. 12. *ff. h. t. l.* 84. 86. *ff. h. t.* Et ſi commodatario ac ſimilibus res erepta ſit, neceſſe eſt, ut ad dominum (non commodatarium, &c.) reverſa fuerit. *d. l.* 4. §. 6. *ff. h. t.* niſi ipſe dominus debitor rem pignori datam ſurripuerit, quo caſu ad creditorem debet rediiſſe; alioquin in ejus præjudicium non poſſet uſucapi. *l. ult. ff. h. t.* licèt uſucapio in præjudicium debitoris ſurripientis procedat; quippe cujus reſpectu non videtur eſſe furtiva, ſed tantùm intuitu creditoris, cui furtum factum eſt. *l.* 5. *ff. pro emptore. l.* 4. §. 21. *ff. h. t.* (XI, XII, XIII, XIV.)

7. Partum ancillæ furtivæ quod attinet, ſi is conceptus & editus ſit apud furem, vel conceptus apud furem & editus apud bonæ fidei poſſeſſorem, uſucapi nequit. *l.* 12. *C. de furtis. l.* 10. *in fin. ff. h. t. l.* 48. §. 5. *ff. de furtis.* ſin apud bonæ fidei poſſeſſorem & conceptus ſit & editus, poſſeſſor ipſe & is in quem alienavit; partum rectè uſucapit, ſi modò ante partum editum ignoraverit, ancillam furtivam eſſe. *l.* 4. §. 18. *l.* 33. *ff. h. t. d. l.* 48. §. 5. *ff. de furtis.* adhibitâ tamen diſtinctione ex *l.* 4. *ff. pro ſuo.* Obſt. *l.* 44. §. 2. *ff. h. t.* Reſp. ibi non agitur de ancilla furtiva, ſed ea, quam quis ſimpliciter alienam eſſe cognoverat: Obſt. *l* 4. §. 15. *ff. h. t.* Reſp. in furis hærede eſt exceptio, quod uſucapere nequeat, quia ſuccedit in vitia defuncti. *d. l.* ſed id non impedit, quominus tertius, in quem hæres furis in bona fide conſtitutus partum tranſtulit, eum uſucapiat. *arg. l.* 33. *ff. h. t.* (XV.)

8. Continuata poſſeſſio appellatur, quæ non eſt interrupta: ut tamen aliquando &, quæ verè interrupta eſt, continuata fingatur: quod fit inter defunctum & hæredem, venditorem & emptorem, alióſque ſimiles ſucceſſores univerſales aut particulares. modò ſucceſſor particularis ipſe quoque in bona fide ſit; quod in univerſali ſucceſſore non eſt neceſſe, ſed defunctum bonam habuiſſe fidem ſufficit. §. 12. *Inſt. h. t. l.* 13. *paſſim ff. de acquir. poſſeſſ. l.* 5. *de diverſ. temp. præſcript.* unde & jacente hæreditate impleri poteſt uſucapio. *l.* 40. *ff. h. t.* (XVI.)

9. Quòd ſi poſſeſſio interrupta fuerit, inchoanda eſt de

novo uſucapio, non modò contra interrumpentem, ſed & contra quoſvis alios, ſi naturalis ſit interruptio. *l. 5. ff. h. t.* etiam vel naturaliter interrumpitur poſſeſſio, ablatione rei. *d. l. 5.* vel civiliter per litis conteſtationem aut querelam libello contra abſentes apud præſidem alióſque factam. *l. 2. C. de annal. except. junct. l. unic. C. de uſucap. transform.* (aliter quàm jure veteri fortè obtinuit. *l. 2. §. ult ff. pro emptore. l. 9. §. 6 ff. ad exhibend.*) modò ſuccumbat poſſeſſor; nam ſi vincat, continuatur poſſeſſio, & impletur pendente lite uſucapio, ac alioquin res inter alios judicata aliis proſit. Quòd ſi lis indeciſa maneat, loco uſucapionis ſuccedit præſcriptio annorum quadraginta, computandorum à noviſſimis actis, ex quo utraque pars ceſſavit. *l. ult. C. de praſcript. 30. vel 40. annor.* (XVII, XVIII, XIX, XX.)

10. Tempus lege definitum in uſucapione ex jure novo eſt triennium in mobilibus. *pr. Inſt. h. t.* etiam ſervis. *arg. l. 2. C. in quib. cauſ. ceſſat longi temp. praſcript.* Obſt. *l. 3. l. 9. ff. de diverſ. temp. praſcript.* Reſp. leges illæ admittunt quidem longi temporis præſcriptionem, ſed temporis brevioris uſucapionem non excludunt. In immobilibus decennium eſt inter præſentes, inter abſentes vicennium. *d. pr. Inſt. h. t.* ſi quis pro tempore præſens, pro tempore abſens fuerit, tempori abſentiæ adjicitur decennium. *Nov. 119. c. 7.* & in hiſce omnibus ultimus anni poſtremi dies cœptus habetur pro completo. *l. 6. 7. ff. h. t.* Præſentes autem in hac materia ſunt, qui in eadem Provincia domicilium habent; abſentes, qui in diverſis. *l fin. verſ. ſancimus. C. de longi temp. praſcr.* Triginta tamen anni deſiderantur in caſu *Nov. 119. c. 7. in fin.* (XXI.)

11. Sunt autem plurimi uſucapionis juſti tituli. Primus eſt *pro ſoluto*, quando quis vel rem alienam ex cauſa debiti ſibi ſolutam, vel rem ſolutam ut debitam, cùm debita non eſſet, uſucapit. *l. 46. 48. ff. h. t.* (XXII.)

12. *Moribus.* Uſucapio triennii, decennii vel vicennii non ita recepta eſt, ut de Jure Romano; ſed magis in pleriſque negotiis obtinuit præſcriptio triginta annorum, vel tertiæ partis annorum centum.

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 30. communia de uſucap. tit. 31. de uſucap. transformanda, &c. tit. 33. de praſcript. longi temp. decem vel viginti annor. tit. 34 in quib. cauſ. ceſſat longi temp. praſcript. tit. 35. quib. non obiicit. longi temp. praſcr tit. 36. ſi adverſ. cred. praſcript. oppon. tit. 37. de quadrienn. praſcript. tit. 38. ne rei domin.*

min. vel templor. vind. temp. præſcript. ſubmov. tit. 39. de præſcr. 30. vel 40. annor.

TIT. IV.

Pro Emptore.

1. PRo *emptore* uſucapit, qui vel reverà rem à non domino purè (non ſub conditione) emit, vel litis æſtimationem ſolvit. *l.* 1. *l.* 2. §. 2 *ff. h. t.* éſtque ſingulare, quòd hic bona fides & contractûs & traditionis tempore adeſſe debeat. *l.* 48. *ff. de uſucap.* Obſt. *l.* 10. *ff. eod.* Reſp. ſubintelligenda eſt particula *etiam*, ac ſi diceret; *obtinuit ſententia*, etiam *traditionis tempus ſpectandum eſſe.* (1, 11.)

∴* Adde *ex Cod, libr. 7. tit. 26. de uſucap. pro emptore.*

TIT. V.

Pro Hærede vel pro Poſſeſſore.

1. PRo *hærede* hìc poſſidet, qui jure civili; *pro poſſeſſore*, qui jure prætorio hæres eſt. Et hi poſſunt uſucapere res in hæreditate repertas, quas putabant eſſe defuncti; cùm ejus non eſſent. *l.* 3. *ff. h. t.* quòd verè hæredes non ſint, ſed putent ſe hæredes eſſe, ipſam quidem hæreditatem vel res ejus, cui ſe ſucceſſiſſe putabant, rectè pro hærede uſucapiunt. *l.* 33. §. 1. *ff. de uſucap.* cùm & putativus hæres titulum habeat, licèt putativum. *l.* 11. *C. de petit. hæred.* at res alienas in hæreditate repertas hæredes putativi non uſucapiunt; ſed hæ magis per eos uſucapiuntur ſolos, qui verè hæredes ſunt, juxta *d. l.* 3. *ff. h. t.* cui non obſtat *l.* 11. *ff. de diverſ. temp. præſcript.* agit enim de caſu, quo defunctus fuit *in mala fide & vitio*, dum alienas res poſſedit tamquam ſuas; tunc enim verum eſt, vitium defuncti ad hæredem tranſire: ſed ſi defunctus ſimpliciter poſſederit rem commodatam vel depoſitam, &c. quà talem, & non animo ſibi habendi, non eſt in vitio, aut malâ fide poſſidet: cùm ergo hoc poſteriore caſu nullum ſubſit defuncti vitium, etiam non poteſt vitium ad hæredem tranſire, aut uſucapionem per hæredem, quà talem, primitus inchoandam impedire. Obſt. *l.* 4. *C. de longi temp. præſcript.* Reſp. ſola diutina poſ-

ſeſſio obtenta jure ſucceſſionis non ſufficit ad uſucapionem aut præſcriptionem implendam, niſi alia concurrant requiſita; veluti bona fides, res non vitioſa & ſimilia. Obſt. *l.* 1. *C. h. t. de uſucap. pro harede.* Reſp. verba illa, *cùm pro harede uſucapio locum non habeat*; idem ſignificant, ac ſi Imp. dixiſſet, *quando pro harede uſucapio locum non habet*, fortè deficiente bonâ fide aut alio requiſito, eodem modo, quo verba *cùm ſciat* denotant quando ſcit, ſeu, eo caſu quo ſcit. in *l.* 43. §. 11. *ff. de furtis.* Obſt. *l. ult. C. h. t.* Reſp. agit de caſu, quo defunctus in mala fide conſtitutus voluit tamen uſucapere, & aſſeritur, *talem uſucapionem non pracedente vero titulo procedere non poſſe, nec prodeſſe neque tenenti, neque haredi ejus*, adeóque hæredem non poſſe excludere domini intentionem, *ſub obtentu quod velut ex hareditate eſſet*, id eſt, jam à defuncto uſucaptum, *quod alienum fuit*, id eſt, quod reverà non fuit uſucaptum, juxta §. *diutina.* 12. *Inſt. de uſucap.* (1, 11.)

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 29. *de uſucap. pro harede.*

Tit. VI.

Pro donato.

1. PRo *donato* uſucapit, cui res aliena donationis causâ eſt tradita. *l.* 1. *ff. h. t.* licèt titulus alius fortè fingatur, velut emptiois. *l. ult. ff. h. t.* modò valeat donatio: ſi enim ipſo jure nulla ſit, pro donato non procedit uſucapio. *l.* 1. §. 1. *l.* 3. *ff. h. t.* Si res aliena mortis causâ donata ſit, donatarius eam quidem contra dominum uſucapit; ſed ipſe donans uſucaptam adhuc revocare poteſt quamdiu vivit. *l.* 53. *ff. de mort. cauſ. donat.* (1, 11.)

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 27. *de uſucap. pro donato.*

Tit. VII.

Pro Derelicto.

1. PRo *derelicto* uſucapit, qui *rem* à non domino verè derelictam poſſidet, putans eam à vero domino derelictam eſſe. *l.* 4 *ff. h. t.* non ille, qui putat rem eſſe pro derelicto habitam, cùm non eſſet derelicta; ſed fortè deperdita. *l.* 6. 7. *ff. h. t.*

Tit. VIII.
Pro Legato.

1. PRo *legato* ſoli illi uſucapiunt, cum quibus eſt teſtamenti factio. *l.* 7. *ff. h. t.* quoties res aliena ipſis legata ac tradita & bonâ fide accepta eſt: ut &, ſi res quidem ſit teſtatoris propria, & tradita tanquam legata, ſed ex imperfecto teſtamento, vel codicillis adempta ſit. *l.* 4. *l. ult. ff. h. t.* Ut &, ſi teſtator *Titio* legaverit, ac duo ſint *Titii*, ſic ut planè dubium ſit, quis à teſtatore deſignatus ſit, & tamen hæres uni ſolverit; licèt enim neutri teneretur ſolvere propter incertitudinem. *l.* 10. *pr. ff. de rebus dubiis,* is tamen, cui ſolvit, pro legato uſucapit. *d. l.* 4. *ff. h. t.* (1, 11.)

Tit. IX.
Pro Dote.

1. PRo *dote* uſucapit maritus, cui res aliena in dotem data eſt: ſi modò matrimonium ſit, quippe ſine quo nec dos nec pro dote uſucapio eſt. *l.* 1. §. 2. 3. *ff. h. t.* Ante matrimonium ſi dos data ſit, ſi quidem æſtimata, ſponſus nec pro dote nec pro ſuo uſucapit. *l.* 2. *ff. h. t.* ſin inæſtimata, incipit pro ſuo uſucapere ante matrimonium; niſi eo animo data ſit, ut non ante fiat accipientis, quàm cùm nuptiæ celebratæ fuerint. *l.* 1. §. 2. 3. *ff. h. t.* (1, 11.)

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 28. *de uſucap. pro dote.*

Tit. X.
Pro ſuo.

1. PRo *ſuo* titulus eſt generalis; quoties quis rem poſſidet ut ſuam, quæ erat aliena. *l.* 1. *ff. h. t.* quandoque tamen ſpecialis eſt; quando nempe cum titulis aliis non concurrit: quod evenit in ſponſo reſpectu dotis ante nuptias. *l.* 1. §. 2. *ff. pro dote.* & ſi quis in mari vel cœlo quid occupaverit venatione alióve modo, tamquam nullius, cùm eſſet alicujus. *l.* 2. *ff. h. t.* (1, 11.)

LIBER

LIBER XLII.

TIT. I.

De re judicatâ & de effectu ſententiarum, & de interlocutionibus.

1. RES judicata eſt, quæ finem controverſiarum pronuntiatione Judicis accepit, abſolutione vel condemnatione. *l.* 1. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Sententia autem, quâ per Judicem fit controverſiæ determinatio, vel interlocutoria eſt, vel definitiva. Interlocutoria eſt pronunciatio de plano, ſuper incidenti aliquo in principio vel medio litis facta, cauſam principalem non plenè determinans. *l.* 14. *ff. h. t. l.* 7. *C. de ſentent. & interloc. arg. l.* 1. §. 1. *ff. de conſtit. princip.* Quæ tamen quandoque vim quandam habet definitivæ, veluti, ſi Judex decernat, quæſtiones eſſe adhibendas. *l.* 2. *de appell. recip. vel non.* Si deferat actori vel reo juſjurandum, juxta *l.* 31. *ff. de jurejur.* Si jubeat in arbitrariis quibuſdam judiciis rem reſtitui vel exhiberi. *l.* 18. *ff. de dolo. l.* 14 §. 1. 4. *ff. quod met. causâ.* §. 27. *Inſt. de action.* (IV.)

3. Definitiva ſententia eſt, quâ tota lis dirimitur: quæ ut valeat, varia requiruntur; puta; ut lata ſit à Judice competente, de quo *vide tit. de judiciis.* & quidem præſentibus omnibus, qui judicare juſſi ſunt: uno namque abſente, nulla eſt ſententia, licèt præſentes cæteri ſimul conſenſerint in judicando. *l.* 37. 39. *ff. h. t.* adde *l.* 17. § *ult. l.* 18. *ff. de recep. qui arbitr. recep.* Quòd ſi, cùm omnes præſentes eſſent, inter ſe diſſentiant, ſententia majoris partis rata eſt. *d. l.* 39. Si pares utrimque numero diſſentiant, ſtandum eſt ſententiæ magis favorabili, qualis, quæ pro libertate, pro dote, pro reo eſt. *l.* 38. *ff. h. t. l.* 70. *ff. de jure dot.* niſi Judices dati judicent; tunc enim in pari diſſidentium numero prævalet ſententia, quam is, qui Judices dedit, confirmaverit. *l.* 28. *ff. h. t.* (XVII, XVIII.)

4. Requiritur quoque, ut ſcribatur non notis ſed plenis literis,

literis, & ita ſcripta ex periculo recitetur. *tot. tit. C. de ſentent. ex peric. recit.* die non feriato. *l.* 4. *C. quomodo & quand. jud. ſent. prof. deb.* adde *tit. de feriis*, partibus præſentibus, aut per contumaciam abſentibus, ſive rei ſint, ſive actores. *l.* 73. *ff. de judic. l.* 47. *ff. h. t.* (XVIII.)

5. Neceſſe inſuper eſt, ut feratur purè, non ſub conditione; quæ ſi adjecta ſit, pro non ſcriptâ habetur. *l.* 1. §. 5. *ff. quand. appell.* inter eos ipſos, inter quos facta fuit litis conteſtatio, ſive pro ſe ſive procuratorio nomine litem conteſtati ſint. *l.* 1. *C. de ſentent. & interloc.* Idque ſecundùm leges: nam ſi directò contra leges ſit, ipſo jure nulla eſt. *l.* 1. §. 2. *ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind.* Ut & conformiter libello, niſi plus petitum ſit: quo caſu olim actor cauſâ cadebat; jure novo aliter coërcetur, juxta §. 33. *Inſt. de action.* paucis caſibus exceptis, quibus & ex jure poſteriori actus plus petens cauſâ cadit; puta, ſi dolosè ſyngrapham exegerit majoris quantitatis quàm quæ debetur. *l. ult. C. de plus petit.* ut &, ſi plus petat, quo adverſarium ad Judicem majorem vocare poſſit, *Nov.* 15. *c.* 4. niſi quis *d. c.* 4. malit explicare de litis impenſis. [XIX.]

6. Denique deſideratur, ut certa ſit ſententia, vel per ſe vel per relationem ad aliud: litem finiens, dubiam non relinquens. *l.* 5. §. 1. *l.* 59. *pr.* & §. 1. 2. *ff. h. t.* ut tamen incerta quodammodo ſententia ferri poſſit, ſi vel res in genere ſit debita, vel duæ res alternativè. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* [XX.]

7. Sententiæ rectè latæ effectus eſt, quòd firma maneat, nec per Judicem, qui eam tulit, revocari vel mutari poſſit. *l.* 14. 55. 62. *ff. h. t. l.* 1. *C. ſentent. reſcind. non poſſ.* nec propter inſtrumenta noviter reperta reſcindi; niſi vel cauſa ſit publica. *l.* 35. *ff. h. t.* vel lata ſit ex jurejurando per Judicem delato. *l.* 31. *ff. de jurejur.* vel dolo adverſarii factum ſit, quo minus inſtrumenta ante ſententiam reperta aut producta fuerint. *arg. l.* 19. *C. de tranſact.* vel denique poſterius teſtamentum fuerit inventum, quo continetur mutata defuncti voluntas. *arg. l. ult. C. de reb. cred. l.* 3. §. 1. *ff. de tranſact.* [XXVII, XXVIII.]

8. Poſſunt tamen ea, quæ in ſententia obſcurè ſunt poſita, explicari. *arg. l.* 46. *ff. h. t.* & ſuppleri eodem die, quo lata eſt, omnia ea, quæ ad conſequentiam ſententiæ pertinent. *l.* 42. *ff. h. t.* veluti de impenſis litis, in quas victus ſolus condemnandus eſt. §. 1. *Inſt. de pœna temerè litig.* niſi victor ſit is, qui per contumaciam abſens fuit; hic enim, non obſtante victoriâ, in pœnam contumaciæ ad ferendas litis expenſas damnatur.

natur. *l.* 13. §. 2. *in med. C. de judiciis.* Quid; quòd & ſententia reſcindi poſſit, ſi ex falſis inſtrumentis aut teſtimoniis lata fuerit. *l.* 33. *ff. h. tit. C. ſi ex falſ. inſtrum. ſeu teſtim. judicatum ſit.* (XXI, XXVIII.)

9. Eſt & effectus ſententiæ, quòd poſt decem dies tranſeat in rem judicatam, ſi non appellatum fuerit; quódque jus faciat inter litigantes; non inter alios, paucis caſibus exceptis. *l.* 63. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de pign. & hypoth. tit. C. inter alios act. vel judic. aliis non nocere. l.* 2. *C. quib. res jud. non nocet.* Unde reo quidem victori exceptio rei judicatæ competit, de quâ *libr.* 44 actori verò vincenti rei judicatæ actio; quæ ſtatim à latâ ſententiâ datur in actionibus in rem, & iis, quibus reſtitutio rei aut exhibitio petititur; poſt menſes quatuor in pleriſque in perſonam actionibus. § 2. 3. *Inſt. de offic. Jud. l.* 2. 3. *C. de uſuris rei judic.* contra condemnatum, etiam pupillum aut minorem, cujus tutor aut curator condemnatus eſt. *l.* 2. *ff. de admin. tut.* non contra procuratorem, niſi is fuerit procurator in rem ſuam, aut ſine mandato ſe obtulerit. *l.* 61. *ff. de procurat. l.* 4. *ff. h. t.* Quòd ſi plures unâ ſententiâ condemnati ſint, contra ſingulos pro ratâ danda hæc actio, nec unius inopia cæteros onerat: niſi res individua ſit condemnatione comprehenſa, vel id expreſſum, ut cæteri præſtent quod ab aliis haberi nequit. *l.* 1. 2. *C. ſi plures unâ ſentent. condemn. ſint.* (XXIX, XXX, XXXI, XXXII.)

10. Tendit hæc actio ad id, ut executioni mandetur ſententia: in quâ executione id obſervandum, ut priùs capiantur & diſtrahantur mobilia condemnati bona, dein immobilia, tandem incorporalia. *l.* 15. *ff. h. t.* Si bona omnia condemnati non ſufficiant, condemnatus carceri mancipatur, ab actore tenuiter alendus; niſi bonis ceſſerit. *l.* 1. *C. qui bon. ced. poſſ.* vel competentiæ gaudeat beneficio; vide *l.* 173. *R. J. l.* 19. §. *ult. ff. h. t.* quales ſunt milites, donatores contra donatarios, ſocii contra ſocios, parentes & patroni contra liberos, & libertos, maritus & uxor reſpectu dotis reſtituendæ vel dandæ. *l.* 16. *& ſeqq. ff. h. t.* ut & pater mulieris, qui dotem pro eâ promiſit, ſi maritus ſtante matrimonio dotem exigat, non item ſi eo ſoluto. *l.* 21. 22. *ff. h. t.* Si tamen pater dolo dotem majorem promiſerit pelliciendi generi causâ, cùm ſciret ſe eam præſtare non poſſe, etiam ſtante matrimonio in ſolidum tenetur. *l. pen. ff. de jure dot.* (XLI, XLII, XLV, XLVI.)

11. *Moribus.* Sententia non in procuratorem ſed dominum fertur, & neceſſe non eſt ut litigantes tempore recitandæ

ſenten-

ſententiæ præſentes ſint. Si quis plus petierit, in expenſas plerumque condemnatur, nec ultra obtinent de cætero pœnæ plus petentium Jure Romano notæ. Quamvis autem & hodie judicati exſequendi causâ bona pignori capiantur, non tamen eo præcisè ordine ſervato, qui jure civili obtinuit, ſed magis ea capiuntur, ex quibus facillimè pecunia poteſt confici. Nec datur in actione perſonali menſium quatuor dilatio à latâ ſententiâ, ſed quandoque reo petenti modicum tempus arbitrio Judicis conceditur. Cæterùm executioni mandantur ſententiæ per executores mandato Judicis inſtructos; quo ſi careant, impunè eis reſiſti poteſt: inferiorum tamen Judicum ſententiæ intra annum, Curiæ Provincialis intra quinquennium, Supremæ verò Curiæ ſententiæ intra decennium executioni mandandæ ſunt, alioquin eo tempore elapſo nova executio à Judice decernenda foret citatâ adversâ parte.

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 52. *de re judicatâ. tit.* 43. *quomod. & quand. jud. ſentent. proſ. deb. tit.* 44. *de ſent. ex peric. recit. tit.* 45. *de ſent. & interloc. omn. jud. tit.* 46. *de ſent. quæ ſine certâ quant. tit.* 47. *de ſent. quæ pro eo quod intereſt fer. tit.* 49. *de pœn. jud. qui male judic. tit.* 50. *ſent. reſcindi non poſſe. tit.* 51. *de fruct. & lit. expenſ. tit.* 53. *de execut. rei jud. tit.* 54. *de uſur. rei jud. tit.* 55. *ſi plures unâ ſent. condemn. tit.* 56. *quib. res jud. non noc. tit.* 58. *ſi ex falſ. inſtr. judicat. ſit. tit.* 60. *inter alio acta vel jud. aliis non nocere.*

TIT. II.
De Confeſſis.

1. CONfeſſio eſt qualiſcunque contra ſe pronuntiatio, & vel expreſſa eſt, quæ verbis aut ſcripturâ fit, vel tacita quæ ex facto colligitur, veluti ex tranſactione ſuper delicto privato. *l.* 5. *de his qui not. infam.* quandoque etiam ex taciturnitate, quoties ſilet is qui reſpondere tenebatur, & confeſſio tacenti eſſet nocitura; de quo ad *tit. de interrog. in jure faciend.* (1.)

2. Eſt vel judicialis, quæ in jure aut judicio coram Judice vel Magiſtratu competente fit; vel extrajudicialis. Judicialis confeſſionis effectus eſt, quod confeſſus pro judicato habeatur; ſic ut non ulterior indagatio, ſed ſola ſententia deſideretur. *l.* 1. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 5. *ff de cuſtod. & exhib. reor.* modò conſtet, id ipſum, de quo quis fatetur, veluti furtum, homicidium

micidium, &c. perpetratum eſſe. *l. 23. §. ult. l. 24. l. 25. ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. 17. 27. ff. de quæſtion.* & quis de ſuo, non alieno facto, confiteatur. *l. fin. C. de accuſ. arg. l. 9. §. 3. l. 19. ff. de interrog. in jure faciend.* contra ſe, non pro ſe: *arg. l. 5. C. de probat.* ex liberâ voluntate, non per vim vel metum, aut tormenta. *l. 1. §. fin. ff. de quæſtion.* nec per errorem, niſi error juris ſit. *l. 2. ff. h. t.* nec per fervorem quendam aut calorem iracundiæ. *arg. l. 48. ff. de reg. jur.* Modò inſuper confeſſio certa ſit, non vaga; licèt confeſſus teneatur incertam declarare. *l. 6. pr. & §. 1. ff. h. t.* & fiat præſente ac acceptante adverſario vel procuratore ejus. *l. 6. §. 3. ff. h. t.* per eum, qui plenum habet judicium; nam ſi pupillus confeſſus ſit, ſine tutore, confeſſio nulla eſt; ſi minor ſine curatore, reſtituitur in integrum. *l. 6. §. 5. ff. h. t.* Cæterùm procuratoris, tutoris, curatoris, actoris, ſimiliúmque confeſſio perperam emiſſa, pupillo, minori aut domino non nocet. *l. 6. §. 4. ff. h. t.* ſed magis ipſis confitentibus. *l. 25. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Quòd ſi advocatus quid per errorem confeſſus ſit, cliens præſens intra triduum, abſens uſque ad ſententiam poteſt corrigere. *l. 3. C. de error. advoc.* (II, III, IV, V, VI, VII.)

3. Extrajudicialis confeſſionis non tanta vis eſt, nec confeſſus pro judicato habetur; ſed tantùm præſumptio vel gravior vel levior pro circumſtantiarum diverſitate contra confitentem naſcitur, & revocari poteſt uſque ad litem conteſtatam. *arg. l. 26. §. 5. ff. de noxal. act.* niſi in ſcriptis facta ſit, quæ firmior eſt & ſemper acceptari poteſt: vel niſi in teſtamento aut mortis articulo facta fuerit, quæ plenum plerumque ſortitur effectum. Vide *l. 4. C. de falſa cauſ. adject. legato. l. 2. ff. ad Senatuſc. Silan. l. 93. §. 1. ff. de legat. 3. l. 28. §. pen. & ult. ff. de liberat. legata.* (VIII, IX.)

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 59. de confeſſis.*

TIT. III.

De Ceſſione bonorum.

1. CEſſionis beneficium flebile ac miſerabile, non facilè cuiquam denegandum; licèt fortè ei renunciaverit, vel ſe ſoluturum juraverit, vel reſcriptum moratorium ante impetraverit; cùm inopia ei impoſſibilem faciat ſolutionem, & hæc omnia egerit ſpe melioris fortunæ. quin imò nec hoc beneficio privandus eſt, qui ſe primò debitorem negavit; cùm

cùm nuſpiam inveniatur propoſita hæc mendacii pœna. (I, II, III.)

2. Non tamen cedere bonis poteſt, qui ad pœnam pecuniariam condemnatus eſt ex delicto; quippe qui ſi in ære non habeat, in pelle luit. *l. pen. ff. de in jus voc. l. 7. §. 3. ff. de juriſd. l. 1. §. ult. ff. de pœnis.* nec qui dolo malo in fraudem creditorum bona diſſipavit. *l. 51. ff. de re judic. arg. l. ult. in fin. ff. quæ in fraud. cred. fact. ſunt. ut reſt. l. 63. §. 7. ff. pro ſocio.* nec qui dolosè corradendo ac ſubtrahendo in fugam ſe conjecit. *arg. l. pen. in fin. ff. de jure dot.* (V.)

3. Cedere autem quis poteſt bonis vel in jure vel extra jus, præſens vel abſens per epiſtolam. *l ult. ff. h. t.* & cedendo nihil ſibi retinet præter veſtem quotidianam honeſtatis causâ: adeò ut & feudorum, emphyteuſios, uſusfructûs, ac rerum ex fideicommiſſo reſtituendarum commoditas ad creditores transferatur. *arg. l. 69. §. 1. ff. de legat. 2. l. 8. ff. de reb. aut. jud. poſſid.* quorum tunc eſt, omnia ex ceſſione quæſita diſtrahere; non enim ea inter ſe poſſunt dividere & jure dominii retinere. *l. 4. C. h. t.* Si tamen is, qui bonis ceſſit, iiſdem necdum diſtractis, pœnitentiâ ducatur, bona recuperat, ſi modò creditoribus ſatisfacere paratus ſit. *l. 3. l. 5. ff. h. t. l. 2. C. eod.* (VI, VII, VIII, IX.)

4. Effectus ceſſionis eſt, quòd à carceris pœnâ cedentem liberet. *l. 1. C. h. t.* & debitum ipſum non tam extinguat quàm potiùs ſuſpendat; unde ſi cedens poſtea ad meliorem fortunam reverſus fuerit, adhuc ad ſolvendum compelli poteſt, gaviſurus tamen competentiæ beneficio, ſic ut modicum poſt ceſſionem acquiſitum ei non auferatur. *l. 4. 6. 7. ff. h. t.* (IV, VIII.)

5 Non tamen ceſſio cedentem notat infamiâ juris. *l. 11. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* licèt ejus fama gravetur quodammodo apud viros honeſtos, adeóque ceſſioni bonorum quædam cohæreat facti infamia. *arg. §. 1. Inſt. ex quib. cauſ. manum. non licet. Nov. 135.* (IX.]

6. Cæterùm quandoque non bonis ceditur, ſed reſcriptum moratorium à Principe impetratur, quo debitor tutus eſt, ne intra certum tempus à creditoribus inquietari poſſit; præſtitâ tamen cautione de ſolvendo debito poſt temporis indulti lapſum. Solet autem hoc impetrari conſentientibus creditoribus omnibus vel majore eorum parte; quæ non ex perſonarum numero nec debiti qualitate, an hypothecarium an chirographarium ſit, ſed potiùs ex debiti quanti-

tate æſtimatur. *l. ult. C. h. t.* (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII.)

7. Sive autem ceſſionis, ſive reſcripti moratorii beneficium impetretur, neutrum fidejuſſori prodeſt. *arg. §. ult. Inſt. de replicat.* præſertim etiam, cùm reſcripti moratorii beneficium tanquam ejuſdem naturæ cum ceſſionis beneficio proponatur. (XI, XIX.)

8. *Moribus.* Ceſſio bonorum hodie tantùm fieri poteſt ſolenniter; petiturque ejus faciendæ licentia libello ſupplice, ac conceditur diplomate per eum, ad quem ejus rei notio ex regionis cujuſque conſuetudine pertinet, quod diploma deinde à Judice loci, in quo degit cedens, comprobatur, ſi preces cedentis veritate nitantur: quod ut conſtet, citandi creditores, ut examinato inventario bonorum cedentis, conſentiant aut contradicant, aut Judicis arbitrio in totum relinquant. Qui autem bonis cedit, lectum cum apparatu retinet, & ex mobilibus non pretioſis ad uſum neceſſariis ſingulis rem unam. Reſcripta moratoria quod attinet, illa eodem ferè modo petuntur & conceduntur, quo ceſſionis beneficium: ſed ſi privatim ſine Judicis autoritate induciæ debitori conceſſæ ſint, vel pactiones in partem initæ ſint à majore creditorum parte, id cæteris non oberit.

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 71. qui bonis ced. poſſ.*

TIT. IV.

Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.

1. IN bonorum poſſeſſionem miſſio fit vel rei ſeu debiti ſervandi cauſâ, vel legatorum ſervandorum cauſâ, vel ventris nomine. *l. 1. ff. h. t.* Rei ſervandæ cauſâ miſſionem petunt creditores, quibus vel purè debetur ex quocunque negotio, vel ſub conditione ex negotio bonæ fidei. *l. 6. ff. h. t.* junct. *l. 41. ff. de judic.* non item ex negotio ſtricti juris, ad quod reſtringenda. *l. pen. §. ult. ff. h. t. arg. d. l. 41.* Petenda verò à Judice aut Magiſtratu, ac præviâ ſummariâ cauſæ cognitione decernenda. *l. 7. §. 1. 2. ff. h. t.* non enim cuiquam permiſſum eſt privatâ autoritate occupare debitorum bona. *l. 13. ff. quod met. cauſ.* (I, II, III.)

2. Fit autem miſſio in omnia debitorum bona. *l. 1. ff. h. t.* licèt non omnia diſtrahantur, ſed tantùm pro ratâ debiti. *Nov. 53. c. 4. §. 1.* Nec refert, cujus conditionis ſit debitor; cùm & in pupillorum, furioſorum ac municipiorum bona miſſio

miſſio decerni poſſit, ſi non defendantur. *l.* 3. *l.* 7. §. 10. *& ſeqq. ff. h. t. arg. l.* 15. §. 27. 29. *ff. de damno infect.* Et prodeſt hæc miſſio etiam creditoribus non miſſis, quatenus non miſſi poſtea petere poſſunt, ut fiant ejuſdem miſſionis participes, refuſis pro ratâ impenſis. *l. fin. C. de bon. autor. jud. poſſid. l.* 12. *ff. eod.* (III, V, VI.)

3. Cæterùm præcipui, quibus rei ſervandæ causâ miſſio decernitur, caſus ſunt, ſi debitor creditoris fraudandi causâ aliquamdiu latitet, aut abſens ſit vel ab hoſtibus captus, nec defendatur. *l.* 6. §. *ult. l.* 7. §. 2. 5. 6. 13. *l.* 13. *ff. h. t.* ut &, ſi mortuus ſit debitor, nec ullus ei hæres exiſtat. *l.* 5. 6. *C. de bon. autor. jud. poſſid. l.* 8. *ff. h. t.* aut ſi tutor latitet, ne pupillo alimenta decernantur. §. 9. *Inſt. de ſuſpect. tut.* (IV.)

4. *Moribus.* Si reus obæratus ſui copiam non faciat contra eum ut contumacem ad definitivam ſententiam proceditur, nec ultra miſſioni locus eſt.

TIT. V.

De rebus autoritate Judicis poſſidendis vel vendendis.

1. Qui in poſſeſſionem miſſus eſt rei ſervandæ causâ, conſequitur cuſtodiam; ſed ſi debitor creditori ita miſſo non ſatisfaciat, decretum alterum per Judicem, petente creditore, interponitur, quo creditor conſequitur poteſtatem res diſtrahendi. *l.* 9. *C. h. t.* Tempus autem, quod inter miſſionem in poſſeſſionem & decretum venditionis debet intercedere, videtur arbitrarium, cùm nuſpiam determinetur: longius tamen hic tempus effluere debere, colligi poteſt ex circumſtantiis *legis ult. C. h. t.* (I.)

2. Facienda autem diſtractio palam auctione publicâ in eo loco, in quo reus defendi debuiſſet, id eſt, ubi domicilium habet aut ubi contraxit. *l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* & in concurſu plurium idem licitantium, potior eſt causa creditoris, dein cognati. *l.* 16. *ff. h. t.* (II.)

3. Impeditur tamen jam decreta venditio, ſi extraneus intercedat, contendens, rem non debitoris ſed ſuam eſſe. *l.* 15. §. 4. *ff. de re judic.* vel ipſe debitor ſui copiam faciat & damna impenſaſque reſtituat, ac ſolvere paratus ſit, aut alius pro ipſo. *l.* 4. §. *ult. ff. h. t. l.* 15. *C. de judiciis.* ſed bonis diſtractis, non poteſt debitor petere reſciſſionem venditionis; ſed

tantùm recipit id, quod poſt demiſſos creditores ſupereſt. *arg. l. 6. ff. h. t.* etenim ex pretio rerum diſtractarum creditoribus ſatis faciendum eſt, omnibus quidem, ſi ſufficiat: ſi non ſufficiat, illis, qui jure potiores ſunt: de quo ad *tit. ff. qui pot. in pign.* (111.)

* Adde *ex Cod. l. 7. tit. 72. de bonis autor. jud. poſſid. &c.*

Tit. VI.

De Separationibus.

1. Separatio eſt diverſorum patrimoniorum ad eandem perſonam pertinentium diſtinctio Judicis veluti prætoris vel præſidis autoritate facta. Quam petere poſſunt creditores alicujus defuncti & legatarii. *l. pen. ff. h. t.* quibus hæreditas defuncti ſufficit, ſufficiens non futura, ſi mixta bonis hæredis obærati etiam inter ejus creditores foret dividenda, ſive purè ſive in diem ſive ſub conditione ipſis à defuncto quid debeatur. *l. 4. ff. h. t.* uti & ſeparatio locum habet in caſu. *l. 1. §. 9. ff. h. t.* & *l. 3. §. 4. in fin ff. de minoribus.* Et ſi quidem omnes petant, omnibus proderit ſeparatio; ſin quidam tantùm, ſolis proderit petentibus. *l. 1. §. 16. ff. h. t.* Non tamen eam petit hæres, niſi ſit neceſſarius. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* nec hæredis creditores. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* niſi manifeſta appareat fraus hæredis directò ad læſionem creditorum ſuorum damnoſam hæreditatem adeuntis. *l. 1. §. 5. ff. h. t.* vel libertus hæreditatem obæratam adiverit in præjudicium patroni, qui liberto ſuccedit. *l. pen. §. 1. ff. h. t.* (1, 11.)

2. Effectus ſeparationis impetratæ eſt, quòd creditores defuncti in rebus hæreditariis præferantur hæredis creditoribus, ſed ſi deinde in patrimonio defuncti minus inveniatur quàm erat debitum, id quod deeſt non conſequuntur ex patrimonio hæredis, niſi juſtiſſima cauſa faciat veniam iis concedi. *l. 1. §. pen. l. 3. §. ult. ff. h. t.* Obſt. *l. 5. in fin. ff. h. t. verſ. idemque.* Reſp. ibi agitur de caſu, quo creditoribus hæredis nondum plenè ſatisfactum erat, licèt aliquantò plus conſecuti eſſent, quàm defuncti creditores: quamdiu enim creditoribus hæredis non plenè ſatisfactum eſt, tamdiu non poteſt is, qui ſeparationem petiit, aliquid ex bonis hæredis conſequi; ſed illis dimiſſis poteſt, propter juſtiſſimam erroris cauſam, ùt dictum. (111.)

3. Ceſſat petendæ ſeparationis facultas, ſi creditores hæreditarii

reditarii hæredis fidem ſecuti ſint, novando, fidejuſſores vel pignora ab eo accipiendo. *l.* 1. §. 10. 11. 15. *ff. h. t.* ſi elapſum ſit quinquennium ab aditâ hæreditate. *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* ſi res defuncti & hæredis ita jam permixtæ ſint, ut amplius ſeparari nequeant. *l.* 1. §. 12. *l* 2. *ff. h t.* Quòd ſi hæres ante petitam ſeparationem res quaſdam hæreditarias vendiderit bonâ fide, venditio firma manet, non obſtante ſubſecuta ſeparationis impetratione. *l.* 2. *ff. h. t.* non item, ſi tantùm res pignori obligaverit. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* (I V.)

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 72. *de reb. autor. jud. poſſid. & de ſeparatione bonorum.*

TIT. VII.
De Curatore bonis dando.

1. CUrator ſolet bonis dari vel à Judice ex conſenſu creditorum. *l.* 2. *pr. ff. h t.* vel prvatim ab ipſis creditoribus rei ſervandæ causâ in poſſeſſionem miſſis. *l.* 8. §. *ult. ff. de reb. aut. jud. poſſid. l. ult. ff. h. t.* ac vel unus conſtituitur vel plures; & hi vel conjunctim, vel diviſis regionibus adminiſtraturi, prout convenerit. *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* Nec prohibetur curator alium ſuo loco ſubſtituere. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

2. Curatoris officium in genere eſt, primò inventarium conficere, deinde adminiſtrare, locare, creditoribus reſpondere, actiones tempore perituras exercere, res quæ ſervari nequeunt diſtrahere, & tandem etiam omnia divendere, creditoribus ex pretio ſatisfacere, omnium rationem reddere. *l.* 8 §. 1. *l.* 14. 15. *ff. de reb. aut. jud. poſſid.* Et à Judice quidem conſtitutus omnibus reſpondet creditoribus; at à creditoribus electus illis ſolis, à quibus conſtitutus eſt. *l. ult. ff. h. t.* (V, VI, VII, VIII, XIII.)

3. Tenetur autem ex geſtione ſua curator & creditoribus & debitori: creditoribus quidem, à quibus datus eſt, actione mandati ad præſtandam culpam levem, exemplo tutoris. *arg. l.* 1. §. 22. *ff. de ventre in poſſeſſ. mitt.* debitori verò actione in factum ad reparandum damnum dolo & latâ culpâ datum. *l.* 6. *in fin. pr. &* §. 2. 3. 5. *ff. de reb. aut. jud. poſſid.* &, ſi plures fuerint curatores, ſinguli in ſolidum conveniri poſſunt, *l.* 3. *ff. h. t.* niſi per regiones adminiſtratio diviſa ſit. *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* (IX, X, XI, XII.)

Tit. VIII.

Quæ in fraudem creditorum facta ſunt ut reſtituantur.

1. Si quid à debitore in fraudem creditorum alienatum ſit, id revocatur actione Paulianâ vel reſciſſoriâ; modò & animus fraudandi (vide *l.* 17. *§.* 1. *ff. h. t.*) & eventus concurrat reſpectu ejuſdem creditoris: nam ſi quis Titium tantùm fraudare voluerit, & Mævius tantùm cum effectu fraudatus ſit, dum demum poſt alienationem incipit eſſe creditor, firma manet alienatio; niſi ex Mævii fraudati pecunia credita Titius, quem debitor fraudare voluerat, dimiſſus ſit. *l.* 10. *§.* 1. *l.* 15. 16. *ff. h. t.* (I, XIV.)

2. Pauliana eſt actio prætoria in factum perſonalis. *arg. l.* 38. *§.* 4. *ff. de uſuris, l.* 14. *ff. h t.* competens creditoribus, ob res plerumque ante miſſionem in poſſeſſionem fraudulenter alienatas. *arg. l. ult. §. ult. ff. h. t.* quandoque tamen & poſt miſſionem, ſi modò fraus accipientis doceri poſſit. *arg. l.* 9. *ff. h. t.* adversùs eos, ad quos res eſt translata, modò & hi fuerint fraudis participes; niſi vel pupilli ſint, vel ex causâ lucrativâ acquiſiverint. *l.* 6. *§.* 8. 10. 11. *ff h. t.* ut tamen onerosa magis quàm lucrativa cauſa reſpectu mariti ſit, ſi is rem in dotem acceperit. *l. ult. §.* 1. *in med. & §.* 2. *ff. h. t.* Etiam contra ipſum debitorem alienantem, ut ſaltem arbitrio prætoris coërceatur ejus dolus. *l. ult. §. ult. ff. h. t.* (II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X.)

3. Tendit ad id, ut alienatio reſcindatur, & res reſtituatur cum fructibus perceptis, & qui percipi à fraudatore potuerunt, ac omni causâ. *l.* 10. *§.* 19. 20. 22. *ff. h. t.* niſi poſſidens in bonâ fide fuerit; quo caſu ſoli fructus tempore alienationis pendentes, & qui poſt inchoatum judicium percepti ſunt, reſtituendi veniunt. *l. ult. §.* 4. *ff. h. t.* (XI. XIX.)

4. Reſciſſoria eſt actio prætoria in rem; cujus fundamentum non eſt fraus accipientis, ſed jus pignoris prætorii, quod creditores per miſſionem in poſſeſſionem adepti ſunt: competens pro rebus poſt miſſionem alienatis contra quoſvis bonâ vel malâ fide poſſidentes, itidem ad id ut reſcin-

reſcindatur alienatio. §. *6. Inſt. de action. arg. l. 3. C. ut in poſſeſſ. legat.* (XII.)

5. Utraque hæc actio intentanda intra annum, ex quo primùm experiundi poteſtas fuit. *l. 1. l. 10. ff. h. t.* adeóque non à tempore alienationis in fraudem factæ, ſed à tempore diſtractionis omnium bonorum: ante enim experiundi poteſtas non eſt, cùm certum nondum ſit, utrùm creditores fraudati ſint nec ne. *l. 6. §. ult. l. 10. §. 18. ff. h. t.* poſt annum tamen his actionibus locus eſt ſaltem ad id, quod ad poſſidentes pervenit, vel eorum dolo factum eſt, quo minus perveniat. *l. 10. § pen. ff. h. t.* (XIII.)

6. Cæterùm alienatio in fraudem creditorum variis fit modis, puta vendendo, donando, remittendo debitum vel pignus, patiendo rem aut ſervitutem rei debitam uſucapi, aut actionis inſtituendæ tempora elabi, ante diem ſolvendo ei, cui demum ex die debebatur, &c. Vide *l. 1. in fin. l. 2. l. 3. §. 1. l. 4. 5. l. 10. §. 12. 14. & paſſim ff. h. t.* Non tamen in fraudem alienare creditur, qui tantùm omittit acquirendi conditionem. *l. 6. pr. & §§. ſeqq. ff. h. t.* Ut nec, qui uni ex creditoribus urgenti ſolutionem ſolverit; non enim cæteri id avocare poſſunt creditori, qui ſibi vigilavit, ſine diſtinctione an per gratificationem obtinuerit ſolutionem nec ne; quippe quæ diſtinctio rejici videtur *in fin. l. pen. ff. h. t.* modò necdum creditores cæteri in poſſeſſionem miſſi ſint: poſt miſſionem enim nemo ampliùs ſibi vigilando potuit alteri præjudicare. *l. 6. §. 7. ff. h. t.* Obſt. *l. pen. circa fin. ff. h. t.* Reſp. verba illa, *quod ſi in eo eſſent, ut bona debitoris mei venirent, &c.* non deſignant, bona per miſſionem jam occupata fuiſſe, ſed debitorem ita obæratum eſſe, ut bona ejus à creditoribus poſſidenda ac vendenda ſint. (XV, XVI, XVII, XVIII.)

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 75. de revoc. his quæ in fraud. credit. alienata.*

LIBER XLIII.

TIT. I.

De Interdictis ſive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.

1. INterdicta, (ſic appellata ab interdicendo, vel quaſi interim vel inter duos dicta) præparant plerumque judicia principalia, & ad ea aditum pandunt: unde & priùs terminanda veniunt, licèt pendente petitorio judicio cæpta eſſent moveri. *l. 3. C. h. t. l. 18. §. ult. ff. de vi & vi armat.* Et olim erant formulæ ac conceptiones verborum, quibus prætor aliquid fieri jubebat vel prohibebat, ſed jure novo pro his competunt actiones extraordinariæ in factum *pr. & §. ult. Inſt. h. t.* eæque perſonales. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* quibus plerumque de poſſeſſione agitur, ſalvâ manente proprietatis controverſiâ; quandoque tamen etiam ſimul de proprietate vel quaſi proprietate. *l. 2. §. 2. ff. h. t. l. 1. §. ult. ff. de aqua quot. & æſtiv. l. 3. §. 13. ff. de itin actuque privat.* (1, 11.)

2. Sunt autem variæ interdictorum ſpecies: vel enim *exhibitoria* ſunt, quibus prætor jubet aliquid exhiberi: vel *reſtitutoria*, quibus aliquid jubet reſtitui: vel *prohibitoria*, quibus quid fieri vetat. *§. 1. Inſt. h. t. l. 1. §. 1. ff. h. t.* Sunt & vel *adipiſcendæ*, vel *retinendæ*, vel *recuperandæ* poſſeſſionis. *§. 2. Inſt. h. t.* Adhæc vel *ſimplicia* ſunt, in quibus apparet, quis actor, quis reus ſit; vel *duplicia*, in quibus uterque ſimul actor & reus eſt. *§. pen. Inſt. h. t.* inſuper alia ſpectant ad rem familiarem; alia ad publicam utilitatem pertinent, veluti, ne quid in loco publico fiat. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* Alia præterea annalia ſunt, alia perpetua; ut tamen annalia fiant perpetua, ſi quid ad eum cum quo agitur pervenerit. *l. 1. §. ult. l. 4 ff. h. t.* Quædam etiam directa ſunt, quædam noxalia. *l. ult ff. h. t.* Denique quædam publica ſunt, quibus quilibet ex populo experiri poteſt; quædam privata, iis quorum intereſt peculiariter competentia. (111.)

3. Cæterum interdicta non ſolent infamare. *l. 13 ff. de vi & vi armat.* & in iis non modò rei principalis, ſed & fructuum habetur

habetur ratio, à tempore tamen ſolummodo interdicti redditi, non retro. *l.* 3. *ff. h. t.* excepto interdicto unde vi. *l.* 1. § 40. *ff. de vi & vi armat.* (IV.)

4. *Moribus.* Interdictorum loco hodie conceduntur mandata à Curiis ſuperioribus.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 1. *de interdictis.*

TIT. II.
Quorum bonorum.

1. INterdictum *quorum bonorum* eſt adipiſcendæ poſſeſſionis competens illis, quibus à prætore eſt data bonorum poſſeſſio, & eorum exemplo etiam hæredibus civilibus. *l.* 1. *C. h. t.* adversùs eos, qui pro hærede vel pro poſſeſſore poſſident. *l.* 1. 2. *ff. h. t. l.* 2. *C. h. t.* non contra defuncti debitores. *l.* 2. *ff. h. t.* ad id ut acquirant ipſam rerum hæreditariarum corporalium, non incorporalium poſſeſſionem, aut æſtimationem eorum quæ dolo deſierant poſſideri. *d. l.* 1. 2. *ff. h. t.* nec hic objici poteſt petenti exceptio dominii, niſi in continenti probetur. *l. ult. C. h. t.* (I.)

2. Erat & olim interdictum ex conſtitutione Hadriani, ſed eo abrogato, Juſtinianus introduxit remedium poſſeſſorium, quo hæres ſcriptus mittitur in poſſeſſionem rerum hæreditariarum, prævia ſummaria cauſæ cognitione, ſi modò exhibeat teſtamentum nullo viſibili vitio laborans: id eſt; non cancellatum nec abolitum, neque ex quacunque ſuæ formæ parte vitiatum. *l. fin. C. de edict. divi Hadrian. toll.* (II, & ſeqq.)

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 2. *quorum bonorum. libr.* 6. *tit.* 33. *de edicto divi Hadriani tollendo.*

TIT. III.
Quod Legatorum.

1. INterdictum *quod legatorum* eſt reſtitutorium adipiſcendæ poſſeſſionis, competens hæredi & hæredis hæredi. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* modò paratus ſit cautionem præſtare de legatis ſolvendis, quibus gravatus eſt. *l.* 1. §. 16. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* contra legatarios & fideicommiſſarios particulares, eoſque qui ab his rem nacti ſunt. *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* non contra mortis

cauſâ donatarios. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* ad id ut reſtituantur res hæreditariæ corporales. *l.* 1. §. 8. *ff. h. t.* quas legatarii citra hæredis voluntatem acceperunt. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* vel etiam ex hæredis voluntate, ſed ante aditam hæreditatem. *l.* 1. §. 11. *ff. h. t.* ſi fortè interſit hæredis res legatas habere, quo Falcidiam deducat. Si plures hæredes ſint, quorum alter conſenſit, alter non item, ſolus hoc interdicto agit non conſentiens. *l.* 1. §. 15. *ff. h. t.* (I, II; III, IV.)

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 3. *quorum legatorum.*

Tit. IV.

Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.

1. Interdictum, ne *vis fiat in poſſeſſionem miſſo*, generale eſt, competens iis, quos prætor ex aliquâ cauſâ in poſſeſſionem miſit, ſi illi prohibiti ſint in poſſeſſionem venire ſuo vel alieno nomine. *l.* 1. §. 2. *l.* 2. *ff. h. t.* contra prohibentes vel expellentes; ſuo vel alieno nomine. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* quandoque ad id quanti ea res eſt, quo caſu actio in factum annalis & pœnalis eſt, quæ hæredibus non in hæredes datur. *l.* 1. *pr. &* §. 8. *ff. h. t.* Quandoque ad id quod intereſt; quo caſu perpetua eſt, hæredibus ac in hæredes competens; quod evenit, ſi legatorum nomine quis in poſſeſſionem mittatur: nec mirum; cùm hæres præſtationem ejus quod intereſt poſſit evitare, præſtitâ legatariis cautione. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Poteſt & ipſe magiſtratus, qui in poſſeſſionem miſit, miſſum poteſtate ſuâ in poſſeſſionem inducere, cauſâ ſummariè cognitâ. *l.* 3. *pr. ff. h. t.* (I, III, IV.)

2. Ceſſat hoc interdictum, ſi pupillus necdum doli capax vim fecerit. *l.* 1. §. 6. *ff. h. t.* vel ſi quis alius dolo careat, putans rem ſuam eſſe vel ſibi nexam. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* (II.)

Tit. V.

De Tabulis exhibendis.

1. Interdictum *de tabulis exhibendis* datur ei, cui primis vel ſecundis tabulis vel codicillis alicujus jam defuncti (non viventis. *l.* 1. § 10. *ff. h. t.*) relicta eſt hæreditas, legatum vel

vel fideicommiſſum. *l.* 1. §. 2. *l.* 3. §. 10. *ff. h. t.* *l.* 1. *C, h. t.* contra detinentem tabulas, & hæredem ejus, ſi isdetineat: ad id ut tabulæ exhibeantur, vel præſtetur id quod intereſt, ſeu quantum eſt in hæreditate vel legato relicto, ſi quis neget ſe tabulas poſſidere. *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 11. 12. 13. *ff. h. t.* licèt tantùm ſub conditione quid legatum eſſet: adeò ut nec reſtituendum ſit id quod intereſt, ſi conditio deficiat; eò quòd pœna magìs videtur eſſe præſtita. *l.* 3. §. 14. *ff. h. t.* Nec hìc anxiè inquiritur, tabulæ perfectæ ſint, an imperfectæ, an falſæ, &c *l.* 1. §. 4. 5. *ff. h. t.* Quid ſi quis ob non exhibitas tabulas id quod intereſt conſecutus fuerit, & poſtea legatum petat? Si hæres idem præſtitit, exceptione doli repellendus eſt; ſin alius, repelli non poteſt. *l.* 3. §. 15. *ff. h. t.* (I. II, III, IV.)

2. Ceſſat hoc interdictum in caſibus expreſſis in *l. ult. ff. h. t.* (V.)

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 7. *de tabulis exhibend.*

TIT. VI.
Ne quid in loco ſacro fiat.

1. INterdictum *ne quid in loco ſacro fiat*, eſt, quo quis prohibetur in loco ſacro quid facere vel immittere, quod deformitatem adferat; & ſi quid factum ſit, in priſtinum ſtatum eſt reſtituendum. *l.* 1. *ff. h. t.* Quod & ad loca ſancta porrectum eſt. *l.* 2. *ff. h. t.*

TIT. VII.
De locis & itineribus publicis.

1. LOca publica ſunt, quorum proprietas eſt alicujus populi, uſus verò omnium. Viæ publicæ dicuntur, quæ in porrectum definitæ ſunt ab eo, qui publicandi poteſtatem habet: aliter appellatæ regiæ, prætoriæ, conſulares. *l.* 2. §. 21. *ne quid in loc. publ.* *l.* 3. *ff. h. t.* privatæ ſunt, quæ vel ex ſervitute debentur, vel à viâ regiâ ad agros deflectunt. *l.* 2. §. 23. *ne quid in loc. publ.* Vicinales viæ dictæ ſunt, quæ in vicos ducunt, ex agris privatorum collatione factæ; quarum una pars in viam regiam deſinit, altera ſine exitu in ipſo vico intermoritur. *l.* 3. *ff. h. t.*

2. Cæte-

2. Cæterùm cuivis liberum eſſe debet frui locis & itineribus publicis; quem etiam in finem cuivis competit de his interdictum. *l. 1. ff. h. t.*

Tit. VIII.

Ne quid in loco publico fiat.

1. SIn quid in loco publico (ſub quo non continentur loca fiſcalia. *l. 2. §. 4. ff. h. t.*) fiat, quo damnum alteri datur, ei, & cuivis ex populo datur hoc interdictum, ne quid in loco publico fiat; contra quemvis in loco publico quid molientem, quo deterior fit loci publici uſus (quo modo id fiat. Vide *l. 2. §. 14. 25. 29. l. 3. 4. ff. h. t.*) ad id ut deſiſtatur, & caveatur de non pergendo in opere cœpto. *l. 2. §. 14. 17. ff. h. t.* vel, ſi quid jam factum ſit, id deſtruatur: niſi in publico ædificium exſtructum ſit, quo non adeò multùm impeditur uſus loci publici; quo caſu tantùm imponitur exſtruenti præſtatio ſolarii, ne urbs ruinis deformetur. *l. 2. §. 17. 18. ff. h. t.*

2. Sunt præterea hoc *tit.* propoſita tria de viâ, & itinere publico interdicta: primum eſt prohibitorium, ne quo facto vel immiſſo iter aut via publica fiat deterior, ad ruſticas, non urbanas vias pertinens. *l. 2. §. 20. 24. ff. h. t.* Alterum eſt prohibitorium & reſtitutorium ſimul, ne quid in via publica fiat, aut, ſi factum ſit, viri boni arbitratu reſtituatur. *l. 2. §. 35. ff. h. t.* Tertium prohibitorium eſt, ne vis fiat, ei, qui viâ publicâ vel itinere publico utitur. *l. 2. §. ult. ff. h. t.*

Tit. IX.

De loco publico fruendo.

1. SI publicanus; qui publicum conduxit ab eo qui elocandi jus habet, ſociúſve ejus, prohibeatur publico frui, prætor interdicit, ne vis ei fiat, quo minus fruatur juxta leges conductionis. *l. 1. pr. & §. 3. ff. h. t.* invitis tamen publicanis in loco publico ſtatuas ponere licet, ſi Princeps permittat. *l. 2. ff. h. t.*

Tit. X.

De viâ publicâ, & ſi quid in ea factum eſſe dicetur.

1. MAgiſtratus curæ ædium ac viarum præpoſiti, prohibent, ne quid in viis publicis fiat, ex quo vicini ædibus damnum infertur, aut ipſa via ejúſve uſus deterior fit: & ſi quid factum ſit, id jubent reſtitui: quemadmodum & jubent, ut quiſque ante ſuam domum vias ſartas ſtratas ac purgatas habeat. *l. 1. pr.* §. 1. 2. 3. *ff. h. t.*

Tit. XI.

De viâ & itinere publico reficiendo.

1. SI quis viam publicam velit aperire & reficere, ei prætor vim fieri vetat, & dat ei actionem ad id quod intereſt contra eum qui refectionem impedit: niſi quis ſub ſpecie refectionis viam corrumpat; tunc enim impunè vim patitur. *l.* 1. § 2. 3. *ff. h. t.* &, ſi vicinis damnum dederit, in eorum fundos viam publicam rejiciendo, etiam in eum actio *via recepta* datur in id quod vicinorum eſt. *l. ult. ff. h. t.*

Tit. XII.

De fluminibus, ne quid in flumine publico ripâve ejus fiat, quo pejùs navigetur.

1. FLumen eſt collectio aquæ intra certas ripas; quas non mutat inſolita fluminis exundatio. *l.* 1. §. 5. *l.* 3. §. 1. 2. *ff. h. t.* & vel publicum eſt, quod perenniter fluit ac ad populum pertinet: vel privatum quod in privati eſt dominio. *l.* 1. §. 3. 4. *ff. h. t.*

2. Vetat autem prætor, ne quid in flumine publico fiat, quo pejùs navigetur, ac cuivis è populo dat interdictum contra facientem, ne fiat; vel ut tollatur, ſi jam factum ſit.

l. 1.

l. 1. pr. & §. 19. 20. 21. ff. h. t. Si quid in mari vel littore fiat, quo portus, ſtatio, aut navigatio deterior redditur, utili interdicto locus eſt. *l. 1. §. 17. ff. h. t.* ut &, ſi quid in flumine non navigabili fiat quo curſus aquæ impeditur. *l. 1. §. 12. 18. ff. h. t.* non item, ſi quid in flumine privato fiat. *l. 1. §. 4. ff. h. t.*

TIT. XIII.

Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, &c.

1. HOc interdictum, *ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat atque uti ſuperiore æſtate fluxit*, competit cuivis ex populo; contra eum qui fecit ut aliter aqua fluat, cùm non haberet faciendi jus: ad id ut opus intermittatur, & quod factum eſt reſtituatur. *l. 1. §. 8. 9. 10. 11. 12. §. h. t.*

TIT. XIV.

Ut in flumine publico navigare liceat.

1. PRætor vim fieri vetat, quo minus in flumine publico, foſsâ, ſtagno, lacu publico, navem, ratem agere, vel per ripam merces exonerare liceat. *l. un. ff. h. t.* Publicano, qui lacum conduxit, utile accommodatur interdictum, ſi prohibeatur piſcari. *l. un. §. 7. ff. h. t.*

TIT. XV.

De Ripâ muniendâ.

1. SI quis ripæ contra vim fluminis muniendæ gratiâ opus in flumine vel ripâ faciat, prætor vim fieri vetat, modò vicinis & è regione prædia poſſidentibus caveat de damno infecto ad decennium. *l. un. §. 2. 3. 4. ff. h. t.*

Tit. XVI.
De Vi & Vi armatâ.

1. INterdictum *de vi & vi armatâ* recuperandæ poſſeſſionis locum habet in rebus immobilibus,& incorporalibus quæ immobilibus accenſentur, ut uſuſructu immobilium. *l.* 3. *§.pen.ff.h.t.* non item in mobilibus, niſi conſiderentur ut acceſſiones immobilium. *l.*1. §. 6. *& ſeqq.* & §. 32. *ff. h. t.* Et competit ei,qui de poſſeſſione vi dejectus eſt, hæredique ejus. *l.* 1. §. 44 *ff. h.t.* ſive bonâ ſive malâ fide poſſederit. *l.* 1. §. 30, *ff. h.t.* non tamen ei, qui adhuc poſſidet per ſe vel per colonos. *l.* 1. §. 45. *ff. h. t.* nec ei, qui nunquam poſſedit, ſed arcetur intrare volens in poſſeſſionem. *l.* 1. §. 26. *ff. h.t.* nec colono aut procuratori. *l.* 1. §. 22. *ff. h.t.* niſi inceperint ſuo nomine poſſeſſionem retinere tanquam prædones. *l.* 12. 18 *ff. h.t.* (I, II, III, IV.)

2. Datur contra dejicientem, ſive per ſe ſive per procuratorem dejecerit. *l.* 1. §. 13. 14. *ff. h. t.* etiam ſi dejiciens ipſe dominus eſſet. *l.*4. §. 26. *ff. de uſurp. & uſuc. arg. d. l.*1. §. 30. *ff.h.t.* junct. *l.* 18. *ff. h. t. t.* §. 1. *Inſt. de vi bon. rapt.* vel à dejecto priùs ipſe dejectus fuiſſet, modò inter primam & poſteriorem dejectionem intervallum temporis interceſſerit. *arg. l.* 17. *ff.h.t.* nec intereſt utrùm dejiciens adhuc poſſideat,nec ne. *l.* 1. §. 42. *ff. h. t.* Non tamen in tertium datur poſſeſſorem. *l.* 7 *ff. h. t.* nec contra parentem aut patronum, niſi vis armata fuerit adhibita. *l.* 1. §. 43. *ff. h. t.* nec contra hæredes dejicientis,niſi quatenus ad eos pervenit. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* (V.)

3. Tendit ad id, ut reſtituatur poſſeſſio rei immobilis unà cum mobilibus, quæ ibi fuerunt. *l.* 1. §. 32. *l.* 19. *ff. h. t.* & fructibus à tempore dejectionis perceptis; ac eo quod intereſt, omnique cauſâ. *l.* 1. §. 31. 34. 40. 41. *ff. h. t.* modò intra annum agatur: poſt annum enim id tantùm reſtituitur; quod ad dejicientem pervenit. *l.* 1. *pr. ff. h. t.* (VI.)

4. Præter hoc interdictum *unde vi* alia ſunt prodita ex conſtitutionibus remedia, quibus ſuccurritur illis, qui vim paſſi ſunt, juxta *l. in tit. C. unde vi.*

5. *Moribus.* Recuperandæ poſſeſſionis remediis plenioribus Jure Canonico introductis utimur, de quibus agitur in adjectis ad calcem libri de differentiis juris civilis & canonici.

* Adde *ex Cod. libr.* 8, *tit.* 4. *Unde vi.*

Tit.

Tit. XVII.

Uti poſsidetis.

1. INterdictum *uti poſſidetis* eſt retinendæ poſſeſſionis duplex, annale. *l. 1. ff. h. t.* competens ei, qui tempore litis conteſtatæ non vi, clam, vel precario ab adverſario poſſidet; licèt à tertio vi, clam vel precario poſſideat. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* Non tamen creditoribus in poſſeſſionem miſſis. *l. 3. §. 8. ff. h. t.* nec hæredibus ejus qui poſſedit. *arg. l. 23. ff. de acquir. poſſeſſ.* Contra eum qui ſe quoque poſſidere contendit. Ad id, ut ipſe juſtus, alter injuſtus poſſeſſor declaretur, & præſtetur id quod intereſt poſſeſſionem turbatam non eſſe, adeóque ipſa æſtimetur poſſeſſio, cujus longè alia quàm proprietatis æſtimatio eſt. *l. 3. § ult. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

2. Utile interdictum *uti poſſidetis* reſpectu ſervitutum, & eorum, quæ in jure conſiſtunt, locum habet. *l. ult. ff. h. t. l. 8. §. 5. ff. ſi ſervit. vind. arg. l. ult. ff. de ſervitut.* (I.)

4. *Moribus.* Loco interdicti uti poſſidetis peti ſolet à Curia mandatum manutenentiæ, ùt loquuntur.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 6. uti poſſidetis.*

Tit. XVIII.

De Superficiebus.

1. SUperficies eſt omne id, quod ſupra ſolum ſeu ſoli faciem eſt, ùt arbores, plantæ, præcipuè ædificia. Superficiarius autem, qui ſupra ſolum alterius ſuperficiem habet, ſolarium ſolvit. *l. 2. §. 17. ff. ne quid in loco publ. fiat.* &, quia utilis dominus eſt, vindicare ſuperficiem utiliter poteſt. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* licèt dominus fundi etiam ſit dominus directus ſuperficiei, ſeu ædium impoſitarum. *l. ult. ff. h. t.* Habet & interdictum de ſuperficiebus, quo prætor vim fieri vetat fruenti ſuperficie, quo minus ita fruatur, ſi à domino vel alio turbetur in poſſeſſione. *l. 1. pr. & §. 2. ff. h. t.* in quo omnia eodem modo ſervantur, ut in interdicto uti poſſidetis. *l. 1. §. 2. ff. h. t.*

Tit.

Tit. XIX.

De itinere actuque privato.

1. Interdictum *de itinere actuque privato* reſpicit ſervitutes ruſticas. *l.* 1 §. 1. *ff. h. t.* & duplex eſt; primum datur ei, qui hoc anno itinere actuque privato uſus eſt; cui vim fieri vetat prætor quo minus utatur; ſi modò non vi, clam, vel precario ab adverſario poſſideat. *l.* 1. *pr ff h. t.* & per tempus modicum, non minus triginta diebus intra annum à die interdicti retro computandum uſus ſit. *l.* 1. §. 2. 3. *ff. h. t.* Et hoc non continet cauſam proprietatis; unde eſt, quod etiam eo experiantur illi, qui non habent jus ſervitutis, *l.* 1. §. 2. 4 *ff. h. t.*

Alterum interdictum eſt de *itinere actuque privato reficiendo*, quod cauſam proprietatis continet, non enim aliter quis hoc interdicto vincit, quàm ſi duo probaverit, puta, ſe hoc anno uſum eſſe, & jus ſervitutis habere. *l.* 3. §. 13. *l.* 5. §. *pen. ff. h. t. l.* 2. §. 2. *ff. de interdictis.*

Tit. XX.

De aquâ quotidianâ & æſtivâ.

1. De aquâ *quotidianâ*, quæ ſc. ſemper hieme & æſtate duci ſolet, prætor interdicit, ne vis fiat ducenti, quo minus ita ducat, uti hoc anno duxit. *l.* 1. *pr. ff. h. t. De æſtivâ*, quam ſc. ſolâ æſtate duci expedit, vim fieri æſtate vetat prætor, quo minus quis ita ducat, ut ſuperiori æſtate duxit. *l.* 1. §. 29. *ff. h. t.* & ſufficit vel unâ die aut nocte aquam duxiſſe non vi, clam, vel precario. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* Neceſſe tamen eſt, ut quis à capite aquam duxerit, non aliunde. *l.* 1. §. 7. 8. *ff. h. t.*

2. Eſt & interdictum de aquâ publicâ ex caſtello ducendâ, ne vis fiat ei, qui ex conceſſione Principis aquam talem ducit. *l.* 1. §. 38. 41. & *ſeqq. ff. h. t.*

TIT. XXI.
De Rivis.

1. **S***Pecus* eſt locus undique apertus & in profundum demerſus, per quem aqua ducitur. *Rivus* aliàs quidem à flumine differt magnitudine & opinione accolarum. *l.* 1. §. 1. *ff. de fluminib.* ſed hìc accipitur pro loco per longitudinem depreſſo, quo aqua decurrit. *l.* 1. § 2. *ff. h. t.* Incile eſt depreſſus ad latus fluminis. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* Septa ſunt, quæ ad incile opponuntur aquæ ducendæ vel derivandæ causâ. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.*

2. Prætor autem vim fieri vetat, quo minus rivos, ſpecus, ſepta reficere liceat aquæ ducendæ causâ; quod interdictum competit ei, qui ſuperiore vel hâc æſtate aquam duxit non vi, clam, vel precario, licèt aliter aquæ ducendæ jus non habeat. *l.* 1. §. 9. *ff. h. t.* Sub ſpecie tamen refectionis aliquid novi faciens impunè vim patitur. *l.* 1. §. 10. 11. *ff. h. t.* niſi ſine novo opere & mutatione operis rivus aquam continere nequeat. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.*

TIT. XXII.
De Fonte.

1. **Q**Ui hoc anno uſus eſt aquâ ex piſcina, fonte, lacu, puteo, hauriendo vel pecus appellendo, ei vim fieri vetat prætor, quo minus utatur, modò aqua viva ſit & perpetua. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* ſed ad ciſternas hoc edictum non pertinet. *d. l.* 1. §. 4.

2. Eſt & interdictum, ne vis fiat purganti vel reficienti fontem. *l.* 1. §. 6. *ff. h. t.*

TIT. XXIII.
De Cloacis.

1. **C**Loaca eſt locus, per quem colluvies defluit. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* cujus occaſione proditum eſt interdictum, quo prætor vim fieri vetat reficienti vel purganti cloacam privatam; licèt vi, clam vel precario ab adverſario poſſideat; eò quòd reipublicæ intereſt, eam purgari. *l.* 1. §. 7. *ff. h. t.*

2. De

2. De Publicis verò cloacis eſt interdictum, ne quid in eas immittatur aut fiat, vel, ſi immiſſum ſit, reſtituatur. *l.* 1. §. 15. 16. *ff. h. t.*

Tit. XXIV.

Quod vi aut clam.

1. Interdicto *quod vi aut clam* prætor occurrit calliditati eorum, qui vi aut clam quid agunt, opus novum faciendo vel deſtruendo: jubet enim in priſtinum ſtatum reſtitui ea, quæ vi vel clam facta ſunt. Clam autem facere cenſetur, qui, cùm alteri denuntiare deberet, non denuntiavit, controverſiam metuens, vel metuere debens, licèt ſupinâ fortè ignorantiâ non timeat: vi verò facit tum is, cui denuntiatum eſt ne faceret, ſi tamen fecerit. *l.* 1 §. 5. *ff. h. t.* tum etiam, qui verè vim adhibuit, licèt tunc ei denuntiatum non fuerit. *l.* 3. §. 1. *l.* 20. *ff. h. t.* (I.)

2. Competit itaque hoc interdictum ei cujus intereſt, licèt non poſſideat. *l.* 16. *ff. h. t.* adversùs eum, à quo cujuſve nomine opus novum factum eſt. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* & adversùs hæredem, quatenus ad eum pervenit. *l.* 15. §. 3. *ff. h. t.* ut & contra quemvis poſſidentem. *l.* 15. *ff. h. t.* quandoque & contra non poſſidentem, ſaltem ad impenſas. *l.* 16. §. *ult ff. h. t.* Ad id ut opus reſtituatur & præſtetur id quod intereſt. *l.* 12. *l.* 15. §. 7. *& ult. ff. h. t.* vel ſi tertius, qui opus non fecit, poſſideat, præſtet patientiam ut opus tollatur impensâ ejus, qui fecit aut fieri curavit. *l.* 16. §. *ult. ff. h. t.* (II.)

3. Ceſſat hoc interdictum poſt annum ex quo opus factum eſt. *l.* 15. §. 3. 4. *ff. h. t.* ut & in rebus mobilibus. *l.* 20. §. *pen. ff. h. t.* aut ſi denuntiatio facta ſit ei, qui nunc agere vult, & is tempore denuntiationis in opus conſenſerit. *l.* 3. §. 2. *ff. h t.* ac denique, ſi faciens juſtam habuerit faciendi cauſam. Vide *l.* 7. §. 4. *ff. h. t.* (III.)

Tit. XXV.

De Remiſſionibus.

1. Remiſſio eſt abolitio nuntiationis novi operis, quam facit prætor, ubi deprehenderit nuntiationem non jure factam eſſe. *l. un. ff. h. t.*

TIT. XXVI.

De Precario.

1. PRecarium eſt conceſſio uſûs alicujus rei ad preces petentis, quamdiu concedenti viſum fuerit. *l.* 1. *pr. ff. h. t.* adeóque ad lubitum concedentis quandocunque revocari poteſt; in quo à commodato differt. *d. l.* 1. *pr.* & §. 2. *ff. h. t.* *l.* 12. *ff. h. t.* Obſt. precario concedi poteſt in longum tempus. *l.* 4. §. *ult.* *l.* 5. *l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* Reſp. non tamen ita, quin intra tempus illud revocari poſſit. *d. l.* 12. *ff. h. t.* Et licèt donationis effectus non habeat precarium, tamen in nonnullis ad donationem proximè accedit. *l.* 14. *ff. h. t.* nec contractus eſt. *d. l.* 14. niſi latiùs ſumpto contractûs vocabulo. *l.* 23. *ff. de reg. jur.* (I. II.)

2. Precario concedunt omnes qui poſſident, etiam creditores ſuis debitoribus res ſibi pignori datas. *l.* 6. §. *ult.* *l.* 11. *ff. h. t.* *arg. l.* 37. *ff. de pign. act.*

3. Hinc naſcitur interdictum de precario, competens ei qui precario conceſſit per ſe vel procuratorem, & hæredi ejus. *arg. l.* 8. §. 1. 2. *ff. h. t.* ſive dominus ſit; ſive non. *l.* 8. *pr. ff. h. t.* contra precario accipientem & hæredem ejus. *l.* 8. §. *ult. ff. h. t.* ſive poſſederit, ſive dolo fecerit quo minus ad ipſum perveniret. *d. l.* 8. §. *ult.* licèt jus ipſum precarii ad hæredes non tranſire verius ſit. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* *l.* 11. *ff. de diverſ. temp. præſcript.* Ad id, ut reſtituatur res precario conceſſa cum fructibus & eo quod intereſt à tempore moræ. *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* Et quamvis ante interdictum redditum ſola hâc veniat præſtanda culpa lata, tamen poſt interdictum etiam leviſſima præſtanda eſt. *l.* 8. §. 3. 6. *ff. h. t.* *l.* 23. *ff. de reg. jur.* (III.)

4. Ceſſat & ſolvitur precarium morte ejus qui accepit, non ejus qui conceſſit. *d. l.* 8. §. 1. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* alienatione rei precario conceſſæ. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* ut & in caſibus *l.* 6. *l.* 11. *ff. h. t.* (IV.)

5. *Moribus.* Precario hodie aliquanto major adeſt firmitas, quàm ex Jure Romano: nam ſi res ad certum tempus precario conceſſa ſit, & ante temporis lapſum repetatur, exceptione ſe tuetur precario tenens: & ſi quis ædificaverit ad vicini beneplacitum, (*tot vvederſeggens toe*) cogi nequit ut deſtruat, niſi nova emergat cauſa deſtruendi.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 9. *de precario.*

TIT

Tit. XXVII.

De Arboribus cædendis.

1. SI arbores urbano prædio officiant, vicino ſive domino ſive fructuario, cui obſunt, prætor dat licentiam eas cædendi & ligna tollendi, ſi ea dominus arboris tollere nolit. *l.* 1. *pr.* §§. *ſeqq. ff. h. t.* Quòd ſi arboris umbra prædio ruſtico noceat, nec dominus arboris velit ad quindecim pedum altitudinem ramos amputare, vicinus id poteſt, & ligna ſibi habebit. *l.* 1. §. 7. 8. 9. *ff. h. t.*

2. Eſt & actio civilis ex lege 12. tabul. de arbore vicini ſupra fundum alterius vento inclinatâ, quâ agitur, jus non eſſe vicino ita arborem habere. *l.* 2. *ff. h. t.*

3. *Moribus.* Non tota arbor hodie, ſed ſoli rami propendentes ſupra ædes aut aream alienam reſcindi poſſunt.

Tit. XXVIII.

De Glande Legenda.

1. PRætor vim fieri vetat domino, quo minus glandem (id eſt fructus) in alieno cadentem unoquoque triduo colligat. *l. un. ff. h. t.*

Tit. XXIX.

De libero homine exhibendo.

1. INterdictum *de libero homine exhibendo* favore libertatis datur cuivis ex populo, maximè tamen ei, ad quem ea res pertinet. *l.* 3. §. 9. 12. *ff. h. t.* contra eum, qui hominem liberum dolo ſine juſtâ causâ detinet, licèt detentus ipſe ſuum ſtatum ignoret. *l.* 4. *pr. ff. h. t.* ad id ut detentum exhibeat, quo libertas ejus defendatur; aut ſi non exhibeat, litis æſtimationem præſtet. *l.* 3. §. 13. *in fin. ff. h. t.* & ſi ſemel litis æſtimationem præſtiterit, iterum conveniri poteſt vel ab eodem vel ab alio, donec hominem liberum exhibeat. *d. l.* 3. §. 13. *ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 8. *de liberis exhib. & de libero homine exhib.*

Tit. XXX.

De liberis exhibendis.

1. INterdictum *de liberis exhibendis* competit patri habenti liberos in poteſtate, non matri. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* contra eum, penes quem eſt filius exhibendus, modò conſtet, ipſum eſſe filium & in poteſtate. *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* ad id ut filius exhibeatur. Quòd ſi filius apud patrem eſſe nolit; nec tamen ab alio detineatur, officium Judicis & ex parte patris & ex parte filii debet implorari. *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.*

2. Utile interdictum marito datur ad uxorem exhibendam, etiam contra patrem mulieris. *l.* 2. *ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 8 *tit.* 8. *de liberis exhib.*

Tit. XXXI.

Utrubi.

1 INterdictum *Utrubi* eſt retinendæ poſſeſſionis de re mobili; in quo vincit, qui tempore litis conteſtatæ non vi, clam, vel precario ab adverſario poſſidet: & hìc eadem novo jure obtinent, quæ interdicto uti poſſidetis. §. 4. *Inſt. de interd. l. un. ff. h. t.*

Tit. XXXII.

De Migrando.

1. INterdictum *de migrando* eſt prohibitorium, ne vis fiat inquilino migrare volenti, quo minus abducere liceat invecta & illata, quæ domino ædium non ſunt obligata; dum merces fortè jam ſoluta eſt, vel per locatorem ſtat quo minus ſolvatur. *l.* 1. *pr. ff. h. t.* quod hæredi & in hæredem datur. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Si quis gratis habitaverit, utile interdictum habet. *l* 1. §. 3. *ff. h. t.* Sed frequentiùs inquilinis extra ordinem Judicis officio ſuccurri ſolitum. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.*

Tit.

Tit. XXXIII.

De Salviano Interdicto.

1. S*Alvianum interdictum* directum datur domino fundi contra colonum, non tertium poſſeſſorem, de rebus in fundum illatis & expreſsè pro penſione obligatis, ad adipiſcendam illarum poſſeſſionem. *l. 1 ff. h. t. l. 1. C. de precario.* Utile domino fundi & aliis creditoribus hypothecariis competit contra quosvis poſſeſſores ad exemplum actionis hypothecariæ. *l. 1 pr. & §. 1. ff. h. t.* Si pluribus res ſit oppignorata, ſingulis in ſolidum, etiam in ſolidum ſingulis datur hoc interdictum contra extraneum, non inter ipſos; tunc enim melior eſt poſſidentis conditio. *d. l. 1 §. 1 l. 2. ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. lib. 8. tit. 9. de precar. & interdicto Salviano.*

LIBER XLIV.

Tit. I.

De Exceptionibus, Præſcriptionibus, & Præjudiciis.

1. EXceptio eſt actionis excluſio; ut proinde ſine actione ſummo jure valida nulla ſit exceptio. *pr. Inſt. h. t.* ac impropriè tantùm excipiant, qui ipſo jure tuti ſunt; licèt ſolutionem, compenſationem, interitum rei aliudve ſimile in judicio allegent. Juxta *§. pen. Inſt. de action.* (1, 11.)

2. Differt autem exceptio ab actione inter alia in eo, quòd plures actiones uno libello cumulari nequeant. *l. 6. ff. de except. rei jud.* plures verò exceptiones ſimul jungi poſſint: poteſt enim quiſque pluribus exceptionibus contra eundem actorem uti, vel ſimul, vel ſucceſſivè, niſi lex vetet. *l. 8. ff. h. t. l. 43. ff. de reg. jur.* uti vetat in *auth. contra C. de non num. pecun. l. 22. §. 1. ff. de re jud. l. 67. § ult. ff. pro ſocio. l. 10. §. 1. ff. de fidejuſſ.* (111.)

3. Exceptio alia *dilatoria* eſt, quæ actionem in aliud tempus differt. *l. 2. §. ult. ff. h. t.* alia *peremptoria*, quæ judicium perimit, & ſemel objecta ſemper obſtat. *l. 3. ff. h. t.* Et hæ ante vel poſt litem conteſtatam opponi poſſunt; quædam etiam poſt ſententiam, ad impediendam executionem, qualis eſt Macedoniani & Velleiani exceptio. *l. 11. ff. ad Senatuſc. Maced.* ut & exceptio cedendarum actionum. *arg. l. 36. ff. de fidejuſſ.* Dilatoriæ verò aut concernunt formam judicii, veluti ſuſpecti Judicis, fori non competentis, procuratoris inhabilis, &c. & hæ opponendæ ac probandæ ante litem conteſtatam. *l pen. & ult. C. h. t.* niſi demum poſt litem conteſtatam inceperint competere vel innoteſcere, antea juſto errore ignoratæ. *l. 17. ff. de judic. l. 15. C. eod.* Aut reſpiciunt ipſam cauſam, quales ſunt exceptiones pacti de non petendo ad tempus, ordinis ſeu excuſſionis, &c. & hæ initio quidem opponendæ ſunt, poſt litem tamen conteſtatam probari poſſunt, *l. 19. C. de probat.* (IV, V, VI, VII, VIII.)

4. Aliæ inſuper exceptiones *civiles* ſunt, quæ legibus aut alio jure civili ſunt introductæ: aliæ *prætoriæ*, quæ ex edicto prætoris ſubſtantiam capiunt §. 17. *Inſt. h. t.* Aliæ *favorabiles*, aliæ *odioſæ*. *l. 40. ff. de condict. indeb.* Adhæc juxta DD. aliæ ſunt *litis finitæ* exceptiones, aliæ non. *Litis finitæ* exceptiones dicuntur, quæ impediunt litis ingreſſum; veluti tranſactionis, rei judicatæ, &c. modò probentur ante litem conteſtatam. Denique aliæ *in rem* ſunt, quæ proſunt hæredibus & fidejuſſoribus: aliæ *in perſonam*, quæ perſonam certam non egrediuntur, veluti ceſſionis, pacti ne à ſe petatur, competentiæ. *§. ult. Inſt. de replicat. l. 7. ff. h. t. l. 12. 13. 18. ff. ſoluto matrimon.* aliæ *mixtæ*, qualis eſt exceptio minorennitatis, quæ hæredibus quidem datur, at non fidejuſſoribus. *l. 13. junct. l. 18. §. ult. l. 19. ff. de minor. 25. annis.* (III, IX.)

5. Cæterùm reus excipiendo fit actor. *l. 1. ff. h. t.* ideóque exceptionem oppoſitam tenetur probare. *l. 19. C. de probat.* Non tamen excipiendo reus fateri videtur, actoris intentionem veram eſſe. *l. 9. ff. h. t.* éſtque in multis favorabilior excipientium ſeu reorum quàm actorum conditio; ut colligere licet ex *l. fin. ff. de feriis. l. 1. ff. de edendo. l. 8. de acceptilat. l. 4. l. ult. C. de edendo. l. 38. ff. de rejud.* Poteſt autem exceptio replicatione, & ſic deinceps elidi ac excludi. *tit. Inſt. de replicat.* (X.)

6. Altera tituli pars eſt de *præſcriptionibus*, quæ ſunt exceptiones temporis; de quibus latiùs *tit. 5.*

7. Tertiâ parte de *præjudiciis* agitur, quæ ſunt exceptiones, quibus

quibus hâc ratione excluditur actor, quòd futuræ actioni faciant præjudicium; ſeu quod præpoſtere agat, prætermiſſâ actione, quæ priùs inſtituenda & terminanda erat. Exempla ſunt in *l. 1. ff. famil. erciſc. l.* 16. 18. 21. *ff. h. t.* (XII.)

8. *Moribus.* Plerumque omnes exceptiones reo competentes ſimul & ſemel allegandæ ſunt, paucis caſibus exceptis, puta, dum quis priùs opponit exceptionem declinatoriam, litis pendentis, tranſactionis, vel compromiſſi in arbitros. Triplicatio verò aut quadruplicatio hodie non eſt licita, niſi ſpeciali ad id à Judice ob juſtam cauſam impetratâ veniâ. Cæterùm uno eodemque judicio peti poſſe fundum & viam ad fundum, nihil impedit, ceſſante præjudicii exceptione.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 36. *de exception. & præſcriptionibus.*

TIT. II.

De exceptione rei judicatæ.

1. NE lis eadem ſæpius ventiletur, & contrariis latis ſententiis inextricabiles oriantur difficultates, prodita eſt vulgaris & uſu maximè frequentata exceptio rei judicatæ, competens reo per ſententiam Judicis abſoluto, modò à principali lite abſolutus fuerit. *arg. l.* 9. *l.* 17. *ff. h. t.* ejúsque hæredi & fidejuſſori. *l.* 21. *§. ult. ff. h. t.* contra actorem in judicio ſuperatum, & ſucceſſores ejus ſive univerſales ſive particulares. *l.* 28. *ff. h. t.* (I, II, VII, VIII.)

2. Non aliter tamen huic exceptioni locus eſt, quàm ſi lis terminata denuo moveatur inter eaſdem perſonas, de eadem re, & ex eadem petendi cauſa: quòd ſi unum ex his tribus deſit, ceſſat exceptio. *l.* 12. 13. 14. *ff. h. t.* (III.)

3. Eadem res hìc cenſetur etiam ea, quæ aucta vel diminuta eſt, ſive eadem in totum petatur, ſive pro parte. *l.* 7. *pr. l.* 21. *§.* 1. *ff. h. t.* ſive res ipſa petatur ſive ejus acceſſiones, veluti fœtus, partus, &c. *l.* 7. *§.* 1. *ff. h. t.* niſi acceſſiones ex nova petantur cauſa; de quo caſu accipienda *l.* 7. *§.* 3. *ff. h. t.* Si quis tamen domum petierit, nec obtinuerit, eâ poſtea deſtructâ, non prohibetur tigna ſoluta petere tanquam rem aliam. *l.* 7. *§.* 2. *ff. h. t.* ſecus, ſi adhuc ædibus juncta eſſent, quo modo intelligenda. *l.* 7. *in fin. pr. ff. h. t.* (III.)

4. Eadem petendi cauſa eſt etiam, licèt non agatur eâdem actione, ſed aliâ, quoties una actio in altera continetur. *l.* 5.

l. 7. §. 4. ff. h. t. cujus exemplum eſt in *l. 25. §. 1. ff. h. t.* & in actionibus pro legato competentibus. Uti vice verſâ poteſt eadem eſſe actio, & tamen diverſa petendi cauſa; dum is qui vindicavit & ſuccubuit, poſtea acquiſito dominio iterum agit; vel reus abſolutus fuit quia non poſſidebat & poſtea poſſidere cœpit. *l. 9. l. 17. l. 25. §. 2. ff. h. t.* Eſt tamen hìc aliqua inter actiones in rem & in perſonam differentia: nam ſi in rem actum ſit, non expreſsâ ſpeciali causâ, omnes cauſæ cenſentur comprehenſæ, ſic ut iterum in rem agi nequeat: at ſi in perſonam ſemel actum ſit, ex alia cauſa rurſus in perſonam rectè agitur. *l. 14. §. 2. ff. h. t.* (IV.)

5. Eadem perſona civiliter eſt defunctus & hæres, dominus & procurator, pupillus & tutor, pater & filius. *l. 11. §. 7. 8. l. 28. ff. h. t.* emptor & autor, ſi autor abſolutus ſit; non ſi emptor condemnatus. *l. 9. §. ult. ff. h. t.* (V.)

TIT. III.

De diverſis temporalibus præſcriptionibus, & de acceſſionibus poſſeſſionum.

1. PRæſcriptiones ſunt exceptiones temporis, quibus actiones perimuntur, vel ſaltem deſtituuntur effectibus, quos habebant ex jure civili. Ultimus autem dies cœptus in præſcriptionibus non habetur pro completo. *l. 6. ff. de obl. & act.* ſecus in uſucapionibus. *l. pen. ff. h. t. l. 6. 7. ff. de uſucap.* (I.)

2. Conſideratur autem in præſcriptionibus quandoque tempus continuum, quandoque utile. *Continuum* dicitur, quo omnes numerantur dies, feriati & alii: *Utile* verò, quo tantùm continentur dies non feriati, quibus experiundi poteſtas fuit. Vide *l. 1. ff. h. t. l. 2. pr. & §. 1. ff. quis ordo in poſſeſſ. ſervetur.* ſed utiles dies, tanquam litium materiam præbentes, Juſtinianus in multis ſuſtulit. (II, III.)

3. Præſcriptionum temporalium exempla in jure occurrunt plurima: etenim decem diebus præſcribitur appellationi *Nov 23. in pr.* Triginta diebus tollitur exceptio non numeratæ pecuniæ contra apochas. *l. 14. §. 2. de non numer. pecun.* Intra dies quinquaginta per tutores proponendæ juſtæ excuſationis cauſæ. *l. 38. ff. de excuſ. tut.* Sexaginta dierum ſpatio perimitur ſæpe actio redhibitoria. *l. 28. l. 38. ff. de ædil. edict.*

Intra

Intra dies nonaginta conficiendum ab hærede inventarium *l. ult. C. de jure deliber.* Intra menſes quatuor probandæ juſtæ excuſationis cauſæ per tutores. *d. l. 28. ff. de excuſ. tut.* Sex menſium lapſu plerumque peritactio redhibitoria, quandoque & quanti minoris actio, *l. 19. §. ult. l. 28. l. 38. ff. de adil. edict.* Anno pleræque actiones prætoriæ. Biennio actio doli, & exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata. *tit. Inſt. de literar. oblig. l. ult. C. de dolo.* Quadriennio reſtitutiones in integrum. *l. ult. C. de temp. in integr. reſtit.* Quinquennio querela inofficioſi teſtamenti. *l. 8. §. ult. ſ. de inoffic. teſt.* quæſtio ſtatûs poſt alicujus mortem. *tit. ff. ne de ſtatu defunct. poſt quinquenn. quaratur.* Decennio vindicatio immobilium & ſervitutum. *l. 10. ff. ſi ſervit. vind. l. ult. C. de longi temp. præſcript.* Annis triginta actiones plurimæ perſonales. *l. 3. 7. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Hypothecaria actio quandoque annis quadraginta. *d. l. 7. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* In alea amiſſorum repetitio annis quinquaginta. *l. ult. C. de aleat.* rerum Eccleſiæ Romanæ vindicatio annis centum. *Nov. 9.* Quæ tantùm per indicem & exempli causâ retuliſſe ſufficiat, cum plures aliæ per univerſum jus diſperſæ ſint temporum præſcriptiones, quæ unà cum hìc enumeratis ſuo loco ſingulæ pleniùs tractantur. (V, VI, X, XI.)

4. De acceſſionibus poſſeſſionum actum eſt *tit. de uſucap.*

5. *Moribus.* Quid circa præſcriptiones temporum obtineat, dictum *tit. de uſurpat. & uſucap.*

TIT. IV.

De Doli & Metûs exceptione.

1. Exceptio doli vel generalis eſt, concurrens cum aliis exceptionibus, ut colligi poteſt ex *l. 2. §. 5. l. 12. ff. h. t. l. 27. §. 5. ff. de pactis. l. 3. C. de non num. pecun.* vel ſpecialis, ex eo dolo competens, propter quem & actio doli poſſet dari, quæ cum aliis exceptionibus regulariter non concurrit; ac datur iis, qui ſummo jure obligati ſunt, & actione conveniri poſſunt, ſive ipſi dolum paſſi ſint ſive non: ſufficit enim eâ in re, de qua agitur, dolum per actorem commiſſum eſſe. *l. 2. §. 2. ff. h. t.* ob quem tamen actoris dolum iniquum eſſet eos condemnari. *§. 1. Inſt. de except.* Datur & eorum hæredibus ac fidejuſſoribus, quo reſpectu eſt exceptio in rem. *l. 7. §. 1. ff. de exceptionib.* Contra omnes, qui dolum fecerunt vel jam faciunt,

faciunt, etiam pupillos & furioſos, ſi petant id, quod ſemel ipſis eſt ſolutum, cum ex eo eſſent facti locupletiores. *l.* 4. §. 4 *ff. h. t.* Non tamen contra alios, qui dolum non fecerunt, quo ſenſu hæc exceptio in perſonam eſt. *l.* 2. §. 1. *l.* 4. §. 33. *ff. h. t.* adeò ut, ſi procurator in judicio conſiſtat, & dolum commiſerit ante litem conteſtatam, ne ejus quidem doli nomine ipſi, dominum in judicio repræſentanti, hæc exceptio opponi poſſit: ſecus, ſi poſt litem conteſtatam dolum commiſiſſet. *l.* 11. *ff. h. t.* vel in rem ſuam procurator datus eſſet. *l.* 4 §. 18. *ff. h. t.* Sic nec contra ſucceſſores particulares datur, ſi quidem ex cauſa oneroſa velut emptionis, non titulo lucrativo velut donatione, ſuccedant. *l.* 4. §. 27. 29. 31. *ff. h. t.* Non etiam rectè patrono per libertum opponitur, nec hæredi patroni de patroni dolo. *l.* 4. §. 16. *ff. h. t.* Nec denique exceptioni doli opponi poteſt doli replicatio. *l.* 4. §. 13. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Exceptio metûs eſt, quæ competit metum paſſo & ejus hæredi, adversùs quemvis agentem ex contractu vel negotio, ad quod celebrandum metu compulſus fuit qui excipit: ſive agens ipſe metum intulerit, ſive alius. *l.* 4. §. 33. *ff. h. t.* Cæterùm & hæc metus & doli exceptio non temporalis eſt, ut doli & metûs actio, ſed perpetua, ex ratione propoſitâ in *l.* 5. §. *ult. ff. h. t.* (IV.)

TIT. V.

Quarum rerum actio non datur.

1. SI prætor, à quo actor petebat actionem, animadverteret, actorem certò certiùs exceptione excludendum eſſe à reo; actionem ei denegabat; ſic ut exceptiones tunc impediverint litis ingreſſum: ſin de eo dubitaret, actionem dabat, poſtea exceptione elidendam, ſi reus eam probaſſet. *l.* 9. *ff. de jurejur.* Quâ ratione, ſi reus præſtiterit jusjurandum ſibi ab adverſario rectè delatum, jurisjurandi exceptionem habet, hæredi quoque ac fidejuſſoribus profuturam. *d. l.* 9. *l.* 1. *pr. &* §. *ſeqq. ff. h. t. l.* 7. §. 1. *ff. de exception.* [I. II.]

2. Ita & actio per prætorem denegatur, ſi conſtet, patronum à liberto, ultro ac ſponte manumiſſo, onerandæ libertatis gratiâ quid ſtipulatum eſſe, non tam ut exigat, quàm ut libertum tantò magis ad omnia paratum habeat. *l.* 1. §. 5. 7. *ff. h. t.* ſi verò dubium ſit, an onerandæ libertatis causâ pro-

promiſſum ſit, exceptio datur. *d. l. 1. §. 6. l. 2. §. ult ff. h. t.* quæ & hæredi & fidejuſſori liberti competit. *l. 1. §. 8. & ult. ff. h. t.* ac patroni hæredibus etiam opponi poteſt. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* Non tamen huic exceptioni locus eſt, ſi ſervus pro ſuo capite quid promiſerit ut liber fiat, & hanc promiſſionem liber factus confirmaverit. *l. 2. §. 2. ff. h. t.* vel, ſi quid patrono promiſerit libertus ſatis diu poſtquam libertatem nactus eſſet, causâ tamen cognitâ. *l. 1. §. 6. ff. h. t.* (III.)

3. Eodem modo & ſi quid in alea geſtum fuerit, vel actio denegatur, vel datur exceptio. *l. 2. §. 1 ff. h. t.* (IV.)

Tit. VI.

De Litigioſis.

1. Res litigioſa eſt, ſuper quâ lis mota eſt, ſive corporalis ſit ſive incorporalis. Fit autem litigioſâ litis conteſtatione; non ſolâ denuntiatione ne res vendatur, licèt creditori interdixerit debitor, ne pignus vendatur, & is tamen vendiderit. *l. 1. pr. & §. 1. ff. h. t. l. 1. C. h. t.* Jure tamen novo in actionibus realibus res litigioſa fit, ſi libellus Principi oblatus ſit, & Judici inſinuatus, ac per eum futuro reo cognitus, licèt is necdum reſponderit. *auth. litigioſa C. h. t.* (I.)

2. Quòd ſi res litigioſa alienata ſit, perinde lis ad finem perducenda eſt, ac ſi alienatio facta non eſſet. *l. 2. C. h. t.* Ut tamen in ſe conſiderata rei litigioſæ alienatio non ſit ipſo jure nulla, ſed ſubſiſtat. *arg. l. 17. pr. & l. 18. ff. de re vind.* ſed ſi quis rem litigioſam ſibi à reo venditam velit petere ab actore, qui in lite contra reum venditorem vicit, litigioſi exceptione repelli poteſt, licèt bonâ fide emerit; ſecus ſi à tertio, cui lis eâ de re mota non erat, eam emiſſet. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* (I.)

3. Sunt & pœnæ propoſitæ tum in alienantes rem litigioſam, tum in illos, qui eam ſcientes compararunt: nam qui rem litigioſam dedicavit, in duplum tenetur, actori, non fiſco, applicandum. *l. ult. ff. h. t.* qui verò eam vendidit, duplum pretii reſtituit, in univerſum fiſco ceſſurum, ſi emptor ſciverit rem litigioſam eſſe; ſin id ignoraverit, pretium & inſuper pars ejus tertia emptori, reliquum ex duplo fiſco applicatur. *l. ult. C. h. t.* quod & in donationibus obtinet, factâ verâ rerum donatarum æſtimatione. *d. l. ult.* (II.)

4. Ceſſat tamen hæc pœna, ſi quid litigioſi ſit alienatum titulo dotis vel propter nuptias donationis, cùm fortè non aliæ

alıæ res ſuppeterent, vel ex cauſa diviſionis rerum hæreditariarum, vel ſi ultimâ voluntate facta ſit alienatio. *l. fin. in fin. C. h. t.* ut & in caſu *l. fin. §. 1. C. de petit. hæred.* (111.)

5. *Moribus.* Res litigioſa impunè alienatur, ſalvo tamen jure tertii: unde ſi actor vincat, ſententia executioni datur in quemvis rei litigioſæ poſſeſſorem.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 37. de litigioſis.*

Tit. VII.

De Obligationibus & Actionibus.

1. Obligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur, alicujus rei ſolvendæ: quæ neceſſitas ſi deſit, obligatio non eſt. *arg. l. 8. ff. h. t. l. 35. §. 1. de contrah. empt.* Et vel naturalis vel civilis eſt. Naturalis ſolo nititur æquitatis vinculo; quæ licèt ad actionem producendam inefficax ſit, exceptionem tamen parit & ſoluti retentionem. *l. 3. C. de uſuris. l. 13. ff. de condict. indeb. l. 7. §. 4. ff. de pactis.* ac compenſationem admittit. *l. 6. ff. de compenſ.* in conſtitutum deduci poteſt. *l. 1. §. 7. de conſtit. pecun.* & novari. *l. 1. ff. de novation.* & fidejuſſores ac pignora accipere. *§. 1. Inſt. de fidejuſſ. l. 5. ff. de pign. & hypoth.* (1, 11, 111.)

2. Civilis eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundùm noſtræ civitatis jura. *pr. Inſt. de obligation.* Circa quam hìc ſummatim proponenda quaſi per indicem, quæ paſſim toto jure noſtro ſparſa continentur.

3. Eſt ergo civilis obligatio vel talis in ſpecie, quæ ex legibus aut alio jure civili deſcendit; vel prætoria, quam prætor ex ſua juriſdictione introduxit. *§. 1. Inſt. de obligat.* Inſuper vel ex contractu naſcitur, vel quaſi contractu, vel delicto, vel quaſi delicto; vel aliis ſimilibus cauſarum figuris, veluti pactis jure prætorio vel civili confirmatis. Contractus vel nominati ſunt vel innominati; ac hi quadruplices, puta, do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias. Nominati vel re conſtant, ac numero ſunt quatuor, mutuum, commodatum, depoſitum & pignus; vel verbis, vel literis, vel conſenſu, qualis eſt emptio, locatio, emphyteuſis, ſocietas & mandatum. Quaſi contractus quinque occurrunt, videlicet, negotiorum geſtio, tutelæ adminiſtratio, geſtio ſeu factum occaſione communionis, hære-

dit. tis

ditatis aditio, & indebiti ſolutio. Delicta vera quatuor enumerantur, furtum, rapina, damnum injuriâ datum, & injuria ſeu contumelia. Quaſi delicta totidem, nempe, ſi Judex per imperitiam malè judicaverit, ſi quid dejectum vel effuſum fuerit ibi, quâ vulgo iter fit, ſi quid ibi, quâ vulgo iter fit, poſitum vel ſuſpenſum fuerit, & ſi damnum datum fuerit in navi, ſtabulo vel cauponâ per eos, quorum operâ utitur exercitor. (IV, V, VI, VII.)

4. Cæterùm obligationis civilis effectus eſt primarius, quòd inde actio naſcatur; quæ eſt jus perſequendi in judicio quod ſibi debetur. Cujus plurimæ diviſiones ſunt, hìc obiter notandæ. Prima igitur eáque ſumma actionum diviſio eſt, quòd vel in rem ſint, vel in perſonam. In rem dicuntur, quæ naſcuntur ex jure in re, ſeu jure tali, quo res ipſa agenti eſt affecta; quale eſt jus dominii, unde datur rei vindicatio: vel poſſeſſionis, unde Publiciana actio competit; vel ſervitutis, unde confeſſoria & negatoria eſt prodita; vel pignoris, unde Serviana & quaſi Serviana ſeu hypothecaria naſcitur; vel hæreditatis, unde hæreditatis petitio. Actiones in perſonam ſunt, quæ dantur ex jure ad rem, in quibus non res ſed ſola perſona obligata eſt; & competunt ex contractu, vel quaſi, maleficio vel quaſi, aliisque ſimilibus cauſarum figuris. Sunt & mixtæ, partim in rem & partim in perſonam, quales ſunt familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum. (VIII, IX.)

5. Inſuper vel prætoriæ ſunt, quas prætor ex ſua juriſdictione introduxit; vel civiles, quæ ex legibus aut alio jure civili deſcendunt. (X.)

6. Ad hæc vel rei perſecutoriæ ſunt, quibus rem noſtram aut nobis debitam perſequimur; vel pœnales, quibus ad pœnam privatis applicandam agitur; vel mixtæ, quibus partim rem, partim pœnam exigimus. (XI.)

7. Sunt & aliæ in ſimplum conceptæ, aliæ in duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum. Etiam aliæ directæ, quæ ex verbis legum dantur; aliæ utiles, quæ ex mente & interpretatione. (XII.)

8. Præterea quædam bonæ fidei ſunt, in quibus Judici permittitur ex bono & æquo æſtimare, quantum alterum alteri oporteat tribuere, licèt id in conventionem aut petitionem non fuerit expreſsè deductum, quædam ſtricti juris, in quibus conventioni & petitioni partium eſt adſtricta Judicis

poteſtas:

poteſtas: quædam arbitrariæ, in quibus niſi arbitrio Judicis aliquid fiat, condemnatur reus, præcipuè propter dolum, aut contumaciam, vel loci adjectionem. (XIII.)

9. Denique quædam hæredibus & in hæredes dantur, quales ſunt omnes actiones rei perſecutoriæ: quædam hæredibus, ſed non in hæredes competunt, puta actiones merè pœnales, & pœnales mixtæ quantum ad pœnam, niſi lis cum defuncto jam fuerit conteſtata, vel aliquid ex dolo defuncti ad hæredes pervenerit: quædam denique nec in hæredes dantur, veluti actio injuriarum. *§. 1. Inſt. de perpet. & temp. act.* actio in factum de calumniatoribus. *l. 4. l. 5. de calumniat.* actio ad revocandam donationem ob ingratitudinem competens. *l. 1. 7. ult. C. de revoc. donat.* actio in factum de in jus vocando ad 50. aureos. *l. pen. ff. de in jus vocand.* (XIV, XV.)

10. Concurrunt autem ſæpe plures actiones, idque vel ita, ut unâ electâ, ſtatim perimatur altera, licèt per primam nihil actor conſequatur: vel ita, ut altera actio demum evaneſcat, ſi per alteram quis quid conſecutus fuerit: vel denique ita, ut licèt ex unâ quis jam quid conſecutus fuerit, alterâ nihilominus agere poſſit. Primæ ſpeciei exemplum eſt, in actione ex teſtamento, quâ ſi quis egerit & nihil obtinuerit, etiam rei vindicatione non rectè aget ad idem legatum conſequendum. *l. 76. §. 8. ff. de legat. 2.* Secundæ ſpeciei exemplum occurrit in pluribus actionibus pœnalibus ex uno facto concurrentibus, ex quibus, ſi unâ actor egerit & obtinuerit, perit altera, quatenus non plus in ea eſt, quàm in illa quâ jam actum. *l. 41. §. 1. ff. h. t.* Tertiæ ſpeciei exemplum invenire eſt in actione furti & ſervi corrupti concurrente, in caſu *§. 8. Inſt. d oblig. quæ ex delict. naſc.* (XVI.)

11. Quo verò pleniùs conſtet, quid generaliter de actionum concurſu ſtatuendum ſit variè diſtinguendum: nam vel concurrunt plures actiones rei perſecutoriæ: vel rei perſecutoria & merè pœnalis: vel rei perſecutoria & pœnalis mixta: vel duæ merè pœnales: vel denique merè pœnalis cum pœnali mixta.

12. Si plures rei perſecutoriæ ex eadem cauſa concurrant, unâ intentatâ altera perit. *l. 76. §. 8. ff de legat. 2. l. 34. §. ult. ff. h. t.* niſi per eam, quâ nondum actum eſt, aliquanto plus conſequi poſſimus. *l. 43. 47. ff. pro ſocio. l. 41. §. 1. ff. h. t.* Aliter hæc obtinent, ſi ex diverſis cauſis plures rei perſecutoriæ naſcantur. *l. 10. ff. de act. empti. §. 6. Inſt. de legatis.* (XVII.)

13. Si rei perſecutoria concurrat cum merè pœnali, altera alteram

alteram non conſumit. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de condict. furt. §. ult. Inſt. de obl. & delict. d. l.* 34. *§. ult. ff. h. t.* Si rei perſecutoria cum pœnali mixtâ concurrat, altera alteram conſumit quantum ad rem, non quantum ad pœnam. *l.* 34. *§. ult. ff. h. t. l.* 7. *§* 1. *ff. commodati.* Obſt. *l.* 9 § 6. *ff. quod metûs causâ.* Reſp. actio quod metûs cauſa perimitur per rei vindicationem, quia initio inſpecto eſt rei perſecutoria, & poſſeſſor liberatur rem reſtituendo, ex contumaciâ demum in quadruplum condemnandus. *§.* 27. *Inſt. de action. l.* 14. *§. ult. ff. quod met. cauſ.* [XVIII, XIX.]

14. Quòd ſi pœnalis concurrat cum pœnali, una conſumit alteram, niſi in altera plus ſit, ſeu major pœna. *arg. l.* 1. *ff. de vi bon. rapt.* & de eo, quod plus eſt, adhuc petendo intelligi poteſt, quod in *l.* 130. *ff. de reg. jur.* dicitur, *numquam actiones præſertim pœnales de eâdem re concurrentes alia aliam conſumit.* Si concurrat pœnalis mixta cum merè pœnali, una alteram conſumit quantum ad pœnam, niſi plus ſit in eâ, quâ nondum actum; non quantum ad rem. *d. l.* 1. *ff. de vi bon. rapt.* Si plures concurrant pœnales mixtæ, altera alteram perimit, non tamen quoad illud quod plus eſt in altera. *l.* 1. *ff. arb. furtim cæſarum.* [XX, XXI.]

15. *Moribus.* Quamvis variæ inter actiones bonæ fidei & ſtricti juris differentiæ ab uſu receſſerint, non tamen omnis ſublata eſt inter eas diverſitas. Sive autem actiones ſint rei perſecutoriæ ex contractu, ſive rei perſecutoriæ ex delicto, in ſolidum hodie contra hæredes dari poſſunt.

• Adde *ex Cod. libr.* 4. *tit.* 10. *de obligation. & actionibus.*

LIBER XLV.

TIT. I.

De Verborum Obligationibus.

1. Stipulatio eſt verborum obligatio; quâ quis ad interrogationem alterius ſe daturum vel facturum congruè reſpondet. Et regulariter eſt obligatio acceſſoria, quæ conventionibus aliis vel pactis confirmandis ſubjicitur. *pr. Inſt. h. t. l.* 71. *ff. pro ſocio. l.* 27. *de pactis.* Quòd ſi quis alteri ſtipu-

 lanti

lanti promiſerit ex cauſa præcedente, quam ſubeſſe falſo putabat, inutilis eſt ſtipulatio, ita ſaltem, ut promiſſor ſe doli mali exceptione tueri poſſit. *l.* 2 §. 3. *ff. de dol. mal. & met. except.* ſi modò probare poſſit, ſe, ſi non erraſſet, non fuiſſe promiſſurum. *arg. l.* 72. §. 6. *ff. de condit. & demonſtr.* Secus, ſi ſciverit, nullam ſubeſſe cauſam, & tamen ſtipulanti promiſerit; donationis enim causâ videtur promiſiſſe. *l.* 21. *ff. h. t. arg. l.* 53. *ff. de reg. jur.* (II.)

2. Stipulari poſſunt, ſeu rogare quilibet, qui fari poſſunt & aliquem intellectum habent, etiam impuberes ſine tutoris autoritate, modò infante majores ſint, *pr. Inſt. de auctor. tut.* §. 9. 10. *Inſt. de inutil. ſtip* ut & prodigi. *l.* 6. *ff. h. t.* Non muti, ſurdi, niſi per ſervum. *l.* 1. *ff. h. t.* nec deportati. *l.* 14. §. 1. *ff. de novat.* Nec quiſquam alteri, ſed tantùm ſibi, niſi in ejus, pro quo ſtipulatur, poteſtate ſit, vel pœnam adjecerit, vel ſtipulantis interſit alteri dari. §. 4. 19. 20. *Inſt. de inutil. ſtipul.* alias exceptiones vide in *l.* 13. § 13. *ff. de damno infect. l.* 5. §. 9. *ff. de conſtit. pecun.* Si quis *ſibi aut Titio* dari ſtipulatus ſit, Titio tanquam adjecto ſolutioni ſolvi poteſt, ſed nulla Titio, verùm ſoli ſtipulanti, obligatio vel actio quæſita eſt. §. 4. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Si *ſibi & Titio* ſtipuletur, ſibi acquirit rei dividuæ partem dimidiam, nihil Titio; rem verò individuam ſibi ſoli in ſolidum. *d.* §. 4. *arg. l.* 64. *ff. de contrah. empt. l.* 5. *ff. commun. præd. tam urb. quàm ruſt.* (III.)

3. Promittunt ſtipulantibus & promittendo obligantur puberes licèt adhuc minorennes ſint & curatores habeant, etiam ſine curatoris autoritate. *l.* 101. *ff. h. t.* poſitis tamen terminis habilibus, dum fortè ſuam perſonam tantùm obligant, nec alienandæ rei neceſſitatem ſibi imponunt, veluti ſponſalia vel nuptias contrahendo. *l.* 20. *ff. de ritu nuptiarum*; non item, ſi ad obligationem ſequi deberet rerum alienatio. *arg. l.* 3. *C. de in integr. reſt. minor.* (IV.)

4. In ſtipulatum deducuntur & res, & facta honeſta poſſibilia: ita ut quiſque factum proprium, non alienum promittat. §. 3. *Inſt. de inut. ſtipul.* & res quidem vel corporales vel incorporales, modò ſint in commercio; alioquin nec ipſæ peti poſſunt, nec earum æſtimatio, nec id quod intereſt, nec pœna adjecta. §. 2. *Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 69. *l.* 83. §. 5. *ff. h. t.* Idemque eſt, ſi res non ſit in ſtipulantis ſed tantùm promittentis commercio: ſecus quàm obtineret, ſi in ſtipulantis quidem ſed non in promittentis foret commercio; eo namque caſu rata eſt ſtipulatio. *l.* 34. *ff. h. t.* Quòd ſi in nomine

rei

rei vel parte materiæ, vel tota materia erratum ſit, id ſtipulationem non reddit inutilem, modò de corpore conſtet. *l.* 22. 32. *ff. h. t.* (v.)

5. Requiritur autem, ut ſtipulatio fiat legitimo modo verbis congruis, inter præſentes non abſentes. *§.* 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Cæterùm diverſitas reſponſionis in quantitate ſtipulationem pro parte vitiat, ſummâ nempe excurrente, *l.* 1. *§.* 4. *ff. h. t.* ſed ſi diverſitas in qualitate ſit, dum alter purè ſtipulatur, alter ſub conditione reſpondet, totam ſtipulationem reddit inutilem, niſi diverſitas reſponſionis illico placuerit. *l.* 1. *§.* 3. *ff. h. t.* [vi.]

6. Si alternativè duo corpora, veluti *Stichus aut Pamphilus*, in ſtipulatum deducantur, & ex illis unum promittatur, nulla eſt ſtipulatio; ſecus, ſi duæ quantitates, puta *decem aut quindecim. l.* 83. *§.* 2. 3. *ff. h. t.* Si quis unum corpus ſtipuletur, alter verò duo promittat, valet ſtipulatio quantum ad illud, de quo promiſſor rogatus eſt, alterum pro non adjecto habetur. *l.* 1. *§.* 5. *ff h. t.* & vice versâ, ſi quis duo vel plura corpora conjunctim ſtipuletur, *Stichum & Pamphilum*, alter verò Stichum promittat, ſubſiſtit ſtipulatio; cum tot cenſeantur fuiſſe conceptæ diverſæ ſtipulationes, quot ſunt res; ſed ſi promiſſor de rebus pluribus rogatus, ſimpliciter reſponderit, *dabo*, omnes promiſiſſe creditur. §. 18. *Inſt. de inutil. ſtip.* [vii.]

7. Sunt autem variæ proditæ ſtipulationum diviſiones: quædam enim rerum ſtipulationes ſunt, quædam factorum; ad quæ facta implenda nemo præcisè cogi poteſt, ſed liberatur præſtando id quod intereſt. *arg.* §. *ult. Inſt. h. t. l.* 13. *in fin. ff. de re judic.* Quæ & ratio eſt, quod in facti ſtipulationibus conſultum ſit pœnam ſubjungi, præſtandam, ſi factum non impleatur: nec quæritur an interſit, ſed ſimpliciter pœna petitur. *d.* §. *ult. Inſt. h. t. l.* 38. §. 17. *ff. h. t.* Quòd ſi is, qui pœnam promiſerat, pluribus relictis hæredibus deceſſerit, & unus contra promiſſum fecerit, omnes tenentur, quoties id quod promiſſum erat eſt individuum; ut tamen is qui contra promiſſum fecit reliquis cohæredibus damnum cogatur reſarcire: ſed ſi promiſſum diviſionem recipiat, ſolus ille qui contra fecit, pro ſuâ parte tenetur. *l.* 4. *§.* 1. *ff. h. t. arg. l.* 18. *ff. rem rat. haberi*, ex quibus locis limitanda quæ generaliùs ſunt propoſita in *l.* 5. *§. ult. ff. h. t. & l.* 25. *§.* 13. *ff. famil. erciſc.* niſi fortè malimus hîc admittere veſtigia diſſenſûs inter veteres JCtos quos in hac quæſtione inter ſe non conveniſſe patet ex *d. l.* 4.

Gg 2

[redacted] [redacted]

Digitized by Google

l. 4. §. 1. (VIII, IX, X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII.)

8. Quædam inſuper dividuæ ſunt ſtipulationes, in quibus promiſſum per partes præſtari poteſt; quædam individuæ, in quibus promiſſum per partes præſtari nequit. *l.* 72. *ff. h. t.* Adhæc aliæ judiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conventionales, aliæ communes; de quibus *tit. Inſt. de diviſ. ſtipul.* Denique quædam *purè* ſunt conceptæ; quarum dies ſtatim cedit & venit. *l.* 41. §. 1. *ff. h. t.* §. 2. *Inſt. h. t.* cum aliquo tamen temperamento. *l.* 105. *ff. de ſolution.* Quædam *in diem*; in quibus obligationis dies ſtatim quidem cedit, ſed non venit, niſi cùm dies extiterit nec agi poteſt, niſi toto die elapſo. §. 2. *Inſt. h. t.* nec intereſt, expreſsè dies appoſitus ſit, an tacitè inſit, quod contingit, ſi locus adjiciatur, tunc enim tantum temporis ſpatium ſubintellectum creditur, quo commodè promittens potuerit ad locum ſolutioni deſtinatum proficiſci. §. 5. *Inſt. l.* 13. §. 2. *ff. h. t.* vide tamen *l. ult.* §. 4. *ff. h. t.* Quædam *ſub conditione*, quæ ſi impoſſibilis ſit, vitiat ſtipulationem. *l.* 31. *ff. de oblig. & act.* ſi poſſibilis & de futuro caſu concepta, obligationem ſuſpendit: adeò ut dies nec cedat nec veniat niſi exiſtente conditione. §. 4. *Inſt. h. t.* Inutilis tamen eſt ſtipulatio: *ſi volueris dare ſpondes*: licèt valeat, *cum volueris dare ſpondes. l.* 46. §. *pen. & ult. ff. h. t.* [XIX, XX, XXI.]

9. Ex ſtipulatione naſcitur actio ex ſtipulatu aut certi condictio ad conſequendum id, quod in ſtipulationem deductum eſt. *pr. Inſt. h. t.* & id quod intereſt ex mora. *l.* 4. *ff. de eo quod certo loco.* Si quid dubium in ſtipulatione aut obſcurum ſit, id contra ſtipulatorem recipit interpretationem. *l.* 38. §. 18. *l.* 99. *ff. h. t.* Hinc, ſi quis rem fungibilem ſine quantitate ponderis, numeri, vel menſuræ ſtipulatus ſit, vel *ædificium ſibi extrui* non additâ loci mentione, efficaciter agere nequit ex tali conventione, niſi ex circumſtantiis quantitas aut locus colligi poſſit. *l.* 94. *l.* 115. *ff. h. t.* Quamvis alioquin in dubio ſic tamen ſit facienda ſtipulationis interpretatio, ut magis valeat quàm pereat. *l.* 80. *ff. h. t.* (XXII, XXIII.)

10. Quòd ſi res in ſtipulatum deducta perierit, ſi quidem culpâ vel morâ promiſſoris, ad æſtimationem tenetur. *l.* 51. *l.* 82. §. 1. *ff. h. t.* modò ſit culpa commiſſionis, non omiſſionis: unde ſi promiſſor ſervum ægrotum non curaverit, & is ita per negligentiam promiſſoris mortuus ſit, promiſſor non tenetur; neque enim ad factum curationis ſe obligaverat qui dare promiſerat. *l.* 91. *pr. ff. h. t.* (XXIV.)

11. *Moribus.* Poteſt quis non tantùm pro ſe, ſed & pro

alio

alio ſtipulari, ſit ut ei, pro quo ſtipulatur, etiam ſine ceſſione actio competat: unde & ei, qui ſolutioni adjectus eſt, volunt actionem dandam eſſe ad id quod ſtipulatione comprehenſum eſt. Poteſt etiam quis ex alieni facti promiſſione obligari. Cumque pacti & ſtipulationis eadem vis ſit, vix eſt, ut verba hodie ad ſtipulationem ſint neceſſaria, vel ei firmitatem addant; ſtipulatio enim inutilis valebit in omnem eventum ut pactum utile.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 38. *de contrah. & committendâ ſtipulatione. tit.* 39. *de inutil. ſtipulationibus.*

T I T. II.

De duobus reis conſtituendis.

1. Conſtituuntur correi ſtipulandi vel promittendi, cùm plures in ſolidum ſinguli uno eodemque tempore rem eandem ſtipulantur vel promittunt principaliter, eâ mente, ut ſinguli quidem rem totam exigant aut debeant, omnes tamen unam tantùm. *arg. l.* 6. § *ult. l.* 12. *ff. h. t. pr. Inſt. h. t.* nec intereſt, utrum uterque purè, an alter purè alter ſub conditione ſtipuletur aut ſtipulanti promittat. §. *ult. Inſt. h. t.* Quid, quòd & ex intervallo conſtitui poſſunt correi; dum plures non eodem ſed diverſis temporibus rem eandem ſtipulantur aut promittunt, modò tunc id nominatim agatur, ut correi ſint. *l.* 3. *ff. h. t.* ſecus ſi id actum non ſit. *d. pr. Inſt. h. t.* (1, 11.)

2. Effectus duorum reorum conſtitutorum eſt, quòd, ſi correi credendi ſint, ſinguli in ſolidum agere poſſint, ita tamen, ut tota perimatur obligatio, ſi unus exegerit, aut accepto tulerit aut novaverit. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 31. §. 1. *ff. de novation.* eſtque in debitoris arbitrio, cui ex pluribus ſolvere velit, ut ab omnibus liberetur, niſi jam ante ab uno conventus alteri ſolverit; quo caſu ſolutio ipſi non prodeſſet. *l.* 16. *ff. h. t.* Sin correi debendi ſeu promittendi ſint, effectus eſt, quòd ſinguli in ſolidum debeant, ac in ſtipulantis poteſtate ſit, quem ex pluribus convenire velit. *l.* 3. §. 1. *l.* 11. *ff. h. t.* ſic ut nec unus eorum in ſolidum conventus opponere poſſit beneficium diviſionis. *l.* 11. *ff. h. t.* niſi jure novo pro ſe invicem fidejuſſerint. *nov.* 99. *c.* 1. ut tamen uno ſolidum ſolvente reliqui liberentur. Quòd ſi ſtipulator unum jam convenerit; & ab eo vel nihil vel partem tantùm conſecutus ſit, alterum in

 id

id quod deeſt convenire poteſt. *l.* 8. §. 1. *ff. de legat.* 1. (IV, V, VI.)

3. Quicquid autem unus reorum credendi exegerit, non tenetur alteri communicare; & quidquid unus reorum debendi ſolverit ejus partem à correo non repetit; ſuum enim, non alterius negotium geſſit, cum totius rei debitor fuerit aut creditor, niſi ſint ſocii. *l.* 62. *ff. ad Leg. Falcid.* (VII.)

4. Cæterùm non modò ſtipulatione, ſed & aliis contractibus ac ultimâ voluntate duo rei debendi vel credendi poſſunt conſtitui. *l.* 9. *ff. h. t. l.* 8. § 1. *ff. de legat.* 1. [I, III.]

5. *Moribus.* Cenſent duos promittendi reos non teneri ſingulos in ſolidum, niſi id actum ſit; vel ſaltem gaviſuros beneficio diviſionis.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 40. *de duob. reis ſtipul. & promitt.*

Tit. III.

De Stipulatione Servorum.

1. Servi non ex ſuâ, ſed domini perſonâ, rectè ſtipulantur; ſive ſibi, ſive Domino, ſive conſervo, ſive impercſonaliter ſtipulentur: & ex ſtipulatu plerumque domino acquirunt obligationem, quandoque bonæ fidei poſſeſſori fructuario aliiſque ſimilibus, ſi ex re eorum vel operis ſuis ſtipulentur. *l.* 1. §. 1. *l.* 20. *l.* 31. *ff. h. t. tit. Inſt. per quas perſ. nob. oblig. acquir.* (I, II.)

2. Si ſervus communis ſit, & ab uno dominorum juſſus ſtipulari, juſſione neglectâ pro alio ſtipuletur, tamen domino jubenti acquirit. *l. ult. C. per quas perſon. cuique acquir.* (II.)

3. Poteſt & hæreditarius ſervus hæredi futuro in genere ſtipulari. *l.* 28. §. 4. *ff. h. t.* non certo nominatim; velut, hæredi Titio. *l.* 16. *ff. h. t.* & quamvis jacenti quoque hæreditati pleraque ſervus ſtipulari poſſit. *pr. Inſt. h. t.* non tamen uſumfructum, cum ad uſumfructum vera perſona deſideretur, cujus oſſibus inhæreat. *l.* 26. *ff. h. t.* [I.]

LIBER

LIBER XLVI.

TIT. I.

De Fidejuſſoribus & Mandatoribus.

1. Fidejuſſor eſt, qui alienam obligationem mediante ſtipulatione in ſe recipit, reo principali manente obligato. Aliter dictus præs, vas, ſponſor. (I, III.)

2. Fidejubere poſſunt omnes, qui efficaciter obligantur, nec prohibentur pro alio intercedere; ſic ut & pater pro ſuo filiof. & vice verſâ, fidejubere poſſit. *l.* 10. §. 2. *ff. h. t. l.* 8. *C. h. t. arg. l.* 1. *C. de filiof. minore.* Non tamen rectè fidejubet mulier, Velleiani exceptione tuta. *l.* 48. *ff. h. t. l.* 8. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* nec mutus aut ſurdus. *arg. l.* 1. *ff. de verb. oblig.* nec milites pro conductoribus alienarum rerum. *l.* 31. *C. locati.* [V]

3. Quòd ſi quis ad fidejuſſorem dandum obligatus ſit, pignora dando non ſatisfacit. *arg. l.* 7. *ff. de prætor. ſtipul.* ut nec dando talem, qui fidejubere non poterat; ſic ut de novo cavendum ſit: ſed ſi dederit non idoneum facultatibus, & is admiſſus ſit, alium dare non compellitur. *l.* 3. *ff. h. t.* (II.)

4. Accedit fidejuſſor omni obligationi. *l.* 1. *ff. h. t.* niſi præſcriptioni jam extincta ſit. *l.* 37. *ff. h. t. arg. l.* 3. §. 1. *ff. de conſtit. pecun.* Nec refert, utrùm ea ex contractu ſit an ex delicto, quatenus pecuniariè agitur. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 8. §. 5. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* ut & ſi agatur ad pœnam corporalem; quatenus fidejuſſor tantùm cavet de ſiſtendo criminis reo. *l.* 1. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.* non item, ut ſe obliget ad pœnam corporalem. *arg. l.* 26. *ff. de pœnis.* [VI, VII, XII, XIII.]

5. Non etiam intereſt, civilis ſit obligatio principalis, cui fidejuſſor accedit, an naturalis tantùm. *l.* 13. *ff. de condict. indeb. d.* §. 1. *Inſt. h. t.* modò talis ſit obligatio naturalis, quæ jure civili aliquos producit effectus: hinc nulla eſt fidejuſſio pro prodigo ſine curatoris autoritate quid promittente. *l.* 6. *ff. de verb. oblig.* vel pro muliere intercedente, aut filiof. mutuam accipiente. *l.* 16. §. 1. *ff. ad Senatuſc. Velleian. l.* 9. §. 3. *ff. ad Senatuſc. Maced.* [IX.]

6. Pro populari tamen actione non rectè fidejuſſor intervenit. *l.* 56. §. *ult. ff. h. t.* nec pro dote; adhibitis tamen diſtinctionibus : vel enim de dote dandâ vel de eâ reſtituendâ quæſtio eſt. Si de dote dandâ, fidejuſſores rectè interveniunt. *l.* 5. §. 6. 7. *ff. de jure dot.* Sin de ea reſtituenda, ſi quidem extraneus eam ſibi reddi ſtipuletur, fidejuſſorem petere nuſpiam vetatur, & in eo ceſſat ratio, quæ eſt in *tit. C. ne fidejuſſores dot. dent.* at ſi ipſi mulieri dos reſtituenda ſit, ſoluto quidem matrimonio ipſa quoque fidejuſſorem à marito rectè petit, de quo caſu agit. *l.* 24. §. 2. *ff. ſoluto matrim.* eo verò adhuc conſtante, fidejuſſorem mulier à marito pro dotis reſtitutione nec exigere poteſt nec accipere, ne cauſa perfidiæ generetur. *l.* 1. 2. *C. ne fidejuſſ. dot. dent.* licèt pignora à marito accipere non prohibeatur, cum ſic non ſequatur viri alieni fidem ; atque ita non generetur cauſa perfidiæ in connubio. *l.* 7 §. 5 *ff. de donat. inter vir. & uxor.* [x.]

7. Effectus fidejuſſionis eſt, quòd fidejuſſor actione ex ſtipulatu conveniri poſſit, etiamſi pro naturali tantùm obligatione fidejuſſerit. *arg. l.* 60. *ff. h. t.* cum ita non duriùs obligetur; ſed tantùm arctiore vinculo. Duriùs ſanè obligari cum effectu nequit; adeò ut, ſi qualitate ſe duriùs obſtrinxerit, nullius momenti ſit futura tota fidejuſſio. §. 5. *Inſt. h. t. l.* 8, §. 8. 9. 10. *ff. h. t.* ſin quantitate, valitura tantùm ſit uſque ad ſummam concurrentem. *arg. l.* 11. §. 1. *ff. de conſtit. pecun. l.* 22. *C. h. t. l.* 1. §. 4. *ff. de verb. oblig.* Obſt. *l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* Reſp. ibi *omnino non* idem deſignat, quod *in ſolidum non* obligatur, vel *omnino non obligatur* ſc. eo modo quo contraxit. (III, IV.)

8. Et olim quidem in creditoris erat arbitrio, utrùm priùs reum principalem an fidejuſſorem convenire vellet : ſed jure novo fidejuſſori datum eſt ordinis ſeu excuſſionis beneficium, quo oppoſito priùs excutiendus eſt reus principalis. *auth. præſente C. h. t. nov.* 4. Quod tamen ceſſat, ſi reus principalis abſens ſit, nec conveniri poſſit. *d. nov.* 4. *c.* 1, vel ſi fidejuſſor negaverit ſe fidejuſſiſſe. *arg. l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* ut & ſi ei renunciaverit ; quo tamen caſu petere poteſt, ut creditor ſuis (id eſt fidejuſſoris) ſumptibus priùs principalem debitorem excutiat *l.* 22. §. 2. *ff. mandati.* Ceſſat inſuper, ſi fidejuſſor impedierit, quo minùs reus principalis excuteretur. *arg. l.* 203. *ff. de reg. jur.* denique ſi ſe ut principalem obligaverit; tunc enim eum tanquam principalem, non ut fidejuſſorem, primo loco conveniri poſſe, ratio dictat. (XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XX.)

9. Quòd

9. Quòd ſi plures ſimul pro eodem debito fidejuſſerint, olim in ſolidum ſinguli conveniri poterant; ſed ab Imp. Hadriano introductum fuit diviſionis beneficium, quo oppoſito fidejuſſor conveniri nequit niſi pro portione virili, ſi modò omnes confidejuſſores tempore litis conteſtatæ ſolvendo ſint. *l.* 26. 27. 28. *ff. h. t.* §. 4. *Inſt. h. t.* unde, ſi creditor ſingulos fidejuſſores inceperit pro virili convenire, ac deinde ab uno eorum partem conſequi non potuerit, contra cæteros regreſſum non eſt amplius habiturus. *l.* 16 *C. h. t.* ſecus ſi unum tantùm pro virili convenerit. *arg. l.* 23. *C. h. t* (XXI, XXVI.)

10. Cæterùm non intereſt reſpectu hujus beneficii, utrùm omnes eodem modo obligati ſint, an alter eorum purè alter in diem vel ſub conditione, quamdiu poteſt exiſtere conditio. *l.* 27. *ff. h. t.* nec utrùm eodem an diverſis temporibus accepti ſint, modò pro eodem intervenerint debitore. *arg. l.* 48. §. 1. *ff. h. t.* ſecus ſi pro diverſis, qui cum fortè rem eandem eidem promiſiſſent, diverſos dederunt ſeparatim fidejuſſores. *l.* 43. *l.* 51. §. 2. *ff. h. t.* (XXII.)

11. Ceſſat tamen & hoc beneficium, ſi quis per mendacium negaverit ſe fidejuſſiſſe. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* ſi ei renunciaverit. *arg. l. pen. C. de pactis*, ſi cum muliere fidejuſſerit. *l.* 48. *ff. h. t.* ſi pro tutore fidem interpoſuerit, rem pupilli ſalvam fore. *l. ult. ff. rem pup. vel adoleſc. ſalv. fore.* ſi ſe *ſolidum ſoluturum* promiſerit, vel ſe *in ſolidum obligaverit unus pro omnibus*; ne verba videantur fruſtra appoſita: ſecus ſi ſimpliciter dixerit, quòd *in ſolidum ſe obligaverit.* *l.* 3. *C. h. t.* Ceſſat & inter fidejuſſorem primum & eum quem fidejuſſor ille rurſus pro ſe fidejuſſorem dedit; non enim hi confidejuſſores ſunt: licèt plures pro uno fidejuſſore fidejubentes inter ſe hoc beneficio uti poſſint. *l.* 27. §. 1. & 4. *ff. h. t.* Ceſſat denique poſt ſententiam. *arg. l.* 10. §. 1. *C. h. t.* planè uſque ad ſententiam opponi poteſt. *d. l.* [XXIII, XXIV, XXV.]

12. Quòd ſi unus ex pluribus fidejuſſoribus ſolidum ſolvere paratus ſit, petere poteſt, ſibi à creditore cedi actiones contra confidejuſſores ac reum principalem: ut & contra poſſeſſores pignorum, caſu quo ſimul fidejuſſoribus & pignoribus creditori cautum eſt; niſi pignora poſſeſſoribus in aliam inſuper cauſam obligata ſint. *l.* 2. *C. h. t.* Negandum tamen non eſt, quin fidejuſſor & poſt ſolutionem rectè petat eas ſibi cedi. *l.* 17. 36. *ff. h. t.* modò ante ſolutionem de iis cedendis conventio ſit interpoſita. *l.* 76. *ff. de ſolution.* Quid, quòd & citra ceſſionem fidejuſſor contra principalem debitorem experiri

 poteſt,

poteſt, ad recuperandum id quod ſolvit, actione mandati vel negotiorum geſtorum. §. 6. *Inſt. h. t. l.* 6. §. 2. *l.* 20. §. 1. *ff. mandati.* niſi pro invito & vetante fidejuſſerit. *l.* 40. *ff. mandati.* vel pro pupillo ſine tutoris autoritate obligato; vel pro ſervo apud dominum; vel ſine mandato pro eo qui tantùm naturaliter ex pacto obligatus erat. [XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV.]

13. Evaneſcit fidejuſſio confuſione, dum debitor fidejuſſori vel creditor fidejuſſori, aut vice verſâ, ſuccedit. *l.* 93. §. 2. 3. *ff. de ſolution.* ubi in §. 2. delenda particula *non*, ut ſequentia verba ſuadent, adde *l.* 95. §. 2. 3. *ff. de ſolution. l.* 5. *l.* 21. §. 3. *ff. h. t.* Uti & evaneſcit lapſu temporis, ſi quis ad tempus fidejuſſerit; ſic ut in tempus ſequens non obligetur; quamvis de præterito tempore obligatus maneat. *l.* 7. *C. locati. l.* 13. §. 11. *ff. eod.* Non etiam fidejuſſor conveniri poteſt, ſi creditor fuerit in mora excutiendi debitorem principalem, cum is adhuc ſolvendo eſſet. *arg. l.* 41. *ff. h. t.* nec, ſi debitum principale præſcriptione ſublatum ſit; quod ſi principalis quidem debitor interpellatus ſit; ſed fidejuſſor nunquam, ac ne totis quidem triginta annis, non tamen fidejuſſor ſe præſcriptione tueri poſſet. *arg. l. ult.* C. *duob. reis. l.* 91. §. 4. *ff. de verb. oblig.* Corruit inſuper fidejuſſio in caſu. *l.* 3. *& l.* 13. *in fin. ff. judicatum ſolvi.* Non tamen ceſſat, bonis debitoris publicatis, nec ceſſione aut reſcripto moratorio per debitorem impetrato. *l.* 1. C. *h. t.* §. *ult. Inſt. de replicat.* (XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX.)

14. *Moribus.* Nudo quoque pacto fidejuſſor poteſt conſtitui, & hactenus à conſtitutore non differt. Mulierem autem vel pactis dotalibus id agere poſſe, vel etiam ſtante matrimonio, marito ad inopiam vergente, petere poſſe, ut maritus pro dotis reſtitutione fidejuſſores det, nihil impedit. Quòd ſi unus ex pluribus fidejuſſoribus ſolidum ſolverit, etiam ſine ceſſione actionis confidejuſſorem rectè conveniet, aut ſaltem poſt ſolutionem petere poterit, ſibi actiones cedi, licèt id tempore ſolutionis actum non ſit.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 41. *de fidejuſſor. & mandatoribus.*

TIT.

Tit. II.

De Novationibus & Delegationibus.

1. NOvatio vel neceſſaria eſt vel voluntaria. *l. 29. ff. h. t.* neceſſaria dicitur, quæ fit per litis conteſtationem & ſententiam. *l. 3. § 11. ff. de peculio.* per quam nemo conditionem ſuam facit deteriorem, ſed plerumque meliorem. *l. 86. 87. ff. de reg. jur.* Unde nec idem hujus, qui voluntariæ novationis, effectus eſt: nam nec uſurarum curſus ſiſtitur. *l. 35. ff. de uſuris.* nec pignorum aut fidejuſſorum obligatio tollitur. *arg. l. 11. pr. & §. 1. ff. de pignorat. act.* nec privilegia pereunt. *l. 29. ff. h. t.* (I.)

2. Voluntaria novatio appellatur, quæ fit ex partium conventione; & eſt prioris obligationis in aliam ſive naturalem ſive civilem transfuſio ac translatio. *l. 1. ff. h. t.* dividiturque in novationem in ſpecie ac delegationem. Novatio in ſpecie eſt; quæ fit ſine interventu novæ perſonæ inter eos ipſos, inter quos prior obligatio conſtiterat. Et quamvis olim etiam ex circumſtantiis præſumeretur novatio ; jure tamen novo interveniſſe non cenſetur , niſi id expreſſum ſit. *l. ult. C. h. t.* Novare autem poſſunt omnes, qui non prohibentur , etiam pupilli ſine tutoris autoritate , quoties ipſi obligati ſunt. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* [non, ſi alios ſibi obligatos habeant, de quo caſu intelligenda *l. 20. §. 1. ff. h. t.*] ut & tutores ac curatores. *l. 20. §. 1. l. ult. §. 1. ff. h. t.* Non filius-familias in iis cauſis, quibus actio patri eſt quæſita. *l. 23. ff. h. t. l. 27. ff. de pactis.* nec adjectus ſolutioni, licèt ei rectè ſolvatur. *l. 10. l. 21. ff. h. t.* [II, III, IV, V, VII, VIII.]

3. Novari poteſt debitum naturale ac civile ſimul, ut & naturale tantùm. *l. 1. § 1. ff. h. t.* nec intereſt, purum ſit an in diem aut ſub conditione conceptum : ut tamen purum quidem debitum aut in diem certum contractum ſtatim novari poſſit ; conditionale verò ita demum , ſi exiſtat conditio , quæ facit naſci obligationem in novatione prærequiſitam; eſtque hic caſus, quo obligatio uno eodemque temporis momento naſcitur & exſtinguitur. *l. 5. l. 8. §. 1. l. 14. §. 1. ff. h. t.* (IX.)

4. Effectus hujus novationis eſt , quòd prior tollatur obligatio , ejuſque evaneſcant acceſſiones , veluti fidejuſſiones, pignora , uſurarum curſus , pœnæ ſtipulatio priori obligationi appoſita. *l. 15. 18. ff. h. t.* mora purgatur. *l. 8. ff. h. t.*

&

& pereant privilegia priori obligationi adhærentia. *l.* 29. *ff. t.* Quæ omnia ita obtinent, ſi purè ſit facta novatio: nam ſi ſub conditione celebrata ſit, eâ deficiente, prior manebit obligatio cum ſuis acceſſionibus: eâ verò exiſtente, prior demum ſublata creditur, & novatio effectum ſortitur; modò tempore exiſtentis conditionis res, quæ debita fuerat ex obligatione, præcedente, adhuc in rerum naturâ ſit, & perſona ſit quæ obligari poſſit; ut proinde novatio non videatur facta ſi pendente conditione debitor novans deportatus ſit aut ſervus factus, vel res ſine culpâ novantis perierit. *l.* 14. *pr.* & §. 1. *l.* 31. *ff. h. t.* [VII, X.]

5. Delegatio eſt novatio facta interventu novæ perſonæ, dum quis vice ſuâ alium creditori ſuo dat, vel cui juſſerit creditor. *l.* 11. *ff. h. t.* & fit vel per ſtipulationem, vel per litis conteſtationem, cum is, cui actionem ceſſi, litem conteſtatur cum meo debitore. *d. l.* 11. §. 1. *ff. h. t.* Cæterùm in delegatione, quæ fit per ſtipulationem, eadem fere obſervanda, quæ in voluntaria novatione in ſpecie. Præcipuè neceſſe eſt, ut & delegans & delegantis debitor ac creditor, cui ex delegatione obligatio acquiritur, conſentiant: adeòque ut inter delegantem & ejus debitorem mandatum intercedat: inter debitorem verò delegatum & creditorem delegantis interponatur ſtipulatio: denique ut ſtipulans ſit creditor & promittens ſit debitor delegantis; quamvis generaliùs ſumpto delegationis vocabulo, poſſim etiam delegare meum debitorem, ut ſolvat ei, qui non eſt meus creditor; vel eum qui non eſt meus debitor, ut pro me ſolvat meo creditori. *l.* 5. *C. h. t.* (XI, XII.)

6. Non ergo delegatio dici poteſt, ſi quis tantùm mandet ſuo debitori, ut is ſolvat mandantis creditori, ac debitor mandato pareat, nulla inter debitorem & creditorem mandantis ſtipulatione interpoſitâ. *l.* 21. *ff. h. t.* ut nec, ſi debitor ſuo creditori contra debitorem ſuum actionem cedat; quippe quæ ceſſio etiam invito cedentis debitore fieri poteſt. *l.* 1. *C. h. t.* (XII.)

7. Effectus delegationis idem fere eſt, qui & novationis; quòd nempe prior tollatur obligatio, licèt debitor delegatus ſolvendo non ſit. *l.* 3. *in fin. C. h. t.* niſi aliud actum ſit. *l.* 45. §. *pen.* & *ult. ff. mandati.* vel dolus concurrat. *arg. l.* 7. §. *ult. l.* 8. 25. 38. *ff. de dolo.* Eſt & effectus ejus, quòd exceptio, quam delegant poterat opponere debitor, non poſſit objici ei cui debitor delegatus eſt per creditorem; niſi ſit minorennitatis aut

Senatuſ-

Senatuſconſulti Velleiani exceptio. *l. 19. ff. h. t.* aut beneficii competentiæ in caſu *l. 32. ff. ſolut. matrimon.* (XIII. XIV. XV.)

8. *Moribus*. Novatio hodie nudo pacto æquè ac ſtipulatione fieri poteſt : eamque ex probabilibus facti circumſtantiis etiam præſumi poſſe , convenienter juri veteri Romano, veriùs videtur; ut tamen prorogatio termini ſolutionis novationem non inducat. Cæterùm plena quidem delegatio delegantem liberat, at non ſimplex aſſignatio, ut loquuntur.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 42. de novation. & obligationi ſuis.*

TIT. III.

De Solutionibus & Liberationibus.

1. SOlutio in ſpecie eſt naturalis præſtatio ejus quod debetur. *pr. Inſt. quib. mod. t. ll. oblig.* quam facere poſſunt quilibet liberam habentes rerum ſuarum adminiſtrationem , etiam qui jam criminis rei ſunt. *l. 42. ff. h. t.* ut & procuratores vel ſpeciale mandatum ad ſolvendum habentes vel generale cum libera. *l. 87. ff. h. t.* modò inſtructi mandato generali ea ſolvant quæ actionem habent, & ad quæ ſolvenda dominus cogi poſſet. *arg. l. 46. ff. de peculio.* Quin imo , etiamſi quis pro debitore ignorante vel invito ſolverit , ſubſiſtet ſolutio ; ſaltem eatenus ut contingat liberatio *d. pr.* niſi obligatio ſit ad factum artificiale , in quo certæ perſonæ æſtimatur ac ſpectatur induſtria. *l. 31. ff. h. t.* vel ſolutio principaliter fiat in recognitionem dominii directi , ut eſt in canonis emphyteuticarii præſtatione. Pupillus autem vel prodigus vel furioſus non rectè ſolvit , adeò ut ſolutum , ſi exſtet, vindicari poſſit ; ſi tamen conſumptum ſit, cum verè debitum eſſet, contingit liberatio. *l. 14. § ult. ff. h. t.* [1.]

2. Solvitur creditori , vel ei cui ille ſolvi juſſerit , etiamſi creditor eſſet reus criminis. *l. 41. ff. h. t.* niſi perduellis ſit. *l. ult. C. ad Legem Jul. Majeſt.* Adjecto quoque ſolutioni rectè ſolvitur. *§. 4. Inſt. de inutil. ſtipul.* [non item hæredi ejus. *l. 53. ff. de verb. oblig.*] ut & ſervo. Vide *l. 18. 35. ff. h. t.* nec non procuratori ſpeciale ad id vel generale mandatum habenti. *l. 12. ff. h. t.* non tamen ei , qui tantùm ad litem vel tantùm ad rem vendendam conſtitutus eſt. *l. 86. ff. h. t.* nec illi, cujus mandatum eſt revocatum , niſi id bonâ fide debitor ignoraverit. *l. 34. §. 3. ff. h. t.* multòque minùs procuratori falſo. *d. l. 34. §. 4. ff. h. t.* pupillo non aliter ſatis tutò , quàm ſi decretum judicis

judicis ſit interpoſitum. *§. ult. Inſt. quib. alien. licet.* [II, III, IV, V, VI, VII.]

3. Solvenda autem res ipſa quæ obligatione comprehenſa eſt, & eo modo eâque quantitate ac qualitate, quæ eſt expreſſa. Quòd ſi res fungibiles ad certam menſuram debeantur, & ea pro diverſitate locorum ſit varia, in dubio ſolvendæ erunt juxta menſuram loci, in quo præſtandæ ex conventione; niſi quantitas per alterius loci adjectionem fuerit determinata, veluti ſi quis promiſerit decem dolia vini Aurelianenſis; præſtanda enim forent eo caſu dolia receptæ illic magnitudinis, ubicumque locorum ſit facienda ſolutio. *arg. l. un. C. ubi conveniatur qui cert. loc. dare promiſ.* (VIII, IX.)

4. Aliud pro alio invito creditori regulariter ſolvi nequit *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* niſi ſit facti obligatio, in quâ pro facto præſtari poteſt id quod intereſt. *l. 13. in fin. ff. de re judic. §. ult. Inſt. de verb. oblig.* vel legata ſit res aliena, cujus æſtimatio ſolvi poteſt. *§. 4. Inſt. de legat.* vel damnum ſit datum per ſervum aut animal alterius, nam pro damni reparatione fieri poteſt noxæ deditio. *tit. Inſt. de noxal. act.* vel debitor nummos non habet nec aliunde mutuos poſſit accipere; quo caſu creditor res debitoris æſtimatas tenetur in ſolutum recipere. *auth. hoc niſi C. h. t.* Quoties autem id quod ſolutum eſt, (ſive debeatur ſive pro alia re debita in ſolutum ſit datum,) evincitur in totum vel pro parte, ſolutio nulla facta creditur, ſic ut in totum priſtina remaneat obligatio. *l. 46. pr. & §. 1. 2. ff. h. t.* (X)

5. Non etiam per partes debitum rectè ſolvitur, *l. 41. §. 1. ff. de uſuris.* niſi pars debiti liquida ſit, pars illiquida *l. 21. ff. de reb. cred. arg. l. 8. ff. ſi pars hæred. petat.* vel plures ſint unius debitoris hæredes, qui ſinguli tantùm pro rata tenentur. *l. 2. §. ult. l. 3. 4. de famil. erciſc. l. 2. C. de hæred. act.* ut & in caſu. *l. 4. §. 6. ff. de ſtatu liberis. l. 4. C. de collat. fund. patrimon.* (XI, XII.)

6. Effectus ſolutionis eſt, quod liberetur principalis debitor & fidejuſſores ejus ac pignora. *pr. Inſt. quib. mod. toll. oblig. l. 43. ff. h. t.* Quòd ſi quis ſub pœna debeat, ſorte ſolutâ nec pœnæ exactio locum habet. *l. 10. §. 1. ff. de pactis.* uti vice verſâ, pœnâ ſolutâ, debiti principalis ceſſabit petitio, niſi pluris interſit creditoris, quàm eſt in pœna: ad quod tunc actio adhuc ſalva eſt. *l. 28. ff. de act. empti l. 44. §. ult. ff. de oblig. & act.* (XIII.)

7. Eſt & effectus, quòd obligatus ad annuam præſtationem,

nem, ſi trium poſteriorum annorum ſolutionem probaverit, etiam ſuperiorum annorum debitum ſolviſſe cenſeatur, niſi ipſe ſcripto contrarium profeſſus ſit *arg. l. 3. C. de apoch. publicis.* non obſt. *l. 7. §. ult. C de praſcr. trig. vel quadrag. annor.* cum ibi non agatur de caſu quo poſteriorum annorum reditus ſoluti ſunt. [XIV.]

8. Quòd ſi is, qui ſolvit, pluribus ex cauſis debitor ſit, eligere poteſt ex qua cauſa ipſe ſolutum velit: eo verò non eligente, creditor id ſtatuit; modò ita ſtatuat, ut ſtatueret ſi ipſe ſolviſſet. *l. 1. 2. ff. h. t. l. 1. C. h. t.* Si neuter quid determinaverit, ſolutum primò in uſuras quæ peti poſſunt, imputatur; & quod ſupereſt, in ſortem. *l. 5. §. ult. ff. h. t.* ſi plura ſint debita principalia, in id ſolutio facta creditur, quod exigi poterat. *l. 103. ff. h. t.* ſi omnia exactionem habeant, illud ſolutum cenſetur, quod eſt graviſſimum, quo ſcil non ſoluto vel infamia ſequeretur, vel pœna, aut quid ſimile præſtandum foret: & magis quiſque ſolviſſe præſumitur quod ſuo, quàm quod fidejuſſorio nomine debet: ſi omnia ſint debita æque gravia, ſolutum imputatur in id quod eſt antiquius; ſed cunctis paribus in ſingula debita pro rata videtur facta ſolutio. Vide *l. 3. 4. 5. 8. 24. 97. ff. h. t.* [XVI.]

9. Præter ſolutionem in ſpecie plures alii modi ſunt, quibus contingit liberatio; puta, compenſatio, confuſio aditione hæreditatis facta, oblatio, conſignatio & depoſitio rei debitæ, deportatio, rei interitus, ſatisfactio, jusjurandum, pactum, tranſactio, concurſus duarum cauſarum lucrativarum in eandem perſonam & rem, præſcriptio, conſenſus contrahentium, legatum liberationis, occupatio bonorum debitoris autoritate privatâ per creditorem facta, juxta *l. 13 ff. quod met. cauſ.* de quibus ſingulis ſparſim actum in variis juris noſtri capitibus. [XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII.]

10. Circa oblationem tamen & depoſitionem rei debitæ notandum, ſi res debita realiter oblata ſit, non tamen conſignata ac depoſita, liberari debitorem tali oblatione ſi res oblata poſtmodum perierit, ſive corpus certum ſit debitum, ſive quantitas vel res in genere: ut tamen magis ope exceptionis quàm ipſo jure liberetur, niſi debuerit ex cauſa dotis. *l. 72. ff. h. t. l. 73. §. ult. ff. de verb. oblig.* Nuda quoque realis oblatio debiti ſolvit antichreſin. *l. 11. C. de uſuris.* ſiſtit quandoque curſum uſurarum, ut dictum *tit. uſuris.* facit ut evitetur pœna promiſſa. *l. 23. §. ult. ff. de recept. qui arbitr. recept.*

&

& moram purgat. *l.* 9. § 1. *ff. de verb. oblig.* Quòd ſi cum reali oblatione concurrat conſignatio & depoſitio, non dubium, quin pleniſſimum ſortiatur ſolutionis effectum; modò oblatio & reliqua rectè ac debito loco & tempore facta ſint. *l.* 9. *C. h. t. l.* 41. §. 1. *ff. de uſuris.* Quin tamen is, qui depoſuit, res depoſitas repetere poſſit, quamdiu per creditorem ablatæ non fuerint, expeditum eſt; quo caſu perinde eſt ac ſi nunquam depoſuiſſet. *l.* 19. *C. de uſuris.* (XXVIII, XXIX.)

11. *Moribus.* Pupillo rectè fit ſolutio autore tutore, nec decreto opus eſt. Si quis autem pecuniam ad annum mutuo acceperit ſub uſuris, ante annum reſtituere nequit, niſi additis anni totius uſuris.

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 43. de ſolut. & liberationibus.*

Tit. IV.

De Acceptilatione.

1. Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio; & fit mediante ſtipulatione. §. 1. 2. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.* Quòd ſi vitium ſtipulationi inſit, acceptilatio inutilis habebit vim pacti utilis. *l.* 8. *ff. h. t. l.* 27. §. 9. *ff. de pactis.* (I, VI.)

2. Accepto ferre poſſunt, quibus libera competit rerum ſuarum adminiſtratio, ſic ut & donare poſſent; idque per ſe, non per alios ſeu interpoſitas perſonas, ne per tutorem quidem. *l.* 13. §. 10. *ff. h. t.* eò quòd acceptilatio eſt actus legitimus. *l.* 77. *junct. l.* 123. *ff. de reg. jur.* Mediante tamen novatione per interpoſitas perſonas rectè fit, dum de perſona in perſonam priùs transfertur obligatio, veluti à pupillo in tutorem, à domino in procuratorem. *d. l.* 13. §. 10. atque eo de caſu intelligenda *l.* 3. *ff. h. t.* Servus ne jubente quidem domino accepto ferre poteſt. *l. pen. ff. h. t.* licèt ei rectè accepto feratur. *l.* 8. §. *ult. l.* 11. *ff. h. t.* (I)

3. Accepto ferri poteſt tantùm id, quod ex obligatione verbis conſtante debetur; in ſubſidium tamen introducta eſt ſtipulatio Aquiliana, quâ in verborum obligationem transfunditur quicquid ex quacunque cauſa, ex contractu vel delicto, debetur; & ſic acceptilatione ſubſequente tollitur. §. 1. 2. *Inſt. quib. mod. toll. oblig. l.* 18. *ff. h. t.* Nec refert, utrùm debitum acceptilatione tollendum conditionale ſit an purum. *l.* 12. *l.* 21. *ff. h. t.* quamvis nullum debitum poſſit accepto ferri ſub conditione vel in diem. *l.* 4. 5. *ff. h. t.* (II, III.)

4. Ac-

4. Acceptilationis effectus idem eſt, qui & ſolutionis; adeò ut, ſi debitori accepto latum ſit, fidejuſſor quoque liberetur, & ſi fidejuſſori facta ſit acceptilatio, liberetur etiam principalis debitor. *l.* 13. §. 7. *ff. h. t.* exceptis caſibus in *d. l.* 13. §. 8. 9. *ff. hoc tit.* Quòd ſi duæ res alternativè debeantur, *Stichus aut Pamphilus*, & res altera accepto lata ſit, tota extinguitur obligatio. *l.* 27. §. 6. *ff. de pactis.* Obſt. *l.* 13. §. 5. *ff. h. t.* Reſp. ibi mortuo *Sticho* adhuc *decem* manent in obligatione, quia acceptilatio erat inutilis: nam, uti ſolutio non poteſt fieri alternativè, non magis quàm ex die vel ſub conditione, ita etiam acceptilatio *Stichi aut decem*, non rectè poteſt fieri, cùm acceptilatio ſit ſolutioni ſimilis. *arg. l.* 4. *&* 5. *ff. h. t.* Si res in genere ſit debita, & certa ſpecies accepto feratur, tota quoque obligatio perempta eſt. *l.* 13. §. 4. *ff. h. t.* ſecus, ſi id nudo pacto ageretur, ne ex genere debito certa ſpecies peteretur. *l.* 27. §. 7. *ff. de pactis.* (IV, V)

5. *Moribus.* Cùm acceptilatio æquè pacto ac ſtipulatione interveniente fieri poſſit, conſequens eſt, eam etiam ſub conditione factam valere, ſaltem jure pacti ſuſtineri.

* Adde *ex Cod. libr.* 8. *tit.* 44. *de acceptilationibus.*

TIT. V.

De Prætoriis Stipulationibus.

1. PRætoriæ ſtipulationes ſunt, quas prætor ſuo edicto jubet interponi: in quibus varia occurrunt ſingularia: nam ſi quid obſcuri in illis ſit, vel aliquid addi aut detrahi debeat, id prætor interpretatur & æſtimat. *l.* 1. §. *pen. & ult. l.* 9. *ff. h. t.* etiam per procuratorem ſtipulantem hic utilis actio domino quæritur. *l.* 3. 5. *ff. h. t.* & ſi ſtipulationi facti pœnæ ſtipulatio ſubjuncta ſit, nec factum ſit præſtitum, pœna non committitur ſi necdum interſit. *l.* 8. *ff. ſi quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. factu.* (1.)

2. Interponuntur hæ ſtipulationes eum in finem, ut cautum ſit ſtipulanti: unde ſi ſine culpâ ſtipulatoris cautum eſſe deſierit, de novo cavendum eſt. *l.* 4. *ff. h. t.* & quidem datis fidejuſſoribus: prætoriæ namque ſtipulationes perſonas deſiderant, nec regulariter pignoribus contentæ ſunt. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi pro re certâ cautio exigatur, *arg. l.* 1. §. 9. *ff. de collation.* Nonnunquam tamen & nudâ repromiſſione caveri, prætor permittit. Vide *l.* 1. §. 5. 6. 7. *ff. h. t.* (1.)

3. Sunt autem ſtipulationes prætoriæ vel *cautionales* vel *ju-*

diciales vel *communes*: cautionales dicuntur, quæ intercedunt ut nova ſit actio; qualis eſt cautio legatorum nomine, de rato, damni infecti, & rem pupilli ſalvam fore. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Et hiſce quædam prioris actionis, ſi quæ competierit, novatio fit, quatenus ex ſtipulatu petitur quod alioquin actione tutelæ ex teſtamento aut aliter peteretur. *l.* 21. *ff. de acceptil. l.* 8. §. 1. *ff. de novat. Judiciales* ſunt, quæ interponuntur judicii conſervandi causâ, ut illud ratum ſit: qualis eſt cautio judicatum ſolvi, & de operis novi nunciatione. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. Communes*, quæ fiunt judicio ſiſtendi causâ; adeòque ſpectant ad judicii præparatoria. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* [II, III, IV.]

TIT. VI.

Rem Pupilli vel adoleſcentis ſalvam fore.

1. Cautio *rem pupilli ſalvam fore* fidejuſſoribus datis interponitur, qui favore pupillorum carent diviſionis beneficio. *l. ult. ff. h. t.* ac præſtatur à tutoribus & curatoribus, quorum fides nec per magiſtratum ex inquiſitione nec per teſtatoris judicium eſt probata. *pr. Inſt. de ſatiſd. tut.* idque ſtipulante ipſo minore vel impubere, ſi præſens ſit & fari poſſit; alioquin pro eo ſtipulatur ſervus pupillaris, vel alius à prætore ad id conſtitutus; per quem utilis actio pupillo acquiritur. *l.* 2. 3. 4. 5. 6. *ff. h. t.* Si furioſus curatorem recipiens filium habeat, is pro patre ſuo hanc concipit ſtipulationem. *d. l.* 5. *ff. h. t.*

2. Quando autem committatur hæc cautio in tutoribus, curatoribus, protutoribus & ſimilibus, patet ex iis, quæ dicta ſunt, *tit. de tut. & ration. diſtrah. & tit. de eo qui pro tutore negot. geſſit.* quibus addi poteſt, etiam eam committi, ſi tutor ab hoſtibus captus ſit, licèt ſupetſit ſpes poſtliminii. *l.* 2. §. 5. *ff. h. t.*

3. Ceſſat tamen cautionis hujus vis, ſi quis nihil geſſerit cum gerere debuiſſet, quippe quo caſu potius actioni utili tutelæ locus eſſet; vel ſi necdum finita ſit tutela, tutor cogendus eſſet ad id ut gerat. *l.* 4. §. 3. 7. *ff. h. t.*

3. *Moribus.* An tutores & curatores ſatiſdare debeant, an alio modo cavere, arbitrio magiſtratûs relictum eſt: ſtipulatio autem, rem pupilli ſalvam fore, committi poteſt etiam durante adhuc tutelâ, quatenus quandoque annis ſingulis rationes reddendæ ſunt.

TIT.

Tit. VII.

Judicatum ſolvi.

1. QUia nemo ſine ſatiſdatione idoneus eſt alienæ rei defenſor. §. 5. *Inſt. de ſatiſdat.* hinc cautio *judicatum ſolvi* præſtatur ante litem conteſtatam. *l. un. in fin. C. de ſatiſdando.* quoties per alium rei conventi præſentis vel abſentis cauſa defenditur. §. 4. 5. *Inſt. de ſatiſd.* licèt defenſor ſit conjuncta perſona. *l. 14. ff. qui ſatiſd. cog.* Et quamvis olim reus in actionibus in rem ipſe cauſam propriam defendens etiam ad hanc cautionem præſtandam obſtrictus fuerit, *pr. Inſt. de ſatiſdat. l. pen. ff. de dolo. l. 33. ff. de fidejuſſor.* jure tamen novo id mutatum eſt. §. 2. *Inſt. de ſatiſdat.* (Vide *tit. qui ſatiſd. cog. num. 13. & ſeqq.*)

2. Hujus autem cautionis tres ſunt clauſulæ; quarum prima eſt de ſolvendo eo quod judicis ſententia fuerit comprehenſum: altera, de re defendendâ boni viri arbitratu; tertia, dolum malum abeſſe & abfuturum eſſe. *l. 6. 13. 19. ff. h. t.* Continetque hæc cautio certam quantitatem, quatenus per judicis ſententiam determinari ſolet, quantum præſtandum ſit. *l. 9. ff. h. t.* licèt incerta ſit quantitas eo tempore, quo cavetur, dum incertum, quid judex pronunciaturus ſit. *l. 2. §. 2. ff. de prætor. ſtipul.*

3. Committitur hæc ſtipulatio poſt ſententiam, quantum ad eam partem quæ agit de judicato ſolvendo, datâ tamen dilatione condemnatis per leges conceſsâ. *l. 1. ff. h. t.* gaudentque hic fidejuſſores diviſionis beneficio. *l. 16. ff. h. t.* Sed quantum ad eam partem, quæ de re defendendâ & de dolo concepta eſt, ante ſententiam illa quoque committitur, quoties vel dolus adeſt, vel res non eſt in ſolidum defenſa loco debito. *l. 5. §. ult. l. 17. ff. h. t.* Semel autem commiſſa, amplius committi nequit. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* Vide tamen *l. ult. ff. h. t.*

4. Ceſſat hujus cautionis effectus, ſi vel actio vel judicis aut litigantis perſona mutata ſit. *l. 3. l. 7. in med. l. 13. in pr. & in fin. ff. h. t.*

5. *Moribus.* Cautio judicatum ſolvi non ſolet hodie interponi, niſi alteruter litigantium peregrinus ſit, aut de fugâ ſuſpectus, aut non ſolvendo: poteſtque præſtari non tantùm fidejuſſoribus, ſed & pignoribus: & non à reo tantùm ſed & ab actore interponitur, quo caſu ſolas reſpicit litis impen-

 ſas.

ſas. Fidejuſſorem autem, qui promiſit judicatum ſolvi, non gaudere diviſionis beneficio, receptum eſt.

Tit. VIII.

Ratam rem haberi & de ratihabitione.

1. CAutio *rem ratam haberi* præſtanda eſt à procuratore, plerumque quidem actoris, quandoque tamen & rei. *l.* 13. §. *ult. l.* 39. §. 5. 6. 7. *l.* 40. §. 2. *ff. de procurat.* quoties de mandato dubitatur. §. 3. *Inſt. de ſatiſdat. l.* 1. *C. de procurat.* Quòd ſi dominus ea, quæ geſta ſunt, poſtmodum rata non habuerit, ex hâc cautione contra procuratorem & fidejuſſores ejus datur actio ad id quod intereſt; idque vel in totum, vel pro parte, ſi pro parte tantum fuerit ratum habitum quod geſtum eſt. *l.* 18. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Si quis primò ratum habere noluerit quod geſtum eſt, deinde tamen ratum habeat, ex æquitate non committitur ſtipulatio. *l.* 12. §. 2. *ff. h. t.* [III. *in fine.*]

3. *Moribus.* Vix eſt ut hodie procurator in judicio admittatur ſine mandato ſub cautione de rato.

LIBER XLVII.

Tit. I.

De privatis Delictis.

1. DElictum in genere eſt offenſio dicto vel facto illata, quâ quis contra jus læditur dolo culpâve alterius, in ſpeciem contractûs aut quaſi contractûs non cadens. Multa autem delictis omnibus ſunt communia: omnia namque regulariter infamant, & dolum deſiderant in eo, à quo committuntur, excepto damno legis Aquiliæ: unde & affectus diſtinguit maleficia. *l.* 53. *ff. de furtis.* nec tenetur ex delicto qui doli capax non eſt. *l.* 12. *ff. ad leg. Corn. de ſicar. l.* 3. §. 1. *ff. de injur.* nec ſola delicti cogitatio quemquam pœnæ ſubjugat. *l.* 18. *ff. de pœnis.* nec actiones ex delicto contra hæredes dantur. §. 1. *Inſt. de perpet. & temp. act.* (I.)

2. Delicta

2. Delicta alia privata ſunt, alia extraordinaria, alia popularia, alia publica. Privata ſunt, quæ actione privatâ vindicantur ab eo, ad quem ea res pertinet, ſic ut pœna exacta ipſi actori læſo applicetur. *l.* 7. §. 1. *ff. de injur.* quamvis & criminaliter ex delicto privato agi poſſit, quo caſu etiam in crimen ſubſcribendum fuit *l. ult. ff. h. t.* [II.]

3 Sunt autem delictorum privatorum quatuor ſpecies, puta, furtum, rapina, damnum injuriâ datum, & injuria ſeu contumelia. (III.)

4. *Moribus.* Solus fiſcus ex delictis privatis ad pœnam agit; privati verò, qui delicto læſi ſunt, ad proprium tantùm damnum perſequendum, non ad pœnam, actionem habent.

TIT. II.

De Furtis.

1. FUrtum eſt contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel uſûs ejus poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere. §. 1. *Inſt. h. t.* [I, VIII.]

2. Committere furtum poſſunt omnes qui doli capaces ſunt, etiam pupilli pubertati proximi. *l.* 111. *ff. de reg. jur.* pater quoque ſuo filiof., & filius patri reſpectu caſtrenſis aut quaſi caſtrenſis peculii, ſic ut & actio furti inter eos detur. *l.* 52. §. 5. 6. *ff. h. t.* non item rerum aliarum intuitu, licèt res ipſa ablata furtiva fiat, & actione furti teneantur qui filium ope vel conſilio juverunt. §. 12. *Inſt. h. t.* [II.]

3. Fit autem furtum in rebus tantùm mobilibus, non immobilibus. §. 7. *Inſt. de uſucap.* adde *l.* 25. §. *ult. l.* 57. *ff. h. t.* & quidem alienis, non propriis, niſi reſpectu juris quod alius in re noſtra habet. *l.* 15. §. 1. 2. *l.* 59. 66. *ff. h. t.* §. 10. *Inſt. h. t.* planè in rebus quoque communibus per unum ex ſociis furtum poſſe fieri, manifeſtum eſt ex *l.* 45. *ff. h. t. l.* 47. 51. *ff. pro ſocio.* Sed in libero homine furtum regulariter non committitur. §. 9. *Inſt. h. t.* nec in rebus hæreditariis, jacente hæreditate. *l.* 68. *ff. h. t.* [III, IV, V.]

4. Committitur verò vel naturali contrectatione, cum animo & affectione furandi (non ſine eo) *l.* 50. §. 2. *ff. h. t.* §. 7. *& pen. Inſt. h. t.* vel etiam ope aut conſilio; modò quis ſciens furi opem tulerit: & ad conſilium ipſa contrectatio ſubſecuta ſit. *l.* 53. §. *ult. ff. de verb. ſignif. l.* 52. §. 19. *ff. h. t.* eâ enim ad

 conſilium

conſilium alterius non ſubſecutâ, conſulens furti reus non eſt. §. 11. *in fin. Inſt. h. t. d. l.* 53. §. *ult. ff. de V. S.* Ad contrectationem autem furtivam etiam pertinet, ſi quis tabulas ſurripiat vel deleat lucri causâ. *l.* 41. §. 1. *ff. ad leg. Aquil. l.* 27. 32. *ff. h. t.* ſi ſciens indebitum accipiat ab ignorante. *l.* 18. *ff. de condict. furt.* ſi ſcienter rem emat alienam. *l.* 2. *C. h. t.* ſi falſa pondera ad decipiendos ſecum contrahentes adhibeat. *l.* 52. §. 22. *ff. h. t.* ſi falſus procurator depoſitum recipiat, vel æs alienum exigat, *l.* 19. *C. h. t.* Non tamen eo referendum, ſi quis tantùm conclave intraverit furandi causâ. *l.* 21. §. 7. *ff. h. t.* aut depoſitum inficiatus ſit. *l.* 67. *ff. h. t.* multòque minus, ſi nudam conceperit furandi voluntatem. *arg. l.* 18. *ff. de pœnis.* (VI, VII.)

5. Furtorum variæ ſunt ſpecies: aliud enim *diurnum* eſt, aliud *nocturnum*. vide *l.* 4. *ff. ad leg. Aquil. l.* 9. *C. ad leg. Corn. de ſicar.* Aliud *ſimplex*, aliud *qualificatum*. Aliud *manifeſtum*, cum fur deprehenditur cum re furtiva, antequam eam eò detulerit, quò deferre eo die deſtinaverat: aliud *nec manifeſtum*, cum fur deprehenditur, poſtquam detulerit eo loco, quò perferre deſtinaverat. §. 3. *Inſt. h. t.* Adde *l.* 7. *ff. h. t.* Furti quidem manifeſti pœna eſt quadruplum ex edicto prætoris; nec manifeſti duplum ex lege 12. tabul. §. 5. *Inſt. h. t.* quas pœnas non evitat fur ſuâ pœnitentiâ, ſi poſtquam rem abſtuliſſet, eam rurſus domino ſponte reddat. *l.* 65. *ff. h. t.* [IX, X, XII.]

6. Quòd ſi fur non totam rem ſed partem ejus abſtulerit, pars tantùm ablata duplicatur aut quadruplicatur, ſi, cum totam potuiſſet auferre, partem tantùm ſubduxerit; ſolius enim partis eo caſu fur eſt: ſecus, ſi rem totam tollere non potuerit, & ideo partem tulerit; totius enim rei fur eſſe creditur, licèt hâc de re diſſenſus fuerit. *l.* 21. *pr.* & §. 8. *ff. h. t. l.* 22. §. 1. *ff. h. t.* [XI.]

7. Ad perſequendam verò dupli vel quadrupli pœnam comparata eſt actio furti, competens omnibus illis quorum intereſt, §. 13. *Inſt. h. t.* modò interſit ex juſta & honeſta cauſa. *l.* 11. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* & ex jure in re, *arg.* §. 3. *Inſt. de empt. vend.* ac denique propter damnum datum, non ob ſolum lucrum ceſſans, quod in furto ſingulare eſt. *l.* 71. §. 1. *ff. h. t.* Non igitur ſoli domino hæc datur actio, ſed & creditori cui pignus ſurreptum eſt; & fulloni qui polienda veſtimenta receperat, modò ipſe ſolvendo ſit. §. 14. 15. *Inſt. h. t. l.* 12. 15. 87. *ff. h. t.* etiam bonæ fidei poſſeſſori, ſi is rei poſſeſſæ furtum paſſus ſit *l.* 74. *ff. h. t. d.* §. 15. *Inſt. h. t.* olim quoque commo-

commodatario; ſed jure novo commodanti competit electio, num furti contra furem, an commodati contra commodatarium agere velit; & ſi commodati actionem elegerit, commodatario ſalva eſt contra furem actio furti. *l. ult. C. h. t.* §. 16. *Inſt. h. t.* Quòd ſi fructus fundi furto ablati ſint, colono hæc furti actio accommodatur, non domino fundi; niſi colonus ſolvendo non ſit; quâ ratione concilianda. *l.* 14. §. 2. *l.* 26. §. 1. *ff. h. t.* cum *l.* 60. §. 1. *ff. locati.* atque eo ſenſu fortè accipiendum eſt, quòd tam domino quàm colono hæc actio dari dicitur in *l.* 82. §. 1. *ff. h. t.* (XIII.)

8. Datur autem hæc actio contra furem, & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum, ſic ut unius præſtatione cæteri non liberentur. *l.* 1. *C. de condict. furt.* non tamen contra mercenarium, aut libertum, aut domeſticum, ſi vilius ſit furtum. *l.* 11. §. 1. *ff. de pœnis.* *l.* 89. *ff. h. t.* (XIV.)

9. Cæterùm in poteſtate ejus, qui furtum paſſus eſt, conſtitutum eſt, utrùm actione civili ad pœnam agere velit, an criminaliter experiri. *l. fin. ff. h. t.* (XV.)

10. *Moribus.* Pœna dupli vel quadrupli hodie exolevit, & pœnæ potius corporali locus eſt; quandoque capitali, ſi vel cum effractione furtum fiat, vel poſt iteratam coërcitionem corporalem fur à furto non abſtineat, vel grave ſit furtum domeſticum à famulis commiſſum. Cæterùm nec depoſitarius, nec creditor nec commodatarius re depoſitâ, &c. utentes vel abutentes, contra quàm fas erat, furti rei ſunt, ſed tantùm ad id quod intereſt tenentur, uti & illi qui ſcienter indebitum acceperunt, aliique ſimiles.

* Adde ex *Cod. libr. 6. tit. 2. de furtis & ſervo corrupt.*

TIT. III.

De Tigno juncto.

1. Tignum (quo omnis materia deſignatur ex qua fit ædificium. §. 29. *Inſt. de rer. diverſ.*) alienis ædibus bonâ vel malâ fide junctum quamvis vindicari per priſtinum dominum non poſſit, ne urbs ruinis deformetur. *l.* 1. *ff. h. t.* ſatis tamen ei conſultum eſt actione de tigno juncto in duplum æſtimationis tigni juncti, tam contra bonâ quàm malâ fide jungentem: ut tamen, ſi contra bonâ fide jungentem agatur, duplo inſit ipſa res, ſic ut tignum poſtmodum ſolutum vindicari nequeat per eum, qui duplum jam conſecutus eſt. §. 29. *Inſt. de* *rer.*

rer. divif. l. 23. §. 6. *ff. de rei vind. l.* 41. *in fin. l.* 41. 43. *ff. de legat.* 1. ſecus quàm obtinet, ſi quis malâ fide junxerit; quippe qui, duplo jam præſtito, adhuc vindicationem tigni ſoluti, vel æſtimationis ejus ſi necdum ſolutum ſit, patitur, tanquam qui dolo poſſidere deſiit. *l.* 1. §. *ult. l.* 2 *ff. h. t. d. l.* 23. §. 6. *ff. de rei vind.* Obſt. pretium tantum petitur. *l.* 98. §. *ult. ff. de ſolution.* Reſp. vel pretium quis conſequitur præter duplum, ſi ſc. is, qui junxit, in malâ fide ſit; vel pretium conſequitur, quatenus duplo & pretium ineſt, ſi jungens ſit in bona fide. Obſt. *l.* 63. *ff. de donat. inter vir & uxor.* Reſp. ibi tignum junctum fuit ſciente & conſentiente uxore quæ tigni erat domina. (I, II.)

2. *Moribus.* Actio de tigno juncto non in duplum eſt ſed tantùm ad pretium tigni & id quod intereſt.

TIT. IV.

Si is qui Teſtamento liber eſſe juſſus erit poſt mortem Domini ante aditam hæreditatem ſurripuiſſe dicitur.

1. SI ſervus teſtamento manumiſſus ex hæreditate jacente domini manumittentis quid abſtulerit, aut corruperit, deficiebat actio civilis. *l.* 1. § 15. *ff. h. t. arg. l.* 68. *ff. de furtis* ſed prætor utilem in talem ſervum dedit actionem in duplum. *l.* 1. *pr. ff. h. t.* quæ & hæredibus competit. *l.* 1. §. *pen. ff. h. t.* & merè pœnalis eſt, ſic ut inſuper ablati detur vindicatio. *l.* 1. §. 17. *ff. h. t.* Si plures tale quid commiſerint in ſolidum ſinguli tenentur, nec unius præſtatione cæteri liberantur. *l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* [I.]

2. Requiritur autem, ut ablatio facta ſit dolo vel latâ culpâ *l.* 1. §. 2. *ff. h. t* poſt mortem domini, non eo vivente: & ante, non poſt aditam hæreditatem, juxta tituli inſcriptionem. (II.)

TIT.

TIT. V.

Furti adverſùs Nautas, Caupones, Stabularios.

1. SI per eos, quorum operâ utitur exercitor navis, ſtabuli aut cauponæ, furtum commiſſum ſit, eſt in poteſtate ejus, cui furtum factum eſt, an contra furem actione furti directâ agere velit, an actione exercitoriâ ex quaſi delicto contra exercitorem in duplum. *l.* 1. §. 2. 3. *ff. h. t.* qui tamen, ſi ſervorum propriorum [non alienorum] operâ utatur, noxæ dando liberari poteſt. *l. un.* §. 5. *ff. h. t.* Quòd ſi per vectores aut viatores furtum factum ſit, non tenetur hâc actione exercitor. *l. un. in fin. ff. h. t.*

2. Per nautas autem in hujus *tit.* inſcriptione deſignantur navis exercitores; cum alioquin nautæ exercitoribus & magiſtris opponantur. *l.* 1. §. 2. *ff. de exercit. act. l. un.* §. 1. *ff. h. t.*

TIT. VI.

Si Familia furtum feciſſe dicatur.

1. SI familia ſervorum domino ignorante vel ſciente quidem ſed impedire non valente, furtum fecerit extraneo, dominus poteſt vel noxæ dando totam familiam, vel ſemel duplum præſtando liberari, quaſi unus homo liber furtum feciſſet. *l.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.* ut tamen præter duplum adhuc ſit ſimpli ſeu rei ipſius condictio. *l.* 2. *ff. h. t.* Cæterùm variis in caſibus aliis ſi familia quid fecerit, dominus ſervorum ſingulorum nomine ad totam pœnam tenetur, veluti in albo prætoris corrupto. *l.* 9. *ff. de jurisd.* injuriâ illatâ. *l.* 34. *ff. de injuriis.*

TIT. VII.

Arborum furtim Cæſarum.

1. ARborum appellatione hìc etiam vites, hederæ, arundines, ſalicta, aliaque ſimilia continentur, modò radices egerint & jam excreverint; oleæ etiam ante radices

actas. *l.* 3. *pr. & §§. ſeqq. l.* 4. *ff. h. t.* *Cædere* arborem eſt ſuccidere, vel ferire cædendi causâ. *Cingere* eſt deglabrare, ſeu corticem detrahere. *l.* 5. *ff. h. t.* (I.)

2. Si quid tale factum ſit furtim, id eſt domino ignorante. *l.* 1. *ff. h. t.* actio ex lege 12. *tab.* perpetua datur domino & ejus hæredibus. *l.* 7. §. 6. *ff. h. t.* emphyteutæ quoque *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* non item fructuario. *l.* 5. §. 2. Contra cædentem, licèt non habuerit furandi animum. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* ut & eum, qui mandavit cædi. *l.* 7. §. 4. *ff. h. t.* non contra hæredes. *l.* 7. §. 6. *ff. h. t.* Ad id ut præſtetur duplum damni dati deductâ prius arboris cæſæ æſtimatione. *l.* 7. §. *ult. l.* 8. *ff. h. t.* (II.)

3. Si plures cæciderint, ſinguli in ſolidum tenentur exemplo furum: ſed ſi plures ſint arboris per unum cæſæ domini, univerſis una pœnæ præſtatio ſufficit. *l.* 6. *pr. &* § 1. *ff. h. t.* (II.)

4. Ceſſat tamen hæc actio, ſi arbores ſciente domino cæſæ ſint per vim. *l.* 8. §. *ult. ff. h. t.* ut &, ſi quis non cæciderit, ſed radicitus evulſerit, quo caſu actioni legis Aquiliæ locus eſt. *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* [III.]

5. Concurrit autem cum hâc actione etiam actio locati, ſi cædens conductor ſit: & actio furti, ſi furandi animum cædens habuerit: & Legis Aquiliæ; & interdictum quod vi aut clam. *l.* 1. *l.* 11. *ff. h. t.* ſed quod quis unâ actione conſecutus eſt, id deducendum, ſi aliâ pinguiore adhuc velit experiri. *d. l.* 1. *l.* 9. *l.* 11. *ff. h. t.* Poteſt & cædens extra ordinem coërceri ut latro. *l.* 2. *ff. h. t.* [IV.]

6. *Moribus.* Qui arborem furtim cæciderint, virgis aut alio modo extra ordinem puniuntur.

Tit. VIII.

De vi bonorum raptorum & de turbâ.

1. Rapina eſt contrectatio fraudulosa violenta lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei vel usûs poſſeſſioniſve. Ob quam actio de vi bonorum raptorum eſt introducta, competens ei cujus intereſt, eo fere modo quo & furti actio. §. *ult. Inſt. h. t.* contra eos, qui rem mobilem dolo malo ſurripuerunt, non errore. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 7. *C. unde vi*, ad pœnam quadrupli intra annum, poſt annum in ſimplum. *l.* 2. §. 13. *ff. h. t.* quæ actio & locum habebit contra eum, qui coactis hominibus damnum dederit, licèt damnum dans non coëgerit

ſit: ut&, contra eum qui homines coëgerit, licèt non ipſe cogens ſed alius damnum dederit, etiamſi hiſce caſibus ſive vires ablatæ, aut damnum datum fuerit. *l.* 2. *pr.* & §. 1. §. 12. *ff. h. t.* [I, II.]

2. Si damnum in turba datum fuerit, contra eum qui damnum dedit cujuſve dolo damnum datum eſt, in duplum veri pretii ejus temporis, quo agitur, actio intra annum datur, poſt annum in ſimplum. *l.* 4. *pr.* & §. 5. 11. *ff. h. t.* licèt ipſe damnum dans turbam non coëgerit. *l.* 4. §. 6. *ff h. t.* Differt autem turba à coactione hominum & rixâ: rixâ enim eſt etiam duorum *l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* coactio hominum eſt & cum unus coactus eſt. *l.* 2. §. 6. *ff. h. t.* at turba dicitur, cum decem aut quindecim adſunt. *d. l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* [III.]

3. Cæterum multis aliis modis qui violentiam adhibuerunt coërceri poſſunt, de quibus vide *l.* 28. §. 10. *ff. de pœnis tit. ff. de effractor. tit. de lege Julia de vi publica & de vi privatâ.*

4. *Moribus.* Furtum violentum etiam ultimo coërceri ſupplicio, dictum ad *tit.* de furtis.

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 33. *de vi bonor. rapt.*

TIT. IX.

De incendio, ruinâ, naufragio, nave, rate expugnatâ.

1. SI quis dolo malo incendii vel ruinæ tempore, ex ipſo velut igne vel ruina quid rapuerit, vel tempore naufragii aut navis expugnatæ quid ex navigio abſtulerit, intra annum convenitur in quadruplum, poſt autem in ſimplum. *l.* 1. *ff. h. t.* hæredes planè rapientium non ultra tenentur, quàm quatenus ad eos pervenit. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* [I.]

2. Præter hanc pœnam variæ aliæ extra ordinem contra hujuſmodi direptores ſtatutæ ſunt. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* vide *l.* 3. §. 8. *l.* 4. §. 1. *l.* 7. *l.* 10. *ff. h. t. l.* 3. §. 3. *ff. ad leg. Jul. de vi publ. l.* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de vi privatâ.* [II.]

3. Autores autem incendii dolo concitati igne cremantur. *l.* 9. *ff. h. t.* Adde *l.* 21. §. 1. *ff. h. t. l.* 10. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* culpâ concitaverint, leviùs caſtigantur. *d. l.* 9. ſi caſu impunè fecerunt. *l.* 11. *ff. h. t.* (V.)

4. *Moribus.* Ceſſante pœnâ quadrupli, extra ordinem coërcentur qui ex incendio, ruinâ, naufragio rapiunt. Incendia-

rii autem vel uſtilati ſtrangulari vel ſtrangulati comburi ſolent.

Tit. X.

De injuriis & famoſis libellis.

1. Injuria eſt delictum in contemptum hominis liberi admiſſum, quo ejus corpus vel dignitas vel fama læditur dolo malo. Injuriam proinde inferre poſſunt omnes qui doli capaces ſunt, etiam pupilli pubertati proximi. *l.* 111. *ff. de reg. jur* *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* modò in his doli capacibus verè etiam adſit injuriandi animus; quo deficiente non foret injuria. *l.* 3. §. *ult* *l.* 4. *ff. h. t.* (I, II, III.)

2. Patiuntur injuriam homines liberi, non ſervi. §. 3. *Inſt. h. t.* Idque vel in ſemetipſis, vel per uxores ſuas, aut liberos quos habent in poteſtate; ſi modò injuriam inferens ſciverit eſſe filiumfam. vel uxorem, licèt ignoret, cujus filiusfam. aut uxor ſit. Secus ſi patremfamilias aut viduam vel virginem eſſe putaverit: ſic enim patri vel marito nulla injuria illata creditur. *l.* 18. §. 4. 5. *ff. h. t.* Idemque in ſponſa receptum eſt. *l.* 15. §. 24. *ff. h. t.* Nec ſoli viventes, ſed & mortui ſuo modo pati poſſunt injuriam, dum eorum fama proſcinditur, cadaver detinetur. *l.* 1. §. 4. 6. *l.* 27. *ff. h. t.* *l.* 8. *ff. de religioſ.* §. 1. *Inſt. quib. ex cauſ. manum. non licet. l. ult. C. de ſepulchro violat.* (IV, V, VI.)

3. Infertur autem injuria vel re vel verbis vel litteris vel conſenſu. *Re* infertur, dum quis pulſatur, verberatur, aliiſque modis quamplurimis. Vide §. 8. *Inſt. h. t* *l* 5. *pr.* & §§. *ſeqq. l.* 9. §. 1. & *ult. l.* 10. *l.* 13 §. 5. & 7. *l.* 15. *pr.* §. 1. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 22. 23. 27. 30. 31. 33. *l.* 20. & *ſeqq. l.* 38. 39. *ff. h. t. l.* 25. *ff. de act. empti. l.* 5. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog. l.* 6. *ff. ad leg. Jul. de adulter. l.* 1. §. 1. *ff. de extraord. crimin.* *Verbis* fit, veluti convitio vel maledicto, quo pertinet. *l.* 16. §. 2. 3. 4. & *ſeqq.* & §. 27. *ff. h. t.* nec excuſat convitii veritas, niſi interſit reipublicæ, detegi id quod objectum eſt. *l.* 18. *ff. h. t.* uti nec excuſat proteſtatio de non injuriando, quippe quæ facto foret contraria. *Literis* infertur, libello vel carmine famoſo conſcripto, edito, vulgato, *l.* 5. §. 9. & *ſeqq. l.* 15. §. 29. *ff. h. t. l. un. C. de famoſ. libell.* Nec excuſat, quod quis nomen ſuum præmiſerit, ne melioris conditionis ſit impudens ac manifeſtus calumniator, quàm, quem injuriæ illatæ puduit,

puduit. *arg.* §. 5. *Inſt. de oblig. ex delict. Conſenſu* denique fit contumelia, dum quis alteri mandat, aut conſilium dat, ut inferat tertio injuriam. §. *pen. Inſt. h. t. l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* (VII, VIII, IX, X, XI.)

4. Hinc naſcitur injuriarum actio: cum enim olim ex lege 12. tab. propter membrum ruptum talio eſſet, propter os verò fractum viginti quinque aſſium pœna; utroque abrogato, ſucceſſit injuriarum actio, quæ duplex eſt; altera ex lege Cornelia; civilis, perpetua, competens ei, qui per ſe atrociorem realem injuriam paſſus eſt, dum pulſatus fuit, aut verberatus, aut domus ejus vi introita, §. 8. *Inſt. h. t.* quæ ſi filiof. facta ſit, non patri, ſed filio ipſi competit hæc ex lege Cornelia actio. *l.* 5. §. 6. *ff. h. t.* Altera annalis eſt ex dicto prætoris, quæ datur ei, qui quomodocumque injuriam paſſus eſt per ſe vel per alios. *d. l.* 5. §. 6. *ff. h. t.* §. 2. & 7. *Inſt. h. t.* tendens ad id, ut præſtetur quanti injuria per actorem æſtimata fuerit, vel minoris, prout judici æquum videbitur. *d.* §. 7. *Inſt. h. t.* Creſcit autem vel minuitur injuriæ æſtimatio pro diverſitate circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum. *l.* 7. §. *ult. l.* 17. §. 3. *ff. h. t.* § 9. *Inſt. h. t.* (XIII, XIV.)

5. Ceſſat injuriarum actio, ſi inferens eam careat injuriandi animo, vel ſi quis injuriam ad animum non revocaverit; vel cum id feciſſet, poſtea remiſerit. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t.* §. *ult. Inſt. h. t.* ſic ut & remiſſio per patrem facta filiof. noceat; niſi pater ſit vilis & abjectus, filius honoratus. *l.* 17. § 12. 13. *ff. h. t.* Ceſſat & ſi quis anni ſpatium elabi paſſus ſit, quippe cujus lapſu prætoria, non item civilis actio, evaneſcit. *l.* 5. *C. h. t.* Morte quoque alterutrius ante litem conteſtatam, non poſt eam. *l.* 13. *l.* 15. §. 14. *ff. h. t.* ſatisfactione inſuper, aut tranſactione vel pacto. *l.* 17. §. 6. *ff. h. t. l.* 17. §. 1. *ff. de pactis.* [XIX, XX, XXI, XXII, XXIII.]

6. De injuriâ autem vel civiliter agi poteſt, vel criminaliter. §. 10. *Inſt. h. t.* ſed ſi alterutro modo actum fuerit, altero agi nequit, cum utraque meram ultionem contineat. *l.* 6. *l. ult. ff. h. t.* Præcipuè verò criminaliter agitur propter famoſos libellos, pœnâ capitali ſancitâ in eos, qui libellum famoſum conſcripſerint, divulgaverint, diſperſerint, ediderint, communicaverint. *l. un. C. de famoſ. libell.* Ut & contra eos, qui miniſtris ſacra facientibus, locisve ſacris injuriam intulerint. *l.* 10. *C. de episc. & cler.* (XV, XVI, XXIV.)

7. *Moribus.* Propter injuriam verbalem agitur ad palinodiam & mulctam pecuniariam læſo aut pauperibus applicandam,

dam. Realis injuriæ pœna arbitraria eſt, etiam tunc, cum miniſtris ſacra facientibus injuria illata eſt, vel libellis famoſus compoſitus. Convitii autem veritatem à palinodiâ quidam excuſare cenſent, at non à mulctâ.

* Adde *ex Cod, libr. 9. tit. 35. de injuriis. tit. 36. de famoſis libellis.*

Tit. XI.

De extraordinariis criminibus.

1. CRimina extraordinaria, ſunt in quæ nulla certa pœna per leges eſt conſtituta, ſed arbitrio judicis eſt infligenda; ſic ut in iis judex pro circumſtantiis pœnam minuere vel augere poſſit, modò rationem non excedat. *l. 13. ff. de pœnis.* Et his illi fere judicio experiuntur, ad quos ea res pertinet, non quilibet ex populo. *l. 3. ff. h. t. l. 3. ff. de pravaricat. l. 2. ff. de abigeis.* (1.)

2. Plura autem criminum extraordinariorum exempla hoc tit. occurrunt; veluti nuptias alienas ſollicitare, matrimonia interpellare; in quibus & conatus punitur propter voluntatem perniciosæ libidinis. *l. 1. pr. ff. h. t.* adhæc fimo corrupto alium perfundere, ſordibus oblinere, aquas conſpurcare; quales omnes graviter extra ordinem puniuntur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Inſuper puellæ ſtuprum perſuadere abducto vel corrupto comite; ubi crimen tentatum deportatione, perfectum capite punitur, ipſique comites corrupti ultimo plectuntur ſupplicio. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* Præterea, partum abigere; cœtus illicitos exercere. *l. 2. l. 4. ff. h. t.* His accedit crimen Dardanariorum, qui falſis menſuris vexant annonam. *l. 6. ff. h. t.* ſacculariorum, qui vetitas artes ex ſacculo exercent; directariorum, qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo. *l. 7. ff h. t. l. 1. §. 2. ff. de effract. & expilat.* & eorum qui inſtrumenta alterius adverſæ parti produnt. *l. 8. ff. h. t.* Scopeliſmi quoque crimen, ſeu lapidum poſitio in alieno agro, additâ comminatione, eos, qui agrum illum coluiſſent, malo letho perituros inſidiis eorum qui lapides poſuiſſent: cujus pœna uſque ad ultimum ſupplicium extendi poteſt. *l. 9. ff. h. t.* Quemadmodum & aggerum Nili perruptores ultimo ſupplicio plecti poſſunt, etiam vivicomburio. *l. 10. ff. h. tit. C. de Nili agger. non rumpend.* Denique in circulatores, ſerpentes circumferentes & damnum metu dantes,

extra ordinem animadvertitur. *l. ult. ff. h. t.* Sed & ad extraordinaria crimina meritò retuleris perjurium. *arg. l. 13. §. ult. ff. de jurejur. l. 2. C. de reb. cred.* infantis expoſitionem. *tit. de infant. expoſ.* & ſi validi mendicantes aut vagabundi oberrent. *nov. 80. c. 5.* (II, III, IV, V, VI.)

*Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 38. de nili aggeribus non rumpendis.*

Tit. XII.

De Sepulchro Violato.

1. SI quis ſepulchrum violaverit, prætor ei, ad quem ea res pertinet, dat actionem in id quod æquum judici videbitur; ne tamen unquam in minus quàm centum aureos ob ſepulchrum violatum, aut in minus quàm aureos ducentos ob ſepulchrum inhabitatum fiat condemnatio. *l. 3. pr. junct. §. 1. ff. h. t.* Si is non agat, cuivis ex populo hæc datur actio in aureos centum ob ſepulchrum violatum; in ducentos, ſi ſit inhabitatum. *d. l. 3. pr. ff. h. t.* modò dolus adſit. *l. 1. l. 3. §. 1. ff. h. t.* quæ pœna fortè inter actorem & fiſcum erit dividenda. *arg. l. 25. §. ult. ff. ad Senatuſc. Silan.* (I.)

2. Si ipſa cadavera ſint extracta, vel oſſa exempta, humiliores ultimo ſupplicio afficiuntur, honeſtiores in metallum damnantur vel relegantur. *l. 11. ff. h. t.* Plectuntur & capite qui armatâ manu cadavera ſpoliant. *l. 3. §. 7. ff. h. t. l. 4. C. h. t.* Si quis ſaxa, marmora, aliamve materiam ex ſepulchro abſtulerit, pœna eſt decem librarum auri fiſco inferendarum. *l. 4. C. h. t.* Quiſquis autem cadaver in urbe ſepelierit, in aureos quadraginta damnatur. *l. 3. §. 5. ff. h. t.* [II.]

3. Excuſantur tamen à pœnâ ſepulchri violati, qui juſſu Pontificis aut magiſtratûs oſſa transferunt, aut monumenta collapſa non contactis cadaveribus reficiunt. *l. 7. ff. h. t. l. 8. ff. de religioſ.* (III.)

4. Sepulchrorum violatoribus affines ſunt, qui defuncti debitoris ſepulturam impediunt, quo faciliùs debitum conſequantur: unde & hi jure Codicis damnandi ſunt ad pœnam 50. librarum auri; ſi non habeant in ære, in pelle luituri. *l. ult. in fin. C. h. t.* Jure novellarum credito excidunt, & alterum tantùm hæredibus defuncti inferunt; publicatâ inſuper tertiâ bonorum parte. Quâ pœnâ & illi plectendi, qui debitoris moribundi ædes adeunt, ipſum alioſque moleſtiâ afficiunt, aut rebus ſignacula imponunt. Vide *auth. item. & auth. ſed neque. C. h. t.* (IV.)

1. *Moribus.* Sepulchri violati pœna arbitraria eſt: ut & eorum, qui modis illicitis debitum debitori extorquere nituntur.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 19. de ſepulchro violato.*

Tit. XIII.

De Concuſſione.

1. Concuſſio eſt terror injectus pecuniæ aut alterius rei extorquendæ gratiâ, præcipuè quidem ſub ſpecie poteſtatis, ſimulato magiſtratûs juſſu; ſed tamen & aliis modis. *l. 1. 2. ff. h. t.* cujus pœna eſt reſtitutio extortæ pecuniæ, & alia arbitraria. *a. (et). 2. ff. h. t.* quandoque pœna calumniæ in quadruplum. *arg. l. 1. §. 3. ff. de calumniat. l. 1 C. ad Leg. Jul repetund.* Nonnunquam & publicum de concuſſionibus judicium. *l 2. ff. h. t.* ac concurrere poteſt cum hâc accuſatione condictio ob turpem cauſam. *l. 3. C. de condict. ob turp. cauſ.* ut & actio quod metûs causâ. *arg. l. 1. 9. 14. ff. quod met. cauſ.* [1, 11,]

Tit. XIV.

De Abigeis.

1. Abigei ſunt, qui pecora ex paſcuis abducunt, oves puta aut capras decem, ſues quatuor, equum vel bovem unum, ſive plures oves ſimul, ſive ſeparatim ſingulas abegerint. *l. 1. §. 1. l. 3. ff. h. t.* Pœna eſt aliquando ultimi ſupplicii, aliquando lenior, pro criminis ſcilicet frequentia *l. pr. & §. 3. ff. h. t.* à ſtabulis abigens *lenius* punitur; ita enim legendum, non *plenius. l. 3. §. 1. ff. h. t.* quemadmodum & lenius coërcentur, qui pecora abigunt, de quorum proprietate faciebant controverſiam. *l. 1. §. ult. ff. h. t.* quique equos in ſolitudine relictos abigunt, quippe qui tanquam fures tenentur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Receptatores autem abigeorum decem annis extra Italiam fuerunt relegati. *l. ult. ff. h. t.* [1, 11, 111]

2. *Moribus.* Abigei laqueo plectuntur: ſed ſi quis unam ovem abegerit, licèt & hic abigeus ſit hodie, extra ordinem magis quàm laqueo coërcetur.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 37. de abigeis.*

Tit. XV.

De Prævaricatione.

1. PRævaricatio eſt colluſio cum reo, ut abſolvatur; ſicut quis adverſario cauſam donet proditâ cauſâ ſuâ: *l. 1. ff. h. t.* Ut tamen non cenſeatur prævaricari, qui ſimpliciter ab accuſando deſiſtit. *l. 3. §. 3. ff. h. t.* nec qui tranſigit ſuper delicto, nec advocatus ſecreta clientis ſui prodens, quippe qui magis in falſi crimen incidit. *l. 38. §. 8. ff. de pœnis. l. 1. §. 6. ff. ad Leg. Cornel. de falſis.* (I.)

2. Habet autem locum propriè prævaricatio in criminalibus, non civilibus; cum in his actor ſuam cauſam prodens tantùm juri ſuo renunciet: excepto caſu *tit. ff. de colluſ. deteg.* quamvis & advocatus prævaricari dicatur in civili vel criminali cauſâ clientis, ſed impropriè. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* quo caſu extra ordinem punitur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* [II.]

3. Cæterùm vel publicum vel privatum eſt prævaricationis judicium, *l. 3. ff. h. t.* Publicum dicitur, cum in accuſatione judicii publici ipſe accuſator prævaricatur. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* privatum verò, quod moribus introductum eſt, cum in judicio non publico, (fortè quo extra ordinem de crimine agitur) accuſator, vel in utroque tam publico quàm non publico advocatus prævaricatur. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. ff. h. t.* [III.]

4. Pœna prævaricationis in accuſatore eſt quòd infamis fiat, & in poſterum accuſare nequeat; ac eodem modo teneatur, quo reus teneretur, ſi per prævaricationem abſolutus non fuiſſet. *l. 4. 5. 6. ff. h. t.* Probatâ autem prævaricatione, reus iterum accuſari poteſt. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* [III.]

Tit. XVI.

De Receptatoribus.

1. REceptatores ſunt, qui delinquentes in ſuo vel alieno recipiunt occultandi animo. Quorum pœna eadem eſt quæ delinquentium quos receperunt. *l. 1. ff. h. t.* ſive receperint publici ſive privati delicti reos *arg. l. 13. ff. de offic. præſid. §. 4. Inſt. de oblig. ex delict.* Niſi quis propinquos affines vel cognatos receperit, qui mitiùs punitur. *l. 2. ff. h. t.* vel, cum

 alios

alios occultaſſet, ipſius delicti particeps non fuerit; nec conſilia cum occultatis ſociaverit, ſed rantùm poſt delictum ſine ſuo conſilio perpetratum eos receperit; nam & eo caſu mitiùs extra ordinem videtur coërcendus. *l. 1. C. h. t. d. l. 13. ff. de offic. præſ.* (I, II, III.)

2. *Moribus.* Arbitraria quoque receptatorum pœna eſt, uti plerorumque delictorum.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 39. de his qui latrones, &c. occultarunt.*

Tit. XVII.
De Furibus Balneariis.

1. Fures balnearii dicuntur, qui ſurripiunt veſtes eorum, qui nudati in balneis lavant. Hi gravius quam fures ſimplices extra ordinem puniuntur; idemque in furibus nocturnis obtinet: ut tamen horum nocturnorum aut balneariorum furum pœna non excedat opus publicum temporarium, niſi telo ſe defendant, quo caſu viliores in metallum damnantur, honeſtiores relegantur. *l. 1. ff. h. t.* Quòd ſi capſarii, qui mercede veſtimenta lavantium aſſervanda receperunt, ea furto ſubduxerint, extraordinaria eos manet coërcitio. *l. 3. §. ult. ff. de offic. præf. vigil.*

Tit. XVIII.
De Effractoribus & Expilatoribus.

1. Si quis furandi causâ ædes, feneſtras, januas, horrea effringat, vel alienas ædes aut villas expugnet, diripiat, ſi quidem de die, fuſtibus caſtigatur, aut arbitrio judicis in opus temporarium vel perpetuum datur, vel ſi honeſtior ſit, relegatur: ſin de nocte, fuſtibus cæſus in metallum damnatur. *l. 1. §. 2. l. 2. ff. h. t.* Qui verò ferramenta ad effringendum ſcientes ſuppeditant, ut ſimplices fures tenentur. *l. 54. §. 4. ff. de furtis.* (I.)

2. Expilatores, fortè ſic dicti quod ne pilum quidem relinquant, ſunt qui pecuniam & veſtimenta hominibus eripiunt; quales in opus publicum perpetuum aut temporarium dantur; vel ſi honeſtiores ſint, ordine ad tempus moventur, aut patriæ finibus jubentur excedere. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* [II.]

3. *Moribus.* Effractores laqueo plecti, ordinarium eſt.

TIT.

Tit. XIX.

Expilatæ Hæreditatis.

1. CRimen expilatæ hæreditatis eſt, cum res hæreditatis jacentis, cui furtum non fit, ablatæ ſunt; ſive auferens ſciverit ſive ignoraverit hæreditatem jacentem eſſe. *l. ult. ff. h. t.* Cujus ablationis nomine agunt illi quorum intereſt, puta hæredes, contra extraneos ſurripientes; non contra cohæredes. *l. 1. C. h. t. l. 3. C. famil. erciſc.* nec contra uxorem ejus, de cujus hæreditate agitur. *l. 5. ff. h. t. l. 4. C. eod.* planè ſi vitricus aut noverca expilaverint hæreditatem ad privignos ab avo vel extraneo devolutam, expilatæ hæreditatis nomine rectè conveniuntur. *l. 2. 3. C. h. t.* (1, 11.)

2. Pœna hujus criminis eſt extraordinaria, arbitrio judicis. *l. 1. ff. h. t.* & cum ejus accuſatione concurrere poteſt rei vindicatio vel ad exhibendum actio. *l. 2. in fin. l. 3. in fin. h. t.* Obſt. *l. ult.* C. *h. t.* Reſp. illa intelligenda eſt de aliâ actione pœnali deficiente. [111.]

3. Quòd ſi unus ex pluribus cohæredibus egerit hoc judicio, victoria ejus cæteris proderit. *l. 4. ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 32. de crimine expilatæ hæreditatis.*

Tit. XX.

Stellionatus.

1. STellionatus, [dictus à ſtellione animali verſutiſſimo] eſt omnis fallacia, diſſimulatio, impoſtura, in fraudem alterius, proprii criminis nomen non habens: unde & propriè nec publicis nec privatis judiciis continetur. *l. 1. ff. h. t.* cujus variæ occurrunt ſpecies in *l. 3. §. 1. ff. h. t.* ejuſque pœna eſt arbitraria, non tamen excedens opus metalli in plebeis, in honeſtioribus relegationem aut remotionem ab ordine. *l. 3. §. 2. ff. h. t.* (1, 11.)

2. Hujus autem criminis perſecutioni tum demum locus eſt, cum alia pœnalis actio deeſt, exemplo actionis doli *l. 3. §. 1. ff. h. t.* licèt actiones rei perſecutoriæ poſſint concurrere. *l. 1. in fin. ff. de pignorat. act.* Quòd ſi quis rem pignori obligatam doloſè vendiderit, furtum quidem facit reſpectu creditoris. *l. 66. ff. de furtis.* at non emptoris intuitu, unde ſtel-

lionatûs crimen eſt reſpectu emptoris,quaſi aliâ deficiente pœnali actione, eoque ſenſu intelligenda. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* [1.]
* *Adde ex Cod. libr.* 9. *tit.* 34. *de crim. ſtellionatus.*

Tit. XXI.

De termino moto.

1. Terminum in confinio ſi quis dolo moverit, tranſtulerit, aut finium confundendorum gratiâ faciem terræ converterit, olim ex lege agraria aureis quinquaginta mulctabatur in ſingulos lapides: jure poſteriori extra ordinem punitur. *l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* (1.)

Tit. XXII.

De Collegiis & Corporibus.

1. Collegia illicita dicuntur, quæ ad finem malum inſtituta ſunt, aut in genere à Senatu vel principe non probata. *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* & hæc variis coërcentur pœnis: domus enim, in quâ cætus eſt habitus, publicatur. *l.* 15. *C. de epiſc.* & *cler.* ac rei cætûs illiciti puniuntur ex lege Julia de vi publicâ. *l.* 2. *ff. h. t.* Quandoque tamen collegia illicita, ſi non tendant ad ſeditionem, tantùm diſſolvuntur,& inter ſe pecuniam communem dividunt collegii membra. *l.* 3. *pr. ff. h. t.* (1, 11.)

Tit. XXIII.

De Popularibus Actionibus.

1. Populares actiones ſunt, quibus jus populi defenditur. *l* 1. *ff. h. t.* & cuivis quidem è populo competunt, qui perſonam habet legitimam ſtandi in judicio; ſed in concurſu plurium agere volentium præfertur is cujus intereſt, vel qui magis eſt idoneus. *l.* 2. 3. *ff. h. t.* Mulieri tamen & pupillo non dantur, niſi ad eos res pertineat. *l.* 6. *ff. h. t.* nec ultra annum, aut contra hæredes inſtituuntur. *l. ult. ff. h. t.*

2. In his autem actionibus procuratorem conſtituere nequit actor, reus poteſt. *l.* 5. *ff. h. t.* & qui eas habet, ante litem conteſtatam non videtur locupletior, poſtea omnino. *l.* 12. *ff. de verb. ſignif.* ſub qua limitatione intelligenda. *l.* 7. *ff. h. t.*

LIBER XLVIII.

TIT. I.

De publicis Judiciis.

1. CRimina publica dicuntur, quæ deſcendunt ex legibus publicorum judiciorum. *l. 1. ff. h. t.* quæ, licèt jure, novo extra ordinem probentur, nec amplius ex veteri judiciorum publicorum ordine exerceantur, quantum tamen ad pœnam lege conſtitutam attinet, publica manſerunt. *l. 8. ff. h. t.* Quòd ſi unum idemque crimen pluribus, vindicetur judiciorum legibus, ex una tamen reus tantum accuſatur. *l. 4. ff. de accuſat.* (1, 11.)

2. In multis autem publica judicia à privatis differunt: privato namque judicio illi ſoli agunt quorum intereſt; at publico quilibet. §. 1. *Inſt. h. t.* excepto adulterii & partûs ſuppoſiti crimine. *l. 30. C. ad leg Jul. de adult. l. 3. §. 1. ff. ad leg. Corn. de falſis.* Privatum indiſtinctè procuratorem admittit pro actore & reo; non ita publicum. *l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 33. §. 2. ff. de procurat.* Privato damnati regulariter infames non fiunt, paucis caſibus exceptis; at publico damnati judicio notantur infamiâ. *l. 7. ff. h. t.* Privatim morte rei frequentiùs non extinguitur; at publicum omnino; niſi ſit crimen perduellionis. *l. ult. ff. ad Leg. Jul. majeſt.* §. 3. *inſt. h. t.* vel repetundarum, peculatûs, aut reſidui. *l. 2. ff. ad Leg. Jul. repetund. l. ult. ff. ad Leg. Jul. peculat.* vel reus conſcientiâ ſceleris ſibi mortem conſciverit, aut condemnatus appellaverit, & pendente appellatione mortuus fuerit; eo namque caſu quæſtio de bonorum publicatione ſupereſſe poterit. *l. pen. & ult. C. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit.* Adhæc privatum intra triennium; publicum verò intra biennium terminandum eſt. *l. 13. C. de judiciis. l. 3. & tot. tit. C. ut intra certa temp. quæſt. crim. termin.* Privatum poſt viginti annos, ex quo primum experiundi poteſtas fuit, frequentiùs moveri poteſt: aſt publicum annis viginti à crimine commiſſo elapſis, non ultra datur. *l. 12. C. ad Leg. Corn. de falſis.* Obſt. *l. 13. ff. ad Senatuſc. Sil. l. ult. ff. ad Leg. Pomp. de parricid. l. 19. in fin. ff. ad Leg.*

Corn. de falſ. Reſp. cum dicitur, accuſationem nullo tempore perimi, aut quid ſimile, tantùm deſignatur, criminis perſecutionem durare tempore ordinario, quo criminum perſecutio ex *d. l.* 12. vulgo durare ſolet, puta vicennio; idque ad excluſionem quinquennii, quo excluditur accuſatio adulterii, & ejus, qui non ultâ nece teſtatoris teſtamentum aperuit & hæreditatem adivit. *arg. d. l.* 13. *ff. ad Senatuſc. Silan.* eodem modo, quo actiones dicuntur perpetuæ, quæ tamen annis triginta pereunt. [II.]

3. Dividuntur crimina in *capitalia*, in quibus mors naturalis aut civilis infligitur; & *non capitalia*, in quibus, retentâ libertate & civitate, levior pœna irrogatur. *l.* 2. *ff. h. t.* §. 2. *Inſt. h. t.* *l.* 28. *ff. de pœnis.* [III.]

Tit. II.

De Accuſationibus & Inſcriptionibus.

1. Delinquentibus pœnæ imponuntur vel ad alicujus delationem, vel nullo deferente, dum judex competens famâ permotus publicâ inquirit in criminis reos, ſuamque provinciam malis purgat hominibus. *l.* 13. *ff. de offic. præſid.* [XVII.]

2. Delatio vel minus ſolenniter fit, idque regulariter ex officii neceſſitate. *l.* 7. *C. de accuſat.* vide *l.* 6. *ff. de cuſt. & exhib. reor. l.* 6. §. *pen. ff. ad Senatuſc. Turpilian.* vel ſolenniter per accuſationem, quæ eſt delatio criminis ad judicem ſolenniter facta vindictæ publicæ gratiâ, ad quam regulariter nemo invitus tenetur. *tit. C. ut nemo invitus agere vel accuſ. ten.* Et fit libello, continente nomen judicis, accuſatoris, rei, crimen, & ejus commiſſi annum, menſem, non præcisè diem. *l.* 3. *ff. h. t.* [dixi *tit. de edendo.*] Quibus etiam pleruimque addendus eſt criminis commiſſi locus, ut reus poſſit probare ſuum *alibi*, ut loquuntur, adeòque innocentiam. *d. l.* 3. *ff. h. t.* quod tamen in omni crimine neceſſarium non eſt, veluti ſi quis falſi inſtrumenti reus peragatur: ſufficit enim prolato re ipsâ falſo inſtrumento probare, falſum commiſſum eſſe. (III.)

3. Accuſare poſſunt omnes non prohibiti: & ſi plures ſint, qui accuſant, judex determinat quis admittendus ſit. *l.* 16. *ff. h. t.* Prohibentur autem mulieres, milites, ſervi, impuberes, furioſi, magiſtratus, infames, qui pecuniam ob accuſandum acceperunt. *l.* 8. *ff. h. t.* aut ab accuſando deſtiterunt. *l.* 2.

l. 2. ff. ad Senatuſc. Turpill. aut prævaricati ſint. *l. 5. ff. de prævaric.* aut falſum teſtimonium ſubornati dixerunt. *l. 9. ff. h. t.* Adhæc pauperes, minus habentes quàm 50. aureos. *l. 10. ff. h. t.* deportati, in opus publicum damnati. *l. 5. § 1. 2. ff. de publ. judic.* qui judicium criminale jam contra reum aliquem ſubſcriptum habent. *l. 12. §. 2. ff. h. t.* rei criminum, quales accuſatorem ſuum accuſare nequeunt alterius criminis, niſi illud gravius ſit; alioquin accuſantes poſt inſcriptionem in crimen non ultra procedunt, niſi demum poſtquam ſuam innocentiam demonſtraverint. *l. 1. l. 19. C. de his qui accuſ. non poſſ. l. 5. ff. de publ. judic.* Non etiam rectè patronos accuſant liberti. *l. 8. ff. h. t.* nec liberi parentes. *arg. l. 11. §. 1. ff. h. t.* nec domeſtici vel alumni eos, à quibus educantur. *l. ult. C. de his qui accuſ. non poſſ.* nec frater fratrem in crimine capitali. *l. 13. C. eod. tit.* (III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI.)

4. Plerique tamen ex his accuſare prohibitis admittendi ſunt, quoties ſuam aut ſuorum perſequuntur injuriam. *l. 4. ff. h. t. l. 19. C. de his qui accuſ. non poſſ.* quâ ratione, qui unum judicium criminale ſubſcriptum habent, ad alterum quoque admittendi ſunt. *d. l. 12. §. 2. ff. h. t.* atque etiam ad tertium, ſi primo aut ſecundo perſequantur ſuam aut ſuorum injuriam, ac tertio judicio, ſimilem injuriam ſibi fuiſſe illatam perſequi deſiderent. *l. 16. C. de his qui accuſ. non poſſ.* [X.]

5. Accuſari poſſunt quivis delinquentes, nullâ ſexûs, ætatis vel dignitatis habitâ ratione; non tamen abſentes, ſed hi requirendi ſunt, ubi de capitali crimine agitur. *l. 6. C. de accuſat.* nec magiſtratus, durante officio. *l. 12. ff. h. t.* nec qui ſemel accuſati & abſoluti ſunt, niſi probetur colluſio. *l. 7. §. 2. ff. h. t.* vel niſi mulier ab extraneo adulterii accuſata & abſoluta ſit, ac poſtea maritus accuſationem juſta de cauſa inſtaurare velit. *l. 4. §. ult. ff. ad Leg. Jul. de adult.* [XII.]

6. Ne tamen temere quis ad accuſandum proſiliret, accuſator obligatus fuit in crimen ſubſcribere libello adhibito, & ad talionis pœnam ſe obligare, ſi crimen intentatum non probaſſet. *l. 3. §. 1. 2. l. 7. pr. & §. 1. ff. h. t. l. ult. C de accuſat.* niſi mulier ſuam aut ſuorum injuriam perſequatur. *l. 12. C. de his qui accuſ. non poſſ.* vel maritus jure mariti uxorem accuſet adulterii. *l. 30. C. ad leg. Jul. de adult.* vel delator ſimpliciter crimen denunciet ſine ſolenni accuſatione. *l. 7. C. de accuſat.* [XIII.]

7. *Moribus.* Solus fiſci advocatus aliique ſimiles officii ratione accuſant; non item privati, quippe qui tantùm actio-

ne privatâ perſequuntur, quanti ſuâ intereſt. Accuſantes autem ex officio nec in crimen inſcribunt, nec cavent de lite perſequenda, nec calumniæ pœnam ſubeunt, modò muniti ſint judicis decreto.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 1. de his qui accuſ. non poſſ. tit. 2. de accuſationibus.*

Tit. III.

De cuſtodiâ & exhibitione reorum.

1. Rei criminum quandoque in carcerem conjiciuntur; quod tamen non aliter fieri ſolet, quàm ſi id ſuadeat criminis atrocitas. *l. 3. ff. h. t.* (quo caſu & ipſi accuſatores pendente judicio carceri videntur mancipandi. *l. 1. in fin. C. de exhib. reor. l. ult. C. de accuſat.*) aut reus jam convictus vel confeſſus ſit. *l. 2. C. de exhib. reis. l. 5. ff. h. t.* Fœminæ planè, licèt olim potuerint ſeparatim à viris carceri committi, jure tamen novo muliebri cuſtodiæ traduntur, vel monaſterio includuntur, ſi gravioris criminis reæ ſint; ſin levioris, committuntur fidejuſſoribus aut cautioni juratoriæ. *l. 3. & auth. hodie C. h. t.* Quandoque rei accuſati militi traduntur aſſervandi, non uni, ſed duobus, iiſque non tyronibus. *l. ult. pr. & §. 1. ff. h. t.* Non nunquam præſtitâ cautione fidejuſſoriâ aut nudâ repromiſſione de ſiſtendo dimittuntur, pro qualitate criminis, perſonarum, patrimonii, &c. *l. 1. ff. h. t.* Quòd ſi reus ſe non ſtiterit, fidejuſſor pœnâ pecuniariâ coërcetur; aliquando & corporali, ſi ejus dolus concurrat. *l. 4. ff. h. t.* Ut tamen non ſtatim puniatur fidejuſſor, ſi reus ſui copiam non fecerit conſtituto tempore; cum potius altera ei ſit danda dilatio tanta, quanta fuerat prior, intra quam ſe reus ſiſtere debuerat, ne tamen longior ſit ſex menſibus, quâ itidem elapſâ, fidejuſſori demum pœna imponitur. *l. 26. C. de fidejuſſ.* [I, III, IV, V, X, XI, XII, XIII, XIV.]

2. Quòd ſi carceri includendus ſit reus, id publicâ autoritate fiat neceſſe eſt: privatis enim carceribus nemo alium detinere poteſt, futurus læſæ majeſtatis reus, ſi id tentaverit. *l. un. C. de privat. carcerib.* niſi parentes liberos; domini ſervos includant; vel maritus adulterum, creditor fugientem debitorem, dominus furem ad tempus detineat. *l. 25. ff. ad Leg. Jul. de adult. arg. l. 1. 2. quando liceat unicuique ſine jud. ſe vind.* [VII.]

3. Ubi

3. Ubi autem judex carceri includi reum juſſerit, nulla loci religio impediet, quo minus comprehendatur. *nov. 17. c. 7.* nec domus eo caſu tutum erit refugium; contra, quàm in civilibus receptum eſt. *l. 18. ff. de in jus vocando.* Si tamen comprehendendus reus in fugam ſe conjiciat, occidi nequit ab apparitoribus ad eum intercipiendum miſſis, niſi is ipſis violenter reſiſtat, quippe quo caſu vim vi repellere non eſt prohibitum. *arg. l. 3. ff. de juſt. & jure.* Quòd ſi à magiſtratu inferiore captus ſit reus, triginta ad minimum ei dies indulgendi erunt ad componendas res ſuas mæſtoſque penates, antequam ad præſidem tranſmittatur. *l. 2. C. de exhib. reu.* [I, II.]

4. Si reus ex carcere aufugerit, ſi quidem dolo vel magnâ culpâ commentarienſis, (qui ita dictus, quod in commentarium referat illos qui in carcerem conjiciuntur. *l. 5. C. h. t.*) graviter coërcendus erit ipſe commentarienſis, etiam quandoque pœnâ capitali: idemque obtinet in militibus, quibus commiſſa fuit rei cuſtodia; ſed ſi horum culpa nulla appareat, venia digni erunt. Vide *l. 8. 10. 12. & ult. ff. h. t.* [VIII.]

5. Reus autem ipſe fugiens, ſi quidem carceres effregerit, capite punitur. *l. 1. ff. de effractor. l. 13. ff. h. t.* ſi non effregerit, leniùs coërcetur. Si alius effregerit, capitis imo majeſtatis reus eſt. *arg. l. 4. in fin. pr. ff. ad Leg. Jul. majeſtatis.* Cavendum interim, ne incarcerati inhumanè tractentur, aut victu fraudentur, aliove ſimili modo præter neceſſitatem affligantur, *l. 9. C. de Epiſc. aud. l. ult. C. h. t.* [VI, IX.]

6. *Moribus.* Carceri mancipari poſſunt æquè fœminæ ac maſculi in cauſis criminalibus ac civilibus. Nemo tamen carceri includi poteſt vel apprehendi corporaliter ſine juſſu judicis niſi in flagranti delicto deprehendatur, aut viliſſimus & vagabundus ſit. Privatos autem carceres habentium, aut carceres publicos effringentium, pœna arbitraria eſt, & plerumque mitior.

* Adde ex *Cod. libr. 9. tit. 3. de exhib. & tranſmitt. reis. tit. 3. de cuſtodia reorum. tit. 5. de privat. carceribus.*

TIT. IV.

Ad Legem Juliam Majeſtatis.

1. MAjeſtas eſt magnitudo imperii, & ſuprema legibuſque civilibus ſoluta poteſtas; quæ impropriè & non niſi latiori ſenſu prætori tribuitur in *l. 9. ff. de juriſdict.* (1.)

2. Crimen læſæ majeſtatis generaliter eſt, quo publica majeſtas quomodocunque violatur: quâ ratione etiam majeſtatis rei dicuntur, qui tamen perduelles non ſunt, veluti, qui debitorem ſuum ex æde ſacra per vim extrahunt. *l. 2. C. de his qui ad eccleſ.* qui ſtatuas Principum violant. *l. 6. l. 7. §. ult. ff. h. t.* monetam falſam cudunt. *l. 2. C. de falſ. monet.* privatos carceres habent. *l. 1. C. de privat. carcerib.* confeſſum & ob id in vincula publica conjectum eximunt. *l. 4. in fin. ff. h. t.* [II.]

3. Perduellionis verò crimen dicitur, quod directò contra populum vel Principem, ſuperiores non agnoſcentem, ejuſque ſecuritatem committitur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* veluti, ſi Principi ejuſve conſiliariis necem intentet, hoſtes concitet, aut commeatu, equis, armis juvet, in inſidias exercitum deducat, aliiſque multis modis, de quibus paſſim in *l. 1. 3. 4. ff. h. t. l. 5. §. eod.* [III, V.]

4. Committitur autem à ſolis ſubjectis; cujuſcunque ſexûs, ut latius dixi *tract. de jure milit. c. 4. n. 9. & ſeqq.* Ejuſque pœna eſt ultimum ſupplicium, damnatio memoriæ poſt mortem, bonorum publicatio. *l. 5. 6. 7. 8. C. h. t. nov.* 134. *c. ult. in fin.* & quæcunque poſt crimen commiſſum à perduelle geſta vel alienata ſunt, ipſo jure infirmantur, ut ante crimen geſta, ſi poſt crimen adhuc confirmatione indigeant. *l. 6. §. 1. l. fin. C. h. t. l. 7. ff. de mort. cauſ. donat.* [IV, VI.]

5. Plurima in hujus criminis accuſatione, perſecutione, & punitione occurrunt ſingularia: etenim ad accuſandum hìc admitti poſſunt, qui aliàs prohibentur, puta ſervi, mulieres, infames, &c. *l. 7. s. ff. h. t.* nec præcisè ſervatur ſolennis judiciorum ordo; imo quilibet in perduellem hoſtis eſt, eumque jure occidit. *l 35. ff. de religioſ.* nec dignitas à tormentis hìc quemquam liberat *l. 5. C. h. t.* ipſique ſervi contra ſuos dominos rectè torquentur. *l. pen. & ult. C. h. t.* Nec damnati ex hoc crimine lugentur. *l. 11. §. 3. ff. de his qui not. infam. l. 35. de religioſ.* nec cadavera eorum ad ſepulturam petuntur. *l. 1. ff. de cadav. punit.* iiſdemque pœnis afficiendi conſcii miniſtri ac ſatellites hujus criminis. *l. 5. §. 6. C. h. t.* Adhæc notabiles ſunt ſine venia, qui pro hujuſmodi reis intercedunt. *l. 5. §. 2. C. h. t.* (VII, VIII, X, XI.)

6. Non tamen omnia hæc ſingularia obtinent, ſi quis majeſtatis tantùm, non perduellionis, reus ſit. *l. ult. ff. h. t.* multòque minus, ſi quis Imperatori maledixerit. *l. un. C. ſi quis imperat. maledix.* Vide *tract. meum de jure milit. c. 4. n. 15.* aut per venerationem Principis pejeraverit. *l. 2. C. de reb. cred.*

Atque

Atque etiam veniam mereri poteſt ipſe perduellionis reus, qui, cum ipſe conſpiraſſet, maturè crimen detexit. *l. 5. §. ult. C. h. t.* [XII.]

7. Liberos perduellium quod attinet, *filii* quidem ab omni ſucceſſione ac dignitate excluduntur, ac perpetuò infames ſunt; *filiæ* verò ex bonis maternis ſolam poſſunt percipere legitimam. *l. 5. §. 1. 3. C. h. t.* Nec intereſt, liberi ſui ſint an emancipati, ante an poſt crimen commiſſum nati; cum in his omnibus eadem militet ratio, quæ eſt in *l. 5. §. 1. C. h. t.* Non tamen hæ pœnæ in *filios* conſtitutæ, ad *nepotes* producendæ ſunt. *arg. §. ult. Inſt. qui teſtam. tut. dari.* junct. *l. pen. ff. de pœnis.* nec ad liberos naturales tantum; cum propriè liberi demum ſint, quos juſtæ nuptiæ demonſtrant. *arg. l. 5. ff. de in jus voc. §. 12. Inſt. de nupt. junct. d. l. pen. ff. de pœnis.* [VIII, IX.]

1. *Moribus.* Liberi perduellium nec infames ſunt nec à dignitatibus aut hæreditatibus arcentur; licèt patri non ſuccedant. Pro perduellibus autem intercedere, hodie non eſt prohibitum

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 8. ad leg. Jul. majeſtat. tit. 7. ſi quis imp. maledixerit.*

TIT. V.

Ad Legem Juliam de Adulteriis.

1. ADulterium eſt alieni thori violatio, & committitur cum aliena matrefamilias. *l. 225 ff. de verb. ſig.* cum liberâ enim ſeu ſolutâ muliere non adulterium ſed ſtuprum fit. *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1 ff. h. t.* Hinc mulier duobus eodem tempore nupta, adultera eſt: vir autem duas uxores ducens, ſtupri magis quàm adulterii reus. *l. 18. C. h. t. auth. hodiè C. de repudiis. arg. l. 34. §. 1. ff. h. t.* (VII.)

2. Non tamen adulterium de jure civili quis committit cum fœmina vili & abjecta. *l. 29. C. h. t.* nec cum eâ, quam quis ſolutam eſſe putabat, cum nupta eſſet. *arg. l. pen. ff. h. t.* nec cum ea, quæ paſſim formam venalem habet & vulgo ſe proſtituit. *l. 22. C. h. t.* quamvis accuſatio adulterii locum habeat, ſi mulier adultera fuerit, antequam ſe vulgo proſtitueret. *l. 10. §. 2. ff. h. t.* vel poſtquam deſiiſſet ſuum corpus paſſim vulgare. *l. 13. §. 2. ff. h. t.* (VIII, XVII.)

3. Cum aliena quoque ſponſa ſtuprum magis quàm adulterium

rium eſt. *arg. d. l. 6. §. 1. ff. h. t.* licèt ob violatam matrimonii ſpem gravius coërcendum ſit. *l. 13. §. 3. ff. h. t.* Obſt. *l. 7. C. h. t.* Reſp. non illic ſtatuitur eſſe commiſſum adulterium; ſed potius, cum ſponſa per vim violata eſſet (quod *d. l. 7.* præſupponit, dum habet, ipſam mulierem ſuam proſequi *injuriam*) maritus dicitur hoc crimen poſſe exercere jure mariti; non, quod violatorem ſuæ ſponſæ accuſet adulterii, jure mariti; id enim negat. *d. l. 13. §. 8. ff. h. t.* ſed potius *injuriarum*, quatenus marito & ſponſo illata creditur injuria quæcunque uxori vel ſponſæ fit. *l. 15. §. 24. l. 18. §. 4. 5. ff. de injuriis.* (IX.)

4. Pœna adulterii olim in paganis fuit relegatio, in militibus deportatio. *l. 11. ff. h. t.* jure medio ultimum ſupplicium in maſculis & fœminis. *l. 9. l. 30. § 1. C. h. t.* quod & jure noviſſimo in viris remanſit; fœminæ autem adulteræ tantùm flagellis cæſæ in monaſterium detruduntur, conceſsâ maritis licentiâ eas intra biennium recipiendi. *auth. ſed hodie C. h. t.* Adhæc dos vel donatio propter nuptias nocenti conjugi adempta, innocenti applicatur, niſi exſtent ex eo matrimonio liberi, quibus ſervanda eſt. *nov. 117. c. 8. 9.* quod non videtur correctum per *nov. 134. c. 10.* quippe quæ de reliquis mulieris bonis extra dotis cauſam conſtitutis videtur accipienda, ex quibus bonis pars tertia monaſterio cedit. [X, XI.]

5. Pœnis quoque adulterii annumerandum, quod pater deprehenſam in adulterio filiamf. naturalem aut adoptivam (non emancipatam) poſſit occidere unà cum adultero (non ſolum adulterum *l. 32. ff. h. t.*) idque vel domi ſuæ, vel domi ſui generi; non alibi. *l. 20. 21. 22. §. 2. l. 23. ff. h. t.* Quod ipſum & frater poteſt, jubente patre. *l. 4. C. h. t.* Non item maritus, niſi adulterum vilem domi ſuæ deprehendat. *l. 24. ff. h. t.* vel jure novo eum, quem adulterii cum uxore ſuſpectum habebat, ſi poſt trinam denunciationem teſtato factam, ut abſtineret à mulieris conſortio, ipſum cum ea domi ſuæ vel alibi verſantem inveniat. *auth. ſi quis C. h. t.* extra hos caſus maritus extra ordinem coërcendus foret. *l. 38. §. 8. ff. h. t.* [XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII.]

6. Adulterii accuſare poſſunt paucæ tantùm perſonæ, puta maritus, pater, patrui, avunculi. *l. 30. C. h. t.* ut tamen in concurſu potior ſit maritus, niſi pater maritum infamem arguat, vel tanquam cum uxore colludentem. *l. 2. §. pen. l. 3. ff. h. t.* aut lenocinium uxoris exercentem. *arg. l. 47. ff. ſoluto matrim.* Maritus autem vel jure mariti accuſat intra menſes

duos,

duos, vel iis elapſis jure extranei intra alios menſes quatuor, intra quod ſpatium & reliquos quibus accuſandi jus eſt, accuſare oportet: quæ ita obtinent ſoluto matrimonio: eo enim adhuc conſtante, quinquennio demum perimitur accuſandi licentia. *l. 11. §. 4. l. 29. §. 5. ff. h. t.* quæ quinquennii præſcriptio etiam locum habet reſpectu eorum, qui lenocinii rei ſunt. *d. l. 29. §. 5. 6.* quales enumerantur, qui adulterium ſuaſerunt, adulterum ſubjecerunt, domum ſuam præbuerunt, aut pro comperto adulterio pecuniam acceperunt, ut illud celent; mariti quoque, qui ex adulterio uxoris quæſtum faciunt, vel acceptâ pecuniâ adulteram in matrimonio retinent. Vide *l. 2. §. 2. l. 8. 9. 12. 14. pr. & §. 1. l. 29. pr. & §. 2. 6. ff. h. t. l. 47. ff. ſolut. matrim.* hujuſque lenocinii pœna eadem eſt quæ adulterii. *l. 8. ff. h. t.* ſic ut & jure novo lenonibus ultimum ſupplicium ſit impoſitum. *nov. 12. §. 1.*

7. Quòd ſi adulterii reus abſolutus ſit, adulteræ quoque prodeſt ſententia: ſed ſi is condemnatus fuerit, id adulteræ non nocet, quo minus illa de ſuâ innocentiâ adhuc contendat. *l. 17. §. 6. ff. h. t.*

8. Stuprum, licèt quandoque uſurpetur pro adulterio. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* propriè tamen dicitur, quoties quis virginem vel viduam honeſtam non invitam ſtuprat; cujus pœna in honeſtioribus eſt publicatio dimidiæ partis bonorum & infamia, in humilioribus pœna corporalis cum relegatione. §. 4. *Inſt. de public. judic.* niſi quis necdum viri potentem corripuerit, quo caſu humilior in metallum damnatur, honeſtior in inſulam relegatur aut in exilium mittitur. *l. 38. §. 3. ff de pœnis.* Quòd ſi violentum ſit ſtuprum, tentati criminis pœna eſt deportatio, perfecti verò ultimum ſupplicium *arg. l. 1. in fin. ff. de extraord. crimin.* ejuſque accuſatio non quinquennii, ſed demum vicennii lapſu evaneſcit. *l. 29. §. ult. ff. h. t.* (1, 12.)

9. Sodomiæ crimen, aliter monſtroſæ veneris appellatione veniens, ultimo punitur ſupplicio. *l. 31. C. h. t. §. 4. Inſt. de public. judic.* de quo ſcelere, cum illud ſcire non proficiat, non plura addo.

10. *Moribus.* Solet plerumque mitigari pœna adulterii, & crimen hoc extra ordinem judicis arbitrio coërceri; licèt maximè ſtatutis pœna certa expreſſa fuerit. Nunquam autem pater aut maritus impunè necant in ipſo flagitio; etiam ſi mitiùs puniantur, ſi juſto dolore moti id fecerint. Stupri verò non violenti pœna eſt, quòd ſtuprator ſtupratam teneatur vel ducere vel dotare ſuo arbitrio, &, ſi dotet, inſuper puerperii

perii ſumptos ferre ac infantem alere : in vidua tamen ſine vi ſtuprata neutrum faciendum eſſe plures cenſent.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 9. ad Leg. Jul. de adult. tit. 10. ſi quis eam, cujus tutor fuerit corrupt. tit. 11. de mulier. quæ ſe propriis ſervis junxerunt.*

Tit. VI.

Ad Legem Juliam de vi publicâ.

1. Vis publica eſt quæ fit cum armis. §. 6. *Inſt. de interdict.* vel quâ reſpublica aut publica utilitas offenditur, licèt tunc arma deſint. *l. 7. in fin. l. 8. l. ult. ff. h. t.* & variis modis committitur, puta, ſi quis arma domi vel in villa habeat præter uſum itineris aut venationis, convocatâ ſeditione villas expugnet; homines in armis habeat, &c. Vide *l. 3. 5. 6. 7. 10. & paſſim h. t.* Ejuſque pœna eſt in liberis hominibus aquæ & ignis interdictio, in ſervis ultimum ſupplicium. *l. 10. in fin. ff. h. t.* niſi ſervi juſſu domini id fecerint, quo caſu in metallum dandi. *l. 8. C. h. t.* (I, II, III.)

2. Præcipua vis publicæ ſpecies eſt raptus virginis aut viduæ vel ſanctimonialis aut nuptæ : cujus pœna eſt ultimum ſupplicium, tam in miniſtris & adjutoribus, quàm ipſo raptore, etiamſi quis ſponſam propriam rapuiſſet. *l. un. in med. pr. C. de raptu virg.* ſive mulier invita rapta ſit, ſive volens ſed invitis parentibus, vel, cum parentibus orbata eſſet, malis artibus rapientis permota fuerit ut vellet. *d. l. un. §. 2.* Adhæc bona raptoris applicanda raptæ ſi illa ſit ingenua, vel ejus parentibus, vel fiſco quoties parentes ſe indignos eo lucro reddiderint. *d. l. un. §. 1.* Ac plura in hoc crimine occurrunt ſingularia : etenim raptor in ipſo flagitio deprehenſus, impunè à parentibus, conſanguineis, tutoribus raptæ occidi poteſt: nec uti poteſt fori privilegio, aut à ſententia appellare ſi convictus ac condemnatus fuerit. *d. l. un. in med. pr.* & ſi parentes raptæ dolorem remiſerint, vel in nuptias raptoris conſenſerint, aut cum raptore tranſegerint, deportandi ſunt. *d. l. un. §. 2. in nov. 143. nov. 150.* [IV, V, VI.]

3. *Moribus.* Qui puellam volentem rapit, non ultimo ſupplicio, ſed extra ordinem vel pecuniariè judicis arbitrio coërcetur, quo caſu & inter raptorem ac raptam poteſt matrimonium ſubſiſtere. Et in genere arbitraria eſt vis publicæ pœna.

* Adde *ex Cod. lib. 9. tit. 12. ad Leg. Jul. de vi publ. & privata. tit. 13. de raptu virgin. & ſanctimonialium.*

TIT.

Tit. VII.

Ad Legem Juliam de vi privatâ.

1. VIs privata eſt, quæ fit ſine armis. §. 6. *Inſt. de interdictis.* & variè committitur, puta, rapiendo ex naufragio, propriâ autoritate bona debitoris occupando. *l.* 1. §. 1. *l. pen. & ult. ff. h. t.* Quin imo, varia ad legem Juliam de vi publica referuntur in *l.* 8. *l.* 10. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* quæ etiam lege Juliâ de vi privatâ dicuntur coërceri. *l.* 2. 4. *ff. h. t.* quatenus ſc. vis publica ſæpe privatam includit, uti rapina ſæpe furtum continet. (I.)

2. Pœna vis privatæ eſt publicatio tertiæ partis bonorum & infamia. *l.* 1. *pr. l. ult. ff. h. t.* ac creditor vel dominus propriâ autoritate occupans rem ſuam aut ſibi debitam jus dominii vel crediti amittit. *l. pen. ff. h. t.* §. 1. *Inſt. de vi bon. rapt.* §. 6. *Inſt. de interdictis.* Aliis inſuper modis vis coërceri poteſt, de quibus alibi actum eſt. (II.)

3. *Moribus.* Arbitraria eſt vis publicæ pœna.

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 12. *de ad Leg. Jul. de vi publ. & privatâ.*

Tit. VIII.

Ad Legem Corneliam de Sicariis & Veneficiis.

1. EX Lege Cornelia de ſicariis tenetur, qui hominem ſive liberum ſive ſervum quocunque inſtrumenti genere dolo malo occidit. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t. l.* 23. §. 9. *ff. ad Leg. Aquiliam.* vel occidi mandavit, aut aliter cauſam mortis præbuit. *l.* 15. *ff. h. t.* vel dolo falſum tulit teſtimonium hominis occidendi causâ, vel innocentem damnavit ad mortem. *l.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* quive hominem aut ſemetipſum occidere tentavit, nec peregit. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t. l.* 38. §. 12. *ff. de pœnis.* Ut &, qui, cum Titium occidere vellet, Mævium peremit. *arg. l.* 18. §. 3. *& ult. ff. de injuriis. l.* 5. §. 1. *ff. de ſervo corrupt.* Obſt. *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. de injuriis.* Reſp. alius ibi caſus eſt, cum is, de quo illic quæſtio eſt, non fuerit verſatus in re illicitâ. Obſt. *l.* 15. §. 15. *ff. de injuriis.* Reſp. ibi non datur injuriarum actio,

actio, quia matrona injuriam ſuâ culpâ ſenſerat, dum veſte ancillari aut meretriciâ utebatur. [I, II, III, IV, V.]

2. Quòd ſi plures in rixa occiderint, & ignoretur quis fuerit cædis autor, ſingulorum ictus collatis armis & inſtrumentis contemplari oportet, atque ita æſtimandum, quis occiderit. *l. ult. ff. h. t.* & ſi nec hâc ratione detegatur homicida, omnes quidem ex lege Aquiliâ tenentur de occiſo. *l.* 11. *§.* 2. *ff. ad Leg. Aquil.* non item ex lege Cornelia. (VII.)

3. Pœna homicidii eſt quòd occidens indignus cenſeatur hæreditate occiſi. *l.* 7. *§.* 4. *ff. de bonis damnat. arg. l.* 3. *ff. de his quæ ut indignis.* atque inſuper ſubeat ultimum ſupplicium. *§.* 5. *Inſt. de publ. judic.* Quæ tamen ceſſat, quoties dolus abeſt, adeò ut ne lata quidem culpa dolo æquiparetur. *l.* 7. *ff. h. t.* niſi quis poculum abortionis aut amatorium præbuerit, & inde mulier aut homo perierit. *l.* 38. *§.* 5. *ff. de pœnis.* Quin tamen ob hominem culpâ aut impetu occiſum extraordinaria coërcitio locum habeat, nequaquam dubium. *arg. l.* 38. *§.* 8. *ff. ad Leg. Jul. de adulter. l.* 1. *§. ult. ff. h. t. §.* 3. *Inſt. ad Leg. Aquil.* (VI, VIII, IX.)

4. Caſu verò planè fortuito contingens homicidium, nullâ præcedente culpâ, prorſus impunitum eſt, quo pertinet, ſi furioſus occiderit aut infans. *l.* 12 *ff. h. t. l. pen. §. ult. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* ut &, ſi obſervatum fuerit moderamen inculpatæ tutelæ. *l.* 3. *ff. de juſtit. & jur.* vel ſi quis furem nocturnum, aut nocturnum agri populatorem, aut transfugam, aut perduellem occiderit. *l.* 3. *§. ult. l.* . . *ff. h. t. l.* 35. *ff. de religioſ.* aut pro alterius defenſione aggreſſorem peremerit. *l.* 1. *§.* 4. *ff. h. t.* [X, XI, XII, XIII.]

5. Tenentur & ex lege Corneliâ, qui venenis homines occidunt, aut eum in finem venena parant, vendunt, &c. ut & *pigmentarii*, qui temere cicutam, aconitum, aliaque venenata dederunt. *l.* 3. *§* 3. *ff. h. t. §.* 5. *in fin. Inſt. de public. judic.* quique artes magicas exercent aut diſcunt; quippe qui igne cremandi ſunt. *l.* 6. *l. pen. & paſſim tit. C. de malef. & mathemat. d. §.* 5. *Inſt. de pub. judic.* & deportandi qui tales conſulunt. *l.* 3. *C. de malef. & mathemat.* (XIV, XV.)

6. *Moribus.* Si quis tantùm occidendi causâ cum telo obambulet, aut etiam ad actum homicidio proximum pervenerit, non tamen ordinariæ ſubjicitur pœnæ legis Corneliæ, niſi circumſtantiæ crimen aggravent.

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 16. *ad Leg. Corn. de ſicariis. tit.* 18. *de malefic. & mathematicis.*

TIT.

Tit. IX.

De Lege Pompeiâ de Parricidiis.

1. PArricida hîc eſt qui parentes vel liberos ſuos primi vel ulterioris gradûs, aut affines, qui parentum & liberorum loco habentur, occidit. §. 6. *Inſt. de publ. judic.* l. 9. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* l. *un.* C. *de his qui parent. occiderunt.* quamvis olim pater non fuerit parricida ſui filiif. quippe in quem vi patriæ poteſtatis jus vitæ neciſque habebat. (I, III.)

2. Pœna parricidii ex lege quidem Pompeiâ eſt eadem, quæ homicidii. *l.* 1. *ff. h. t.* at ex moribus majorum obtinuit, ut parricida virgis ſanguineis cæſus culeo inſuatur cum cane, gallo, ſimiâ, & viperâ, atque in mare projiciatur, aut beſtiis objiciatur, ſi mare aut flumen non ſit in vicinia. *l.* 9. *ff h. t. d.* §. 6. *Inſt. de public. judic.* quod genus pœnæ *novum* dicitur in *d.* § 6. quia eſt inſolitum. Conſcii quoque ac miniſtri hujus ſceleris ultimo ſubjugandi ſupplicio. *d.* §. 6. *l.* 7. *ff. h. t.* & frater ex nuda ſcientia veneni parenti per fratrem propinandi relegatus dicitur. *l.* 2. *ff. h. t.* (II, V.)

3. Remittitur tamen hæc pœna ſi per furorem quis parricidium perpetraverit. *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* quemadmodum & mitigatur, ſi pater filium novercam adulterantem occiderit, non in ipſo actu illicito, ſed venatione vel aliter. *l.* 5. *ff. h. t.* vel filius patrem non occiderit, ſed violentas ei manus intulerit. *l.* 1. *pr.* & §. 2. *ff. de obſequiis parent. & patr. præſt.* (VI, VII.)

4. Si quis alios propinquos vel affines remotiores occiderit, capite plectendus eſt. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.*

5. *Moribus.* Matres infanticidæ in dolio mergi ſolent; & qui parentes occidunt, crurifragio affici: quamvis hîc multum valeat judicis arbitrium.

* Adde *ex* Cod. *libr.* 9. *tit.* 17. *de his qui parentes vel liberos occiderunt.*

Tit. X.

Ad Legem Corneliam de Falſis.

1. FAlſum eſt, quod animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem dolo malo fit. *arg. l.* 1. §. 1. 2. *ff. h. t. l.* 20. C. *eod.* Eſt & quaſi falſum; quod ſc. juris interpretatione

tione pro falſo habetur, ac ut falſum vindicatur, licèt tale non ſit, quod accidit in eo qui ſibi vel iis, quorum in poteſtate eſt, quoſve habet in poteſtate, quid adſcripſit in teſtamento, licèt errore juris, idque ex Senatuſconſulto Liboniano, & Claudii edicto. *tot. tit. C. de his qui ſibi adſcrib. in teſt. l. 1.* junct. *l. 15. ff. h. t.* De quo latiùs *tit. de his quæ pro non ſcriptis.* [I.]

2. Tria autem ad crimen falſi conſtituendum concurrere neceſſe eſt: puta veritatis ſuppreſſio, dolus, & detrimentum tertii. Nec dubium, quin modis quàm plurimis falſum committi poſſit; veluti dum teſtamentum falsò conſcribitur, ſubjicitur, ſupprimitur, &c. *l. 2. ff. h. t.* dum plebeius aut paganus pro nobili vel milite ſe gerit, ſigna adulterina facit, rem eandem duobus vendit, &c. *l. 21. 27. in fin. ff. h. t.* Et generaliter falſum eſſe poteſt, in teſtamentis, nummis, inſtrumentis, teſtimoniis, obligationibus & contractibus, menſuris & ponderibus, qualitate, ſtatu & conditione perſonarum: & vel dictò, vel reticentiâ, vel ſcripturâ vel facto committitur. *Dicto*, ſi falſum dicat teſtimonium. Vide *l. 1. §. 1. l. 9. §. 3. l. 20 27. 29. ff. h. t. l. 16. ff. de teſtib.* ut &, ſi falſum teſtamentum dolo malo recitet. *l. 2. ff. h. t. Reticentiâ*, ſi tutor diſſimulans, ſe necdum rationes reddidiſſe pupillo, cum fiſco contrahat. *l. 1. §. 9. ff. h. t.* ſi veritatem in genere occultet dolo malo. *l. 2. C. ſi contra jus vel util. public.* verbo, *faciendi fraudem. Scripturâ*, ſi falſum conſcribat, aut ſcripturam deleat. *l. 1. pr. & §. 4. l. 2. l. 27. §. ult. ff. h. t.* ſi ſciens falſæ ſcripturæ ſubſcribat. *l 16. §. 1. ff. h. t.* ſi ſe præſentem ſcribat, cum abſens eſt. *l. 13. C. h. t.* ſi debitor prælato die pignoris obligationem mentiatur. *l. 28. ff. h. t. Facto* denique, ſi vivi teſtamentum aperiat. *l 1. §. 5. ff. h. t.* ſi depoſita penes ſe inſtrumenta adverſario prodat. *l. 1. §. 6. ff. h. t.* (licèt id etiam extraordinariis criminibus inveniatur annumeratum. *l. 8. ff. de extraord. crimin.*) ſi duobus in ſolidum eandem rem vendiderit diverſis contractibus: ſi judicem corruperit. *l. 21. ff. h. t.* ſi teſtamentum aut codicillos amoverit, ſuppreſſerit, ſurripuerit. *l. 2. 16. 26. §. ult. ff. h. t. l. 3. l. 14. C. eod.* [II, III, IV, V, VI, VII.]

3. Pœna falſi ordinaria in liberis hominibus eſt deportatio, in ſervis ultimum ſupplicium. *l. 1. §. ult. l. ult. ff. h. t.* Si tamen circa monetam falſum commiſſum ſit, radendo, adulterando, adulteratam conſultò expendendo, vivicomburium eſt propoſitum. *l. 2. C. de falsâ monet.* Et generaliter pro circumſtan-

cumſtantiis ac variis falſi ſpeciebus variis quoque modis falſum puniri. colligi poteſt ex *l.* 13. §. 1. *l.* 21. *l.* 32. *ff. h. t.* [VIII.]

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 22. *ad leg. Corn. de falſis. tit.* 23. *de his qui ſibi adſcrib. in teſtam. tit.* 24. *de falsâ monetâ. tit.* 25. *de mutat. nominis.*

TIT. XI.

De Lege Juliâ repetundarum.

1. LEx Julia repetundarum cavet, ut magiſtratum poteſtatemve gerentes quadruplum reſtituant ejus, quod per ſe vel uxores aut comites ac miniſtros acceperunt, ut aliquid agerent vel non agerent, contra, quàm officii ratio exigit. *l.* 1. *l.* 3. 4. 5. 6. 7. *ff. h. t.* atque inſuper pro admiſſi gravitate & circumſtantiis exilio, morte, vel aliter puniantur. *l.* 7. §. *ult. ff. h. t.* nec intereſt, utrùm quid acceperint antequam perperam fungerentur officio, an poſtea. *l. ult. C. h. t.* licèt xenia accipere non ſint prohibiti. *l.* 6. §. 3. *de offic. proconſ. & legat.* (I, II, III.)

2. Hujus autem criminis accuſatio etiam contra hæredes intra annum datur. *l.* 2. *ff. h. t. l. fin. ff. ad leg. Jul. peculat.*

3. *Moribus.* Arbitraria eſt judicis pretio corrupti pœna, non præcisè in quadruplum.

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 27. *ad leg. Jul. repetund.*

TIT. XII.

De Lege Juliâ de Annonâ.

1. LEge Juliâ de annona coërcentur qui vexant & flagellant annonam, naves annonarias aut nautas retinendo, atque ita efficiendo ut annona fiat carior: conſtitutâ pœnâ viginti aureorum & extraordinariâ animadverſione. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 6. *ff. de extraord. crim.* Si quis monopolium in mercibus quibuſdam exerceat, exilio & bonorum publicatione plectitur. *l. un. C. de monopoliis.*

2. *Moribus.* Graviùs coërcentur annonæ flagellatores, qui id agunt exportando ad hoſtes.

Tit. XIII.

Ad Legem Juliam peculatûs & de Sacrilegiis & reſiduis.

1. PEculatus eſt furtum pecuniæ publicæ factum ab eo, cujus ea periculo non eſt. *l. 9. §. 2. ff. h. t.* Quamvis autem ex ipſa lege Julia in pecunia civitatum non peculatûs, ſed tantùm furtum fuerit. *l. 81. ff de furtis.* ex Trajani tamen & Hadriani conſtitutione peculatûs crimen etiam ad res civitatum fuit translatum. *l. 4. §. ult. ff. h. t.* [I, II.]

2. Pœna peculatûs eſt deportatio. *l. 2. ff. h. t.* in magiſtratibus tamen & eorum miniſtris ultimum ſupplicium. *l. un. C. h. t.* ejuſque accuſatio quinquennii præſcriptione non item morte rei, perimitur. *l. 7. l. ult. ff. h. t.* [III.]

3. Sacrilegium eſt furtum pecuniæ ſacræ è loco ſacro: non item rei non ſacræ è loco ſacro. *l. 5. ff. h. t.* Obſt. *l. 16. §. 4. ff. de pœnis.* Reſp. locus etiam facit, ut ſacrilegium ſit, quatenus ſacrilegium non eſſet, ſi res ſacra raperetur ex loco non ſacro: ſed non inde ſequitur, ſacrilegium protinus eſſe, cum quid è loco ſacro rapitur, niſi alia concurrant ſacrilegii requiſita. (IV.)

4. Criminis hujus pœna pro diverſitate perſonarum, ſexûs, ætatis, quandoque major eſt, quandoque levior. *l. 6. ff. h. t.* [V.]

5. Reſidui crimen committunt magiſtratus, qui pecuniam publicam ad uſum aliquem deſtinatam retinuerunt, nec in eum uſum eor ſumpſerunt. *l. 2. ff. h. t.* cujus pœna eſt, ut ipſa pecunia reſidua in fiſcum inferatur unà cum alia parte tertiâ illius pecuniæ. *l. 4. §. 5. ff. h. t.* Nec morte rei hoc crimen evaneſcit. *l. ult. ff h. t.* (VI.)

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 28. de crimine peculat. tit. 29. de crimine ſacrilegii.*

Tit. XIV.
De Lege Juliâ ambitûs.

1. LEx Julia ambitûs vetat clam emendicari vel pretio redimi ſuffragia populi; cujus pœna eſt centum aureorum & infamiæ. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* quæ tamen ſub Imperatoribus non amplius in urbe, ſed in municipiis locum habuit. *l.* 1. *pr. ff. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 26. *ad Leg. Jul. de ambitu.*

Tit. XV.
De Lege Fabiâ de Plagiariis.

1. PLagium eſt furtum hominis liberi vel ſervi alieni, quem quis ſciens emit, vendit, abducit, rapit, celat. *l.* 4. 5. 6. §. *ult. ff. h. t.* Quamvis & plagium eſſe poſſit ſine furto propriè ſic dicto, dum quis celat vel abducit non lucri causâ: & vice versâ furtum ſine plagio; ſic ut ex circumſtantiis dijudicandum ſit, an ſimplex furtum committatur, an plagium. *l.* 6. *pr. ff. h. t.*

2. Pœna plagii olim pecuniaria erat, jure novo extraordinaria, quandoque capitalis, *l.* 1. *l. ult. ff. h. t.* præſertim, ſi parentibus ita infligatur liberorum orbitas, tunc enim ſervi rei beſtiis objiciuntur, homines liberi gladio plectuntur. *l. ult. C. h. t.*

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 20. *ad leg. fab. de plagiariis.*

Tit. XVI.
Ad Senatusconſultum Turpillianum & de Abolitionibus criminum.

1. SI quis accuſator ab accuſatione cæptâ deſiſtat, aut tergiverſetur, non impetratâ abolitione, incidit ex Senatuſconſulto Turpilliano Neronis temporibus condito, in pœnam quinque librarum auri & infamiæ. *l.* 3. §. *ult. ff. de prævaricat.* ſive in prima lite, ſive poſt appellationem deſiſtat. *l.* 1. § *ult. ff. h. t.* nonnunquam & extra ordinem coërcetur.

judicis arbitrio. *l. 2. C. h. t.* niſi minor ſit aut mulier, quibus impunè licèt deſiſtere. *l. 1.* §. 10. *in fin. ff. h. t.* (I. II.)

2. Ut ergo impunè quis poſſit deſiſtere, abolitio requiritur, quæ eſt venia omittendæ accuſationis cœptæ: & vel publica eſt, vel privata, vel legitima. Publica ſeu generalis abolitio eſt, quæ publicè & in genere competit; veluti ob feſtum Paſchatis aut aliam publicam lætitiam. *l. 3. C. de episc. audient. l. 8. 9. ff. h. t.* Qualis abolitionis genere dimiſſi rei intra triginta dies utiles, à finitis feriis computandos, iterum accuſari poſſunt ab iiſdem accuſatoribus. *l. 7. l. 10.* §. 2. *l. 12. ff. h. t.* [III.]

3. Privata ſeu ſpecialis abolitio eſt quam ad accuſatoris petitionem judex concedit cauſâ cognitâ, veluti ob inconſultum aut juvenilem calorem, aut juſtum errorem, quo motus accuſator ad accuſandum proceſſit. *l. 2. C. de abolit. l. 1.* §. 7. 8. 9. *ff. h. t.* quæ quidem re integrâ intra triginta dies impetrari ſolet, etiamſi reus non conſentiat; re verò non amplius integrâ, non niſi reo conſentiente plerumque conceditur. *l. 3. C. de abolit. l. ult. ff. h. t.* Quandoque tamen nec ex conſenſu rei accuſati abolitio accuſatori tribuenda eſt, puta, ſi teſtes jam quæſtionibus ſubjecti fuerint, vel de gravioribus non nullis criminibus accuſatio inſtituta ſit, quæ enumerantur in *l. ult. in fin. C. de abolit.* Impetratâ autem privatâ abolitione, idem ab eodem nequit iterum ob idem crimen accuſari. *l. 4.* §. *1.* [IV.]

4. Legitima abolitio dicitur, quæ ſine decreto vel petitione accuſatoris ipſo jure fit, veluti morte accuſatoris aut rei. *l. 1. ff. h. t.* ut & ſi accuſator tempore excluſus ſit, ac reus hanc temporis præſcriptionem accuſatori objecerit, quo caſu hic ex juris neceſſitate deſiſtere tenetur, nec in Senatuſconſultum Turpillianum incidit. *l. 11. ff. h. t.* ſecus, ſi ſponte deſiſteret, cum reus necdum temporis præſcriptionem oppoſuiſſet. *l. 1.* §. 10. *ff. h. t.* (V.)

5. *Moribus*. Neceſſaria non eſt abolitio, cum privati non accuſent, & ratione officii accuſantes in crimen non inſcribant. Mortuo autem accuſatore ſucceſſor in officio accuſationem cœptam perficit.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 45. ad Senatuſc. Turpillianum. tit. 42. de abolitionibus. tit. 43. de generali abolitione. tit. 6. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit.*

TIT.

Tit. XVII.

De requirendis, vel abſentibus damnandis.

1. ABſentes damnari nequeunt, ſi pœna gravior ſit irroganda. *l. 1. ff. h. t. l. 5. ff. pœnis. arg. l. 1. ff. an per al. cauſ. appell. reddi poſſ.* ſed legitimè citandi ſunt, & ſi poſt tria edicta ſeu citationes non faciant ſui copiam, bona eorum annotantur, ac, ſi intra annum ſe non ſiſtant, fiſco cedunt; ſic ut poſt anni lapſum ſeſe ſiſtentes & innocentiam demonſtrantes à graviori quidem pœnâ liberentur, ſed bona non recipiant, *l. 2. C. h. t.* Si verò intra annum judici ſe ſiſtant, omnia recuperant; exceptis iis quæ diſtracta fuerunt, cum tempore fuiſſent peritura, quorum loco pretium redditur, *l. 1. §. 3. 4. l. 3. 4. ult. §. 1. ff. h. t.* (1.)

2. Annus autem computandus eſt à tempore accuſationis, ſi reus tempore accuſationis præſens fuerit & poſtea abeſſe cœperit. *l. 2. C. h. t.* ſin abſens fuerit accuſationis tempore, annus numerabitur ex eo die, quo annotatio vel edicto vel literis ad magiſtratum loci in quo reus eſt, innotuit, aut potuit innoteſcere, adeòque à tempore citationis. *l. 1. §. 2. 3 l. 4. ff. h. t.*

3. *Moribus*, Abſentes etiam ad ultimum ſupplicium damnari poſſunt, & bona eorum publicari. quod tamen non impedit, quominus poſt annum ſui copiam facientes & innocentiam purgantes, bona recipiant impetratâ contra contumaciam reſtitutione.

• Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 40. de requir. reis.*

Tit. XVIII.

De Quæſtionibus.

1. QUæſtio eſt inquiſitio veritatis per tormenta; res admodum periculoſa & fallax nec facilè adhibenda. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* non in levioribus, ſed tantùm gravioribus delictis, ubi pœna capitalis vel corporalis foret infligenda. *l. 8. ff h. t.* nec aliter, quàm ſi graviores contra reum militent præſumptiones, vel crimen ferè probatum ſit, nec jam alia veritatis plenè indagandæ ratio amplius ſuperſit. *l. 1. pr. & §. 1. l. 8. ff. h. t.* Planè fuga rei, vel fama publica, vel vul-

nerati aſſertio aliaque, ſimilia ad torturam non ſufficiunt, niſi alia concurrant indicia: uti nec ſufficit unus teſtis. *l.* 20. *ff. h. t.* aut confeſſio ſocii criminis, ſi de ſe & ſociis confiteatur, cum in omnem eventum infamis ſit, qui de ſe confeſſus eſt, adeòque parum mereatur fidei. *arg. l. ult. C. de accuſat.* Obſt. nemo moriturus ſalutis æternæ immemor præſumitur. *l. ult.* C. *ad leg. Jul. repetund.* adeòque pro veris habenda, quæ reus moriturus confeſſus eſt. Reſp. id verum, quatenus confitendo ſibi, non alteri nocet. *arg. d. l. ult. C. de accuſ.* Et generaliter à judicis prudentis arbitrio multum dependet quæſtionem adhibitio; quippe qui conſideratâ perſonæ qualitate, robore, ætate, ſexu, aliiſque circumſtantiis, vel graviora vel leviora curabit tormenta adhiberi, vel etiam quandoque quæſtionum terrorem tantùm incutiet, expediendo præparatoria torturæ; ſimulque prudenter æſtimabit, quantùm fidei reſponſis per tormenta extortis tribuendum ſit. *l.* 1. §. 23. 24. 25. *ff. h. t.* (I, II, III, V, VI.)

2. Quæſtioni autem ſemel ſubjecti, iterum ac tertio torqueri poſſunt, ſi vel in inficiatione criminis perſtiterint ac novis deinde graventur præſumptionibus ac indiciis. *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.* vel confeſſi quidem ſint, ſed paulo poſt, laxatis fidiculis, confeſſionem revocaverint: & ad hos ſimileſque caſus reſtringenda, quæ generaliùs traduntur in *l.* 16. *ff. h. t.* Tertiâ tamen vice torti, ſi negare pergant ab inſtantia abſolvi ſolent, non ab ipſo crimine. *arg. l.* 34. *C. ad leg. Jul. de adult.* Obſt. *l.* 11. *C. de accuſat.* Reſp. reus ab ipſo crimine abſolvendus eſt, ſi non graves contra eum militent præſumptiones. (VII.)

3. Cæterùm quæſtioni ſubjici nequeunt illuſtres, milites, prægnantes, decuriones & eorum liberi, impuberes. *l.* 10. 15. §. 1. *ff. h. t. l.* 8. 11. 16. *C. eod. l.* 3. *ff. de pœnis.* nec de ſe confeſſi torquendi contra ſocios. *l.* 16. §. 1. *ff. h. t. l. ult.* C. *de accuſat.* ſecus, ſi convicti ſint. *arg. l. ult. C. de malef. & mathem. l. ult. ff. ad exhibendi. l.* 17. *ff. ad Senatuſc. Silan. l* 29. *ff. de pœnis.* nec ſervi contra dominos in civilibus aut criminalibus cauſis. *l.* 1. §. 16. *ff. h. t.* exceptis paucis caſibus in *l.* 1. *C. h. t.* [IV.]

4. *Moribus.* Cum reatus omnem honorem excludat, etiam illuſtres & decuriones & milites torqueri poſſunt: uti & tormentis rectè ſubjiciuntur de ſe confeſſi ad prodendos criminis ſocios. Nec ſolet plena quæſtioni fides adhiberi, niſi reus

poſt

poſt 24. horas extra vincula conſtitutus iteret editam in tormentis confeſſionem.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 41. de quæſtion.*

TIT. XIX.

De Pœnis.

1. POEna eſt delicti ſeu criminis coërcitio & ultio. & vel capitalis eſt, vel non capitalis. Capitalis, quâ mors naturalis vel civilis infligitur, veluti deportatio, & damnatio in metallum vel opus metalli, quâ & libertas & civitas amittitur, ſi damnatio ſit facta in perpetuum. §. 3. *Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolvitur.* ſi verò ad tempus, ſola civitas tollitur, libertate ſalvâ. *l.* 8. §. 8. *l.* 28. §. 6 *ff h. t.* ut tamen minor pœna ſit, ſi quis in *opus metalli* damnetur; quàm ſi *in metallum*; in opus enim metalli damnati levioribus, in metallum dati gravioribus vinculis premuntur: unde &, ſi in opus metalli damnati fugere voluerint; in metallum damnantur pœnæ loco, vinculis gravioribus coërcendi. *l.* 8. §. 4. 6. *ff. h. t.* Sed cum damnatione in opus metalli non confundenda damnatio in opus publicum: nam ſi quis in perpetuum damnetur in opus publicum, civitatem amittit retentâ libertate. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* ſin ad tempus, libertatem ac civitatem ſalvam habet. *l.* 6. *ex quib. cauſ. infam. irrog.* [I, II, III.]

2. Si quis ad pœnam capitalem damnatus ſit quantocius ſupplicio ſubjiciendus eſt, nec triginta dierum dilatio videtur admittenda. *l.* 5. *C. de cuſtod. reor.* Obſt. *l.* 20. C. *h. t.* Reſp. lex de ſpeciali tractat caſu; cum nempe Princeps ipſe calore iracundiæ præcipiti mente quid contra ſolitam manſuetudinem ſtatuit; quod non vult protinus executioni dari, ut medio tempore poſſit animo magis ſedato, quæ decrevit perpendere. (V.)

3. Non capitalis pœna eſt, quâ vel corporalis coërcitio vel pœna pecuniaria aut infamiæ irrogatur. *l.* 28. § 1. *ff. h. t.*

4. Quoties autem lex certam pœnam crimini publico propoſuit, non poteſt judex eam in aliud pœnæ genus aliumve modum mutare. *l.* 1. §. 4. *ff. ad Senatuſc. Turpillian. arg. l.* 244. *ff. de verb. ſignif.* junct. *l.* 4. *C. ad leg. Fab. de plagiar.* ubi autem arbitrio judicis lex pœnam reliquit, contra ſervatur. *l.* 13. *ff. h. t.* Ut tamen judex hoc caſu nec rationem excedere debeat. *d. l.* 13. nec cujuſvis generis aut modi ſupplicia

 decernere;

nerati aſſertio aliaque, ſimilia ad torturam non ſufficiunt, niſi alia concurrant indicia: uti nec ſufficit unus teſtis. *l.* 20. *ff. h. t.* aut confeſſio ſocii criminis, ſi de ſe & ſociis confiteatur, cum in omnem eventum infamis ſit, qui de ſe confeſſus eſt, adeòque parum mereatur fidei. *arg. l. ult. C. de accuſat.* Obſt. nemo moriturus ſalutis æternæ immemor præſumitur. *l. ult.* C. *ad leg. Jul. repetund.* adeòque pro veris habenda, quæ reus moriturus confeſſus eſt. Reſp. id verum, quatenus confitendo ſibi, non alteri nocet. *arg. d. l. ult. C. de accuſ.* Et generaliter à judicis prudentis arbitrio multum dependet quæſtionem adhibitio; quippe qui conſideratâ perſonæ qualitate, robore, ætate, ſexu, aliiſque circumſtantiis, vel graviora vel leviora curabit tormenta adhiberi, vel etiam quandoque quæſtionum terrorem tantùm incutiet, expediendo præparatoria torturæ; ſimulque prudenter æſtimabit, quàntùm fidei reſponſis per tormenta extortis tribuendum ſit. *l.* 1. §. 23. 24. 25. *ff. h. t.* (I, II, III, V, VI.)

2. Quæſtioni autem ſemel ſubjecti, iterum ac tertio torqueri poſſunt, ſi vel in inficiatione criminis perſtiterint ac novis deinde graventur præſumptionibus ac indiciis. *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.* vel confeſſi quidem ſint, ſed paulo poſt, laxatis fidiculis, confeſſionem revocaverint: & ad hos ſimileſque caſus reſtringenda, quæ generaliùs traduntur in *l.* 16. *ff. h. t.* Tertiâ tamen vice torti, ſi negare pergant ab inſtantia abſolvi ſolent, non ab ipſo crimine. *arg. l.* 34. *C. ad leg. Jul. de adult.* Obſt. *l.* 11. C. *de accuſat.* Reſp. reus ab ipſo crimine abſolvendus eſt, ſi non graves contra eum militent præſumptiones. (VII.)

3. Cæterùm quæſtioni ſubjici nequeunt illuſtres, milites, prægnantes, decuriones & eorum liberi, impuberes. *l.* 10. 15. §. 1. *ff. h. t. l.* 8. 11. 16. *C. eod. l.* 3. *ff. de pœnis.* nec de ſe confeſſi torquendi contra ſocios. *l.* 16. §. 1. *ff. h. t. l. ult.* C. *de accuſat.* ſecus, ſi convicti ſint. *arg. l. ult.* C. *de malef. & mathem. l. ult. ff. ad exhibendi. l.* 17. *ff. ad Senatuſc. Silan. l* 29. *ff. de pœnis.* nec ſervi contra dominos in civilibus aut criminalibus cauſis. *l.* 1. §. 16. *ff. h. t.* exceptis paucis caſibus in *l.* 1. *C. h. t.* [IV.]

4. *Moribus.* Cum reatus omnem honorem excludat, etiam illuſtres & decuriones & milites torqueri poſſunt: uti & tormentis rectè ſubjiciuntur de ſe confeſſi ad prodendos criminis ſocios. Nec ſolet plena quæſtioni fides adhiberi, niſi reus

poſt

poſt 24. horas extra vincula conſtitutus iteret editam in tormentis confeſſionem.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit.* 41. *de quæſtion.*

Tit. XIX.

De Pœnis.

1. POEna eſt delicti ſeu criminis coërcitio & ultio, & vel capitalis eſt, vel non capitalis. Capitalis, quâ mors naturalis vel civilis infligitur, veluti deportatio, & damnatio in metallum vel opus metalli, quâ & libertas & civitas amittitur, ſi damnatio ſit facta in perpetuum. §. 3. *Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolvitur.* ſi verò ad tempus, ſola civitas tollitur, libertate ſalvâ. *l.* 8. §. 8. *l.* 28. §. 6. *ff h. t.* ut tamen minor pœna ſit, ſi quis in *opus metalli* damnetur; quàm ſi *in metallum*; in opus enim metalli damnati levioribus, in metallum dati gravioribus vinculis premuntur: unde &, ſi in opus metalli damnati fugere voluerint, in metallum damnantur pœnæ loco, vinculis gravioribus coërcendi. *l. 8.* §. 4. 6. *ff. h. t.* Sed cum damnatione in opus metalli non confundenda damnatio in opus publicum: nam ſi quis in perpetuum damnetur in opus publicum, civitatem amittit retentâ libertate. *l.* 17. §. 1. *ff. h. t.* ſin ad tempus, libertatem ac civitatem ſalvam habet. *l.* 6. *ex quib. cauſ. infam. irrog.* [I, II, III.]

2. Si quis ad pœnam capitalem damnatus ſit quantocius ſupplicio ſubjiciendus eſt, nec triginta dierum dilatio videtur admittenda. *l.* 5. *C. de cuſtod. reor.* Obſt. *l.* 20. C. *h. t.* Reſp. lex de ſpeciali tractat caſu; cum nempe Princeps ipſe calore iracundiæ præcipiti mente quid contra ſolitam manſuetudinem ſtatuit; quod non vult protinus executioni dari, ut medio tempore poſſit animo magis ſedato, quæ decrevit perpendere. (V.)

3. Non capitalis pœna eſt, quâ vel corporalis coërcitio vel pœna pecuniaria aut infamiæ irrogatur. *l.* 28. § 1. *ff. h. t.*

4. Quoties autem lex certam pœnam crimini publico propoſuit, non poteſt judex eam in aliud pœnæ genus aliumve modum mutare. *l.* 1. §. 4. *ff. ad Senatuſc. Turpillian. arg. l.* 244. *ff. de verb. ſignif.* junct. *l.* 4. C. *ad leg. Fab. de plagiar.* ubi autem arbitrio judicis lex pœnam reliquit, contra ſervatur. *l.* 13. *ff. h. t.* Ut tamen judex hoc caſu nec rationem excedere debeat. *d. l.* 13. nec cujuſvis generis aut modi ſupplicia

 decernere:

decernere: non enim reum condemnare poteſt, ut veneno, fame, ſecuri, telo, laqueo, virgis, neci detur, aut de ſaxo præcipitetur. *l.* 8. §. 1. 3. *l.* 21. §. 1. *ff. h. t.*

5. Pœnæ tamen quandoque differendæ, veluti in muliere prægnante, *l.* 3. *ff. h. t.* ſæpius mitigandæ, puta ob ætatem aut ſexûs imbecillitatem; quandoque & ob inſigne artificium. *l.* 31. *ff. h. t.* vel utilitatem publico allatam. *l.* 5. §. *ult. ff. de re milit.* Non tamen ob id, quod ante plures annos crimen perpetratum fuit, cum id nuſpiam cautum ſit. Obſt. *l.* 25. *ff. h. t.* Reſp ibi de iis agitur, qui diu in reatu fuerunt, adeòque diu carceris aut alterius cuſtodiæ pœnam ſubierunt; quales propterea mitius puniendi. *l.* 25. C. *h. t.* (VI, VII, X, XI.)

6. Et generaliter pœnæ interpretatione molliendæ potius, quam aſperandæ. *l. pen. ff. h. t.* in iiſque irrogandis conſiderandæ circumſtantiæ perſonarum, cauſæ, loci, temporis, quantitatis, & eventûs. *l.* 16. §. 1. *& ſeqq. ff. h. t.* [VIII, IX.]

7. *Moribus.* Pœnæ pleræque hodie ſunt arbitrariæ.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 49. de pœnis.*

TIT. XX.

De bonis damnatorum.

1. SI quis ad ultimum ſupplicium damnatus fuiſſet, vel civitate privatus per judicis ſententiam, bona ejus fiſco fuerunt applicata. *l.* 4. *C. de bon. proſcript.* niſi liberos reliquiſſet, quibus pars dimidia ſervabatur. *l.* 7. *ff. h. t. l.* 10. *C. h. t.* aut niſi mulier nupta deliquiſſet; neque enim ob ejus delictum dos publicabatur, niſi in quinque cauſis, puta, majeſtatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, homicidii *l.* 3. *ff. h. t.* Sed jure noviſſimo bona damnatorum relinquuntur deſcendentibus & aſcendentibus uſque ad tertium gradum, ac his deficientibus uxori certa portio cedit; ſi verò nec ea exſtet, bona fiſco, convenienter juri veteri, acquiruntur. *nov.* 134. *c. ult. in fin.* (I.)

2. *Moribus.* Damnatorum bona fiſco non cedunt, niſi id ſententia expreſſum fuerit; eoque expreſſo ſola præſentia fiſco cedunt, non item poſtea acquirenda.

* Adde *ex Cod. libr.* 9. *tit.* 49. *de bon. proſcriptorum. tit.* 28. *ne ſine juſſu Princip. certis judic. liceat confiſcare.*

Tit. XXI.

De bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt.

1. Si quis ante ſententiam ſibi mortem conſciverit, ſi quidem vitæ tædio aut impatientiâ doloris, impunitus eſt. *l.* 3. §. 4. 5. 6. *ff. h. t.* ſin conſcientiâ ſceleris, & quidem talis, ex quo bona condemnati fiſco cederent, etiam bona ejus fiſco acquiruntur, *l.* 1. 2. C. *h. t. l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* ut tamen hæredes ejus, qui ſe occidit, ad innocentiam ejus probandam admitti poſſint, atque ita ſibi bona retinere. *l. ult. §. ult. ff. h. t.* (I, II.)

2. *Moribus*, Qui ſibi mortem conſciverunt tædio vitæ vel ex deſperatione, cum infamia ſepeliuntur prope patibulum *, niſi proximi hanc redimant infamiam.

* Adde *ex Cod. lib.* 9. *tit.* 50. *de bonis eorum, qui mortem ſibi conſciverunt.*

Tit. XXII.

De Interdictis & relegatis & deportatis.

1. Interdicti in genere ſunt, quibus certo loco vel honore, vel negotiatione, vel ordine, vel advocatione, vel foro interdictum eſt. *l.* 1. §. *pen. de off. præfecti urbi.* (I.)

2. Relegati ſunt, vel quibus interdicitur provinciis, quales etiam interdicti ſunt; vel quibus inſula certa aſſignatur, idque vel ad tempus vel in perpetuum, ſalvâ manente libertate & civitate. *l.* 7. *pr.* & §. 2. 3. *ff. h. t.* ſalvis etiam bonis, niſi ea ſpecialiter ſint publicata, quod fieri potuit, ſi quis in perpetuum, non ſi ad tempus relegaretur. *l.* 4. *l.* 7. §. 4. *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* [II, III.]

3. Deportati dicuntur, qui amiſſâ civitate ad certam inſulam in perpetuum deferuntur. *l.* 7. §. 2. *ff. h. t. l* 17. §. 1. *de pœnis*, quorum bona fiſco cedunt; ut tamen ea, quæ poſt deportationem acquirit deportatus, ſibi retineat quamdiu vivit, poſt ejus obitum fiſco applicanda. *l.* 15. *ff. h. t.* (IV, V.)

4. *Moribus.* Relegati, ſi ab interdictis locis non abſtineant, extra ordinem arbitrio judicis coërcentur.

TIT.

Tit. XXIII.

De Sententiam paſſis & reſtitutis.

1. SI reus condemnatus ſit, nullus judicum aut præſidum poteſt pœnæ gratiam facere, aut damnatum reſtituere, ſed ſolus Princeps ex juſta cauſa. *l. 1. §. ult. ff. de quaſtion.* Eſt autem reſtitutio, quam Princeps facit, vel ad certos effectus limitata, veluti ad præcedentem dignitatem, quo caſu nec patria poteſtas nec bona recuperantur. *l. 2. ff. h. t. l.* 6. 9. *C. eod.* vel ſimpliciter conceſſa, per quam reditus in patriam & pœnæ corporalis remiſſio tribuitur. *l. 1. 7. C. h. t. l. fin. C. de general. abolit.** vel denique pleniſſima, quâ omnia recuperantur per ſententiam amiſſa §. 1. *Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolvit. l.* 1. C. *h. t.* adeòque & bona per fiſcum occupata: non tamen fructus medio tempore ex bonis percepti; eò quòd hi per ſententiam non fuerunt adempti; cum tamen reſtitutio tantùm reddat ea, quæ per ſententiam fuêre ablata. *l. ult. §. ult. C. h. t. arg. auth. idem de Neſtorianis C. de hæreticis.* quamvis alioquin in rei vindicatione & ſimilibus *reſtituere* denotet, cum ſua cauſa & fructibus rem reddere. *l. 173. §. 1. ff. de reg. jur. l. 35. ff. de verb. ſign.* [I, II, III, IV, V.]

2. Ex eodem fundamento nec hæreditatem tempore deportationis ob deportati incapacitatem ad alios devolutam recuperat reſtitutus vi reſtitutionis; cum nec hanc abſtulerit ſententia, quippe necdum tunc delatam. Et quod attinet bona alienata, nec ea reſtituto reddenda ſunt; eò quòd Principum beneficia in dubio intelligenda, ſalvo jure tertii. *l. pen. C. de precib. imperat. offerend.* niſi fiſcus ipſe vendiderit, quo caſu pretium videtur reſtituendum, quod ſucceſſit in locum rei. [III.]

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. ult. de ſentent. paſſis & reſtitutis.*

TIT.

Tit. XXIV.

De Cadaveribus punitorum.

1. CAdavera punitorum cognatis aliiſque petentibus ad ſepulturam concedi ſolent. *l. 1. 3. ff. h. t.* niſi conſultum videatur ea publico ſpectaculo exponere ad deterrendos alios, ne ſimilia audeant. *l. 28. §. pen. ff. de pœnis.* Deportatorum cadavera ex loco, in quam deportati fuerant, aliò transferri nequeunt ſine Principis conſenſu. *l. 2. ff. h. t.* Pannicularia autem, ſeu veſtimenta punitorum non commentarienſibus aut optionibus cedunt, ſed in uſus publicos impendendum eorum pretium. *l. 6. ff. de bon. damnat.*

LIBER XLIX.

Tit. I.

De Appellationibus & Relationibus.

1. APpellatio eſt provocatio à ſententia judicis inferioris ad ſuperiorem judicem competentem, non ad æqualem aut inferiorem. *arg. l. 14. ff. de manumiſſion.* adeòque ut appellatum non videatur, ſi quis ad inferiorem appellaverit; ſed ſi per errorem provocaverit ad æqualem, vel ſuperiorem quidem, ſed tamen eum, qui appellari non debebat, perinde id habendum erit, ac ſi ad eum provocaſſet, apud quem cauſa appellationis de jure ventilanda eſt. *l. 1. §. 3. ff. h. t.*

2. Locum habet appellatio, quoties quis ſententiâ judicis vel magiſtratûs decreto ſe læſum putat, ſive ipſe condemnatus ſit, ſive alius, modò appellantis interſit, alium ita condemnatum non eſſe. *l. 4. §. 2. l. 5. pr. & §. 1. ff. h. t.* idque tam in criminalibus quàm civilibus cauſis; adeò ut in criminalibus etiam quilibet pro condemnato, ut ut prohibente, appellare poſſit. *l. 6. ff. h. t.* ſi modò definitiva lata ſit in cauſa civili aut criminali ſententia: ab inter-

terlocutoria enim non appellatur, niſi ea damnum irreparabile inferat. *l. 36. C. h. t. l. 2. ff. de appell. recip. vel non.* Uti nec appellari poteſt à ſententiæ executione. *l. 4. ff. h. t. l. 21. C. eod.* niſi executor modum excedat. *l. 5. C. quor. appell. non recip.* Nec, ſi in eadem cauſa conformes tres latæ ſint ſententiæ. *l. un. C. ne liceat in una ead. cauſ. tertio provoc.* vel ante ſententiam quis profeſſus ſit ſe non appellaturum. *l. 1. §. 3. ff. à quib. appell. non licet.* vel quæſtio ſit de teſtamento aperiendo aut hæredibus in poſſeſſionem mittendis. *l. 6. C. quor. appell. non recip.* [II, III, IV, V, VI, IX, XII, XIV, XV, XVI.]

3. Non etiam permiſſa eſt appellatio contra pignoris venditionem. *l. ult. §. ult. ff. de appellat. recip. vel non.* nec à delicti confeſſione. *l. 2. C. quor. appell. non recip. arg. l. 2. ff. de confeſſ.* nec in cauſis dilationis impatientibus, veluti à decreto alimentorum præſtandorum. *l. ult. ff. de appell. recip. vel non.* nec à pœnis legalibus [ſecus in arbitrariis.] *l. 244. ff. de verb. ſignif.* nec in cauſis debiti fiſcalis aut tributorum. *l. 4. C. quor. appell. non recip.* niſi de eo quis conqueratur, quod non ſatis convictus ſit, ſe fiſco debere, & tamen condemnatus. *l. 18. 22. C. h. t.* nec, ſi quis condemnatus fuerit ob contumaciam. *l. 73. §. ult. ff. de judiciis.* niſi is qui tanquam contumax condemnatus fuerat, probet ſe contumacem non eſſe *arg. l. 53. §. 2. ff. de re judic.* quâ ratione etiam à ſententia, quâ appellatio deſerta declaratur, appellari poteſt, ſi quis demonſtret ſe non deſeruiſſe. (VI, XIV.)

4. Non denique competit appellandi facultas, ſi ad relationem judicis propriè dictam Princeps reſcripſerit, & juxta reſcriptum illud judex tulerit ſententiam. *l. 3 1. C. h. t. l. ult. ff. quando appelland.* ſecus, ſi ad nudam judicis conſultationem Princeps reſcripſerit. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* cujus ea differentiæ ratio eſt, quod relatio ita facta fuerit, ut cauſa plenè inſtructa ad Principem tranſmitteretur, exemplo partibus edito, ut vel probarent vel improbarent, additis precibus refutatoriis; quo obſervato, falſitas ſubeſſe non poterat. *l. 1. 2. C. de relation. l. 1. §. 2. ff. h. t.* at conſultatio fit ſine partium ſcientia, ſic ut judex facilè mendaciis reſcriptum poſſet impetrare. *d. l. 1. §. 1. ff. h. t.* (XXI)

5. Quamvis autem olim frequens fuerit relationum uſus, dum judex hæſitans, quid in caſu hoc vel illo dubio ſtatuendum ſit, cauſam univerſam ad Principem defert, ut is

is eam imperiali reſcripto determinet: jure tamen novo relationes hæ ſunt prohibitæ, & injunctum judicibus, ut ipſi accuratè examinatis omnibus litem ſententiâ finiant. *auth. novo iure C. de relation.* (XXI.)

6. Cæterùm vel in continenti poteſt fieri appellatio vivâ voce; vel ex intervallo per libellum, continentem, quis appellet, contra quem & à quâ ſententiâ. *l.* 1. *§. ult. l.* 2. *ff. h. t.* Et ſi per unum ex ejuſdem litis conſortibus appellatio facta fuerit, ea reliquis quoque prodeſt; modò ex eadem cauſa & eâdem ſententiâ omnes condemnati ſint, ac eadem omnes defenſione utantur. *l.* 10. *§. ult. ff. h. t.* ut vice verſâ contra quoſdam ex pluribus ejuſdem litis conſortibus appellans adverſùs omnes provocaſſe videtur. *l.* 3. *§.* 1. *ff. h. t.* Onus autem probandi in appellatione incumbit eidem, qui & in prima lite probare debuit, niſi vitium in ordine judicii commiſſum allegetur; quod per allegantem probandum foret. *arg. l.* 2. *ff. de probat. l.* 23. *C. eod.* [XVIII]

7. *Moribus.* Ab omni gravamine per definitivam illato appellari poteſt, licèt fortè in ſolis impenſis litis quis ſe læſum putet. Nec is, contra quem facta eſt appellatio, impeditur ex ſuâ quoque parte eandem interponere. Quid, quòd & appellandi facultas facilè per modum reſtitutionis ei conceditur, qui ob contumaciam damnatus eſt. Temere autem appellans in pœnam pecuniariam incidit, quam & in initio appellationis tenetur conſignatam deponere; nec eam recuperat, ſi interpoſitæ appellationi renunciet, niſi inſuper veniam impetraverit. Cæterùm nullus apud nos relationum uſus eſt; ſed appellationi in multis ſimile eſt remedium reformationis intra annum petendæ, quâ non ſuſpenditur ſententiæ executio.

• Adde ex *Cod. lib.* 7. *tit.* 62. *de appell. & conſultation. tit.* 70. *ne liceat in una cauſa tertio provocare, &c. tit.* 69. *ſi de moment. poſſeſſ. appell. ſit.*

TIT.

Tit. II.

A quibus appellare non licet.

1. QUamvis appellatio ſit quædam defenſionis ſpecies, à quorundam tamen ſententiis appellare prohibitum eſt, puta, à ſententiâ judicis per Principem dati cum clauſula de non appellando. *l. 1. §. 4. ff. h. t.* Obſt. *l. 31. C. de appellat.* ubi puniendus dicitur qui appellationem denegat. Reſp. non poteſt denegari appellandi facultas per judicem; ſed lex aut Princeps eam poteſt adimere, quo ipſo etiam eum, à quo appellari prohibet, ut judicem ſupremum conſideratum vult. Sic nec appellari poteſt à ſententiâ Senatûs vel Principis. *l. 1. §. 1. 2. ff. h. t.* aut præfecti prætorio: licèt contra ejus ſententiam ſupplicatio intra biennium permiſſa ſit, ita ut interim ſententia executioni detur. *l. un. C. de ſent. præfect. prætor. nov. 119. c. 5.* (I, II, III, XII.).

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 42. de ſent. præf. prætorio.*

Tit. III.

Quis à quo appelletur.

1. APpellatio gradatim ab inferiore ad ſuperiorem eſt facienda, non per ſaltum prætérito judice intermedio. *l. 21. ff. de appell.* Quâ ratione à judice dato ad dantem rectè appellatur. *d. l. 21. §. 1. ff. de appell. l. 1. 3. ff. h. t.* à prætore ad præfectum urbi, & ab hoc ad Principem. *l. 17. C. de appell.* à duumviris municipiorum ad præſidem. *l. 7. C. de appell.* à legato proconſulis ad proconſulem. *l. 2. ff. h. t.* à legato Principis ad Principem. *l. 1. ff. h. t.* à præfecto Auguſtali vel proconſule, vel procuratore Cæſaris, ad præfectum prætorio. *l. 26. 29. C. de appell.* à mandatario juriſdictionis non ad mandantem, ſed ad eum qui ſupra mandantem eſt. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* (I.)

TIT.

Tit. IV.

Quando appellandum ſit, & intra quæ tempora.

1. Appellatur vel à ſententia judiciali vel ab onerum & munerum impoſitione, à ſententia olim intra biduum in propria, intra triduum in aliena cauſa appellandum fuit. *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* jure novo intra decem dies in cauſa propria & aliena. *nov.* 23. *c.* 1. quod tempus computandum, ex quo quis ſcit per ſe vel procuratorem ſuum, latam eſſe ſententiam. *l.* 1. §. *ult. ff. h t.* Interim tempora longiora pro diverſis locorum intervallis conſtituta ſunt, intra quæ cauſa, in qua appellatum, ad judicem ſuperiorem transferatur & introducatur; de quibus vide *l. ult. & tot. tit. C. de temp. appellat.* Quemadmodum & ad peragendam appellationis cauſam anni ſpatium eſt præfinitum, quandoque & ex juſta cauſa biennium, ſi appellans in mora non fuerit: biennio verò vel anno, uti dictum eſt, elapſo, perinde eſt ac ſi appellatum non fuiſſet. *l. ult.* §. 4. C. *de temp. appell.* (I, II, III, IV, V.)

2. Si quis ad munus publicum nominatus ſit, protinus à nominatione, non à rejecta excuſatione appellandum; exceptâ tutelâ. *l.* 1. §. 1. 2. *ff. h. t.*

3. *Moribus.* Cauſæ appellationum non præciſè anno vel biennio terminandæ ſunt, ſed perpetuæ ſunt, æquè ac in prima inſtantia.

* Adde *ex Cod. libr. 9. tit. 63. de tempor. & reparation. appellationum.*

Tit. V.

De Appellationibus recipiendis vel non.

1. Si ab eo, cui appellandi poteſtas eſt, intra decem dies appellatio fuerit interpoſita, judex, à cujus ſententia appellatum eſt, recipere debet appellationem, nec eam impedire, quod ſi eam recipere noluerit, ad Principem aut judicem, ad quem appellatum fuit, eundum eſt, cui judex inferior relatione adhibitâ exponere tenetur cau-

 ſas,

ſas, cur appellationi non detulerit. *l. 5. 6. ff. h. t* pœna gravis conſtituenda in eum, qui perperam recipere appellationem recuſaverit. *l. 21. C. de appellat.* Quando autem judex poſſit appellationem non recipere, patet ex iis, quæ dicta ſunt. *tit. 1.* (1, 11.)

* Adde *ex Cod. libr. 7. tit. 65. quorum appell. non recipiantur.*

Tit. VI.

De Libellis dimiſſoriis, qui Apoſtoli dicuntur.

1. QUicunque appellavit, intra triginta dies à tempore latæ ſententiæ petere tenetur ab inferiore judice Apoſtolos, ſeu libellos dimiſſorios, quibus judex inferior cauſam ad ſuperiorem vi appellationis delatam transfert. *l. un. ff. h. t. l. 24 C. de appellat.* quos etiam judex non petitos ſponte dare debet. *l. 6. §. ult. C. de appell.* Sed ſi eos judex intra dies triginta non dederit, id ipſum appellanti non nocebit, modò is inſtanter & ſæpius illos petierit. *l. un. §. 2. ff. h. t. l. 24. C. de appell.* [1.]

2. *Moribus.* In uſu non ſunt libelli dimiſſorii, ſed judex inferior acta omnia litigantibus exhibere cogitur, etiam interpoſito mandato compulſoriali judicis ſuperioris.

Tit. VII.

Nihil novari appellatione interpoſitâ.

1. APpellationis effectus eſt, quod ſuſpendatur ſententia, atque omnia in priſtino ſtatu relinqui debeant. *l. un. ff. h. t. l. 32. C. de appellat.* unde & curſus uſurarum appellatione pendente durat. *arg. l. 24. ff. de appellat.* (1.)

2. Quòd ſi quid novi medio tempore factum vel tentatum fuerit, in priſtinum ſtatum id protinus reſtituendum eſt, officio judicis appellati. Si tamen de momentanea poſſeſſione ſententia lata fuerit, & ab ea appelletur, appellatione pendente fieri poteſt executio. *l. un. C. ſi de momen. poſſeſſ. appellat. fuerit.* Ut &, ſi non ſecundùm leges ſit facta appellatio. *arg. l. 27. ff. de re judic.* vel ſi quis ex pluribus facino-

ribus

ribus condemnatus appellaverit tantùm reſpectu leviorum non graviorum intuitu ; nam & tunc judex exſequitur ſententiam propter graviora crimina , à quorum condemnatione non fuerat appellatum. *l. un.* §. *ult. ff. h. t.* (I, VII, VIII.)

3. Nihil etiam vetat, quo minus novæ probationes per inſtrumenta vel teſtes adhibeantur in lite appellationis. *l.* 6. §. 1. 2. *C. de appell.* (II.)

4. *Moribus.* Suſpenditur ſententia durante appellatione , licèt non ut oportet appellatum ſit. Quod ſi à Curiâ Provinciali Hollandiæ ad Curiam Supremam appelletur , ex iiſdem actis jus dicitur , nec probationes novæ adduci poſſunt , niſi nominatim ad id ex juſta cauſa ſit impetrata reſtitutio.

TIT. VIII.

Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur.

1. SI ſententia ipſo jure nulla ſit, appellatione opus non eſt. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* ſed actor priſtinam rurſus movere poteſt actionem , rei judicatæ exceptionem ſibi oppoſitam doli vel nullitatis replicatione excluſurus : & viciſſim reus actione rei judicatæ ex ſententia ipſo jure nulla conventus , eandem facilè eludet, nullitate allegatâ. [I.]

2. Multis autem modis fieri poteſt, ut ſententia ipſo jure nulla ſit, puta, ſi contra mortuum lata ſit, *l.* 2. *ff. h. t.* vel contra non vocatum, & ita abſentem. *l.* 1. §. 3. *ff. h. t. l.* 7. *C. quom. & quand. jud. ſent. prof. poſſ.* vel contra priorem ſententiam quæ in rem judicatam tranſivit. *l.* 1. C. *quand. provoc. non eſt neceſſe.* ſi turpia contineat vel impoſſibilia. *l. ult. ff. h. t.* vel errorem calculi. *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* niſi de ipſo calculi errore judex pronunciaverit. *l. un. C. de error. calculi.* ſi lata ſit à judice ultra terminos juriſdictionis reſpectu temporis aut quantitatis , veluti elapſo jam die intra quem judex judicare juſſus erat. *l.* 5. 6. C. *quand. provoc. non eſt neceſſe.* denique ſi directò contra leges lata ſit. *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Obſt. *l.* 27. *ff. de re judic.* ubi judex condemnaverat in uſuras uſurarum contra leges , & tamen ab ea ſententia provocatum fuit , cumque non

ſecundùm leges appellatum eſſet, ſententiam executioni dare poſſe aſſeritur. Reſp. non dicitur in *d. l.* 27. judicem expreſsè condemnaſſe in uſurarum uſuras: ac proinde eam commodè explicuerimus de caſu, quo ſententia tacitè tantùm continebat condemnationem ad uſurarum uſuras, dum fortè actor uſurarum uſuras tanquam uſuras ſortis petiit, & in eas judex condemnavit. (11.)

2. *Moribus.* Appellationis remedio hodie *opus eſt, licèt ſententia ſit ipſo jure nulla, niſi nullitas procedat ex defectu juriſdictionis, aut citationis aut mandati procuratorii: & judex appellationis de nullitate cognoſcit.

* Adde *ex Cod. libr.* 7. *tit.* 64. *quando provoc. non eſt neceſſe.*

Tit. IX.

An per alium cauſæ appellationis reddi poſſint.

1. Regula generalis circa reddendas appellationum cauſas eſt; quòd quæ lites per alium agi poſſunt in prima inſtantia, eæ quoque per alium in judicio appellationis poſſint ventilari: & contra, quæ in prima inſtantia procuratorem non admittunt, eundem nec in appellatione recipiant. *l.* 1. *ff. h. t.*

Tit. X.

Si Tutor vel Curator Magiſtratus creatus appellaverit.

1. Si ad tutelam vel alia munera publica electi appellaverint, ſine juſta excuſationis cauſa, omne damnum, quod pendente appellatione pupillus aut minor aut reſpublica ſenſit ob neglectam adminiſtrationem, reparare tenentur. *l.* 1. 2. *ff. h. t.*

Tit. XI.

Eum qui appellavit in Provincia defendi.

1. QUi appellationis cauſâ ad judicem ſuperiorem proficiſcitur, cum reipublicæ cauſâ non abſit, domi interim in aliis cauſis ſe tenetur defendere. *l.* 1. 2. *ff. h. t.*

Tit. XII.

Apud eum, à quo appellatur, aliam cauſam agere compellendum.

1. IS qui appellavit in una cauſa, judicem illum, à quo provocavit, recuſare nequit in alia cauſa ſeu lite tanquam ſuſpectum & offenſum, niſi aliæ juſtæ recuſandi cauſæ accedant. *l. un. ff. h. t.*

Tit. XIII.

Si pendente appellatione mors intervenerit.

1. HÆres appellantis poteſt, ſi velit, appellationem perſequi, ſed invitus non cogitur, niſi alterius interſit. *l. un. ff. h. t.* quod & in criminalibus cauſis obtinet; ubi, ſi alicujus bona expreſsè per ſententiam publicata fuerint, ac appellatione pendente condemnatus moriatur, bona ejus fiſco ceſſura ſunt, niſi hæres juſtas dederit appellationis cauſas: aliter quàm obtineret, ſi ſententia non comprehenderet publicationis mentionem; licèt enim ex juris forte diſpoſitione deberet ſibi locum vindicare publicatio, tamen reo mortuo ſublata eſt & de bonis publicandis quæſtio. *l.* 3. *C. h. t.* (1, 11.)

Tit. XIV.

De Jure Fiſci.

1. Fiſci varia ſunt privilegia ſparſim in jure noſtro occurrentia: etenim legalem multis in caſibus habet hypothecam: uſuras ex omni contractu percipit, non dat: petit ſibi à reo inſtrumenta edi: debitorem ſuum ac debitoris debitorem ante tempus convenire poteſt ex cauſa primipili *l. 1. C. de condict. ex lege.* relicta indignis ac vacantia bona occupat: res ſibi cum alio communes in totum vendit. *l. 2. C. de commun. rer. alien.* evictionis nomine nunquam duplum præſtat. *l. 5. ff. h. t.* conductores vectigalium aliquando invitos in conductione retinet. *l. 11. §. ult. ff. de publican. & vectig.* [1, 11.]

* Adde *ex Cod. libr. 10. tit. 1. de jure fiſci & tit. ſeqq.*

Tit. XV.

De Captivis & Poſtliminio.

1. In bello capta cedunt hoſtibus capientibus; ſed reverſa gaudent jure poſtliminii; ſi quidem immobilia ſint, non item ſi mobilia, niſi ſit navis oneraria aut equus freni patiens. *l. 2. ff. h. t.* Quin & ipſi cives capti iterumque reverſi hoc jure poſtliminii ſtatum priſtinum recipiunt, niſi armis poſitis ſeſe turpiter hoſtibus dederint. *l. 17. ff. h. t.* [1, 11.]

2. *Moribus.* Navis per hoſtes capta, ſi iis iterum erepta ſit, triens navigii & rerum eo contentarum dominis priſtinis jure poſtliminii cedit, bes verò recuperanti pro præmio acquiritur, quod tamen poſtea variè mutatum. (IV.)

* Adde *ex Cod. lib. 9. tit. 51. de poſtliminio reverſ. &c.*

Tit. XVI.

De Re Militari.

1. Militibus varia ſunt data privilegia favore militiæ reſpectu teſtamentorum, acquiſitionis, ignorantiæ juris, &c. ſed ſi deliquerint, delicto præſertim militari, deſerendo, transfugiendo, vallum tranſiliendo, duces in prælio deſerendo, aliiſque multis modis, duriùs etiam puniuntur à ducibus ſuis militumque magiſtris. *l. 1. C. de off. magiſtri milit. l. 1 C. de exhib. & tranſmitt. reis.* de quibus omnibus prolixè egi tract. de jure militari.

Tit. XVII.

De Caſtrenſi Peculio.

1. Caſtrenſe peculium eſt quod miles occaſione militiæ armatæ acquiſivit, ſive mobile ſive immobile. *l.* 1. *C. h. t.* de quo milites quomodocunque diſponere poſſe, alibi dictum eſt.

Tit. XVIII.

De Veteranis.

1. Veterani ſunt, qui exacto legitimo militiæ tempore honeſti miſſi ſunt, quibus nonnulla conceſſa privilegia. Vide *l. 1. 5. ff. h. t.* Miſſionem autem triplicem eſſe, honeſtam, cauſariam & ignominioſam, patet ex *l.* 26. *ff. de teſtament. militis.*

LIBER L.

TIT. I.

Ad Municipalem & de Incolis.

1. MUnicipes ſunt civitatis cujuſque cives honorum & munerum civilium participes. Fiunt autem municipes vel adoptione, vel manumiſſione, vel nativitate, patris non matris ſequentes conditionem, niſi ſpeciali privilegio materna origo munita ſit. *l. 1. ff. h. t. l. 3. C. de municip.* Per incolatum quoque quis particeps fieri poteſt munerum onerumque municipalium, dum in aliquo municipio ſedem rerum ac fortunarum ſuarum figit animo non diſcedendi, niſi aliud avocet. *l. 7. C. de incolis. l. 29. ff. h. t.* ſive ſedem conſtituerit in ipſo municipio, ſive extra municipium in ejus finibus. *l. 232. §. 2. ff. de verb. ſign. arg. l. 30. ff. h. t.* Obſt. *l. 35. ff. h. t. l. 3. C. de incolis.* Reſp. fortè pro incolis non habendi, qui extra municipium in ejus finibus degunt, reſpectu illorum honorum ac munerum quæ oppidanorum propria ſunt. (I, II, III.)

2. Mutato autem domicilio, jus quidem incolatus mutatur, at non jus originis. *l. 4. 5. C. de municip.* eo excepto, quod mulier alteri nupta in alio territorio amittit jus originis reſpectu onerum perſonalium. *l. ult. §. 3. ff. h. t.* non item onerum patrimonialium intuitu. *l. 1. C. de mulier. in quo loco munera agnoſc.*

3. Cæterùm municipes ſua habent peculiaria jura municipalia, ſecundùm quæ reguntur, modò illa Principum conſtitutionibus non repugnent. *l. 3. §. 5. ff. de ſepulchro violat.* [1.]

* Adde *ex Cod. libr. 10. tit. 38. de municip. & originariis tit. 39. de incolis. &c.*

Tit. II.

De Decurionibus.

1. DEcuriones ſunt magiſtratus municipiorum & ſuæ curiæ quaſi ſenatores. Hi pecunias publicas tractabant, annonæ, tributorum, cenſuum, operum publicorum, legationum, aliorumque ſimilium curam habebant, omnia denique publica civitatum negotia expediebant; ac varia ipſis fuêre conceſſa privilegia.

* Adde *ex Cod. libr. 10. tit. 31. de decurionibus, &c.*

Tit. III.

De albo ſcribendo.

1. NOmina decurionum in tabulam rediguntur, eo ordine, quo id præcepit lex municipalis, vel eâ ceſſante, ita, ut primo loco ſcribantur qui majoribus dignitatibus ſancti fuerunt, & inter eos priore loco antiquiſſimus quiſque: ſecundùm quem ordinem etiam ſententias dicunt. *l. 1. pr. & §. ff. h. t.*

Tit. IV.

De muneribus & honoribus.

1. MUnus eſt, quod neceſſariò obimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi poteſtatem habet. *l. 214. ff. de verb. ſign.* eſtque triplex, perſonale, patrimoniale, & mixtum. *Perſonale* eſt, quod nihil præter induſtriam perſonæ requirit, ut tutela, cura, &c. *Patrimoniale* dicitur, quod deſiderat impenſam patrimonii, veluti tributorum, angariarum, &c. *Mixtum* eſt, quod ſimul induſtriam ſeu laborem & impenſam patrimonii continet. Vide *l. ult. pr. & §. 18, 26. ff. h. t.* [I, II, III.]

* Adde *ex Cod. libr.* 10. *tit.* 40. *de muner. & honor. tit.* 41. *de muneribus patrimon. & tit. ſeqq.*

Tit. V.

De vacatione & excuſatione munerum.

1. MUnera publica quiſque invitus tenetur ſuſcipere ad quæ etiam cogi poteſt; niſi habeat vacationem aut juſtam cauſam ſe excuſandi; qualis eſt inopia, ſenectus, morbus, liberorum numerus & ſimilia: quæ tamen à perſonalibus tantùm muneribus excuſant, non item à patrimonialibus. *l. 10. ff. h. t.* niſi tamen ſexdecim filios quis habeat. *l. 5. §. 2. ff. de jure immunitat.* (I, II, III, IV, V.)

* Adde *ex Cod. libr.* 10. *tit.* 44. *& plures ſeqq.*

Tit. VI.

De Jure Immunitatis.

1. COnceſſio immunitatis à muneribus ſtrictam recipit interpretationem: quâ de causâ ſi perſonæ data ſit immunitas, ad hæredes non tranſit. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* collegio artificum conceſſa ſolis competit artificibus. *l. 5. §. 12. ff. h. t.* (I, II, III, IV, V, VI.)

Tit. VII.

De Legationibus.

1. LEgati hìc ſunt, qui eum mandatis à municipio ad Principem mittuntur. Hi, ſi legationis tempore conveniantur, jus revocandi domum habent. *l. 3. §. 3. ff. de judic.* adde *tit. de judiciis.* Si quos autem legationis causâ ſumptus fecerint, ex publico recipiunt. *l. 10. §. 1. ff. h. t.* [I, II, III, IV, V.]

* **Adde *ex Cod. libr.* 10. *tit.* 63. *de legationib.***

TIT.

Tit. VIII.

De adminiſtratione rerum ad civitates pertinentium.

1. QUi adminiſtrant res ad civitates pertinentes, erogare tenentur pecuniam in eos uſus, in quos eſt deſtinata; & totius adminiſtrationis rationem reddere. *l. 1. 2. ff. h. t.* Quòd ſi in adminiſtrando culpam commiſerint, in ſimplum; ſin dolum, in duplum obligantur ipſi, non hæredes eorum. *l. ult.* § 4. *ff. h. t.* primò autem ille, qui adminiſtravit excutitur, ejuſque fidejuſſores; poſtea demum collegæ. *l. 3. §. 8. & ſeqq. ff. h. t.* (I, II, III, IV.)

Tit. IX.

De Decretis ab ordine faciendis.

1. DEcreta condi poſſunt de variis negotiis ab ordine decurionum, modo non fuerint ambitioſa. *l. 1. ff. h. t.* & duæ partes tertiæ totius ordinis præſentes ſint: quicquid enim tunc major pars præſentium decreverit, id omnes cenſentur decreviſſe. *l. 2. 3. ff. h. t. l. 4. 5. ff. quod cujuſque univerſ.*

Tit. X.

De operibus publicis.

1. OPera publica quiſque poteſt facere ſuis ſumptibus, etiam ſine permiſſu Principis ad publicam utilitatem, modò ſeditionis materiam non præbeant, nec ad alterius fiant æmulationem. *l. 3. ff. h. t.* Operibus autem publicis ſolius Principis nomen inſcribi poteſt, & ejus qui ſuo ſumptu ea fieri curavit. *l. 2. l. ult. §. 1. ff. h. t.* [I, II.]

* Adde *ex Cod. libr. 8. tit. 12. de operibus publicis.*

Tit. XI.

De Nundinis.

1. NUndinæ aliæ minores ſunt, aliæ majores ſtatis anni temporibus redeuntes; quæ privilegiatæ ſunt, ſic ut illis durantibus nemo pro anteriori debito conveniri vel detineri poſſit *l. 1. C. h. t.* Amittitur autem nundinarum majorum jus non uſu decennii. *l. 1. ff. h. t.* (1, v.)

* Adde *ex Cod. libr. 4. tit.* 60. *de nundinis.*

Tit. XII.

De Pollicitationibus.

1. POllicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio. *l. 3. ff. h. t.* ex qua non datur actio, niſi civitati quid ob honorem decretum vel decernendum, vel ob aliam juſtam cauſam promiſſum ſit. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* (1, 11, 111.)

Tit. XIII.

De extraordinariis cognitionibus.

1. DE quibuſdam negotiis non ordinariâ actione contenditur, ſed extra ordinem jus dicitur per prætorem aut præſidem, veluti de advocatorum, medicorum, obſtetricum, procuratorum aliorumque ſalariis. *l. 1. §. 1. & ſeqq. ff. h. t. l. 7. ff. mandati* adde *l. 1. §. 4. 5. 10. 12. ff. h. t.* [1.]

Tit. XIV.

De Proxeneticis.

1. PRoxeneta eſt, qui alicujus negotii inter duos pluresve gerendi causâ operam accommodat; & proxeneticum exigit, ſeu mercedem pro eo, quod tanquam mediator intervenerit. *l. 1. 3. ff. h. t.* Si quid dolo fecerit, actione doli tenetur. *l. 2. ff. h. t.* (1, 11.)

Tit. XV.

De Cenſibus.

1. CEnſus eſt deſcriptio ſolennis civium & bonorum ad eos pertinentium. *l. 3. 4. ff. h. t.* Quòd ſi pro certa præſtatione nomine perſonarum aut rerum perſolvenda accipiatur, ſingulare eſt, quod fundus pro cenſu jure pignoris obligatus ſit. *l. 1. C. ſi propt. publ. tit. C. ſine cenſu & reliquis fund. compar. non poſſe.* quandoque unus ex pluribus poſſeſſoribus prædij, unde cenſus debetur, in ſolidum cenſûs nomine poſſit conveniri. *l. 5. ff. h. t.* [1]

Tit. XVI.

De Verborum Significationibus.

Tit. XVII.

De Regulis Juris.

1. CUm inſtituti ratio non permittat prolixiorem ad ſingulas horum titulorum leges commentarium ſubjungere, Lectorem benignum ad eos, qui ex profeſſo harum legum explicationem reliquerunt, remitto,

FINIS.

DIF-

DIFFERENTIÆ
JURIS CIVILIS
ET
CANONICI.

IUs Canonicum, ad exemplum juris Romani autoritate Pontificiâ compoſitum vel comprobatum, in non nullis à jure civili divortium feciſſe, nullus eſt vel primis initiatus juriſprudentiæ elementis, quem lateat. Quod ipſum partim ob neglectas nimias Romanorum ſubtilitates, & reductam æquiorem juris gentium ſimplicatem, partim ob intellectas perperam Juſtiniani leges & ratiocinia non rectè inſtituta contigiſſe, ſequentibus poſitionibus & oppoſitis inter ſe juris utriuſque deciſionibus innoteſcet abunde.

Ac primò quidem in ipſis textibus allegandis alia jure civili, alia canonico, fuit obſervata methodus: cum enim decretum tres partes contineat, quarum prima diſtinctiones & canones continet; altera cauſas, quæſtiones & canones; tertia, de conſecratione tractans, iterum cano-

nes

nes & diſtinctiones, ex prima quidem parte numerus diſtinctionis & canonis vel canonis principium proponitur; ex altera numerus cauſæ & quæſtionis, atque inſuper canonis ipſius numerus aut verba initialia: tertia vero ex parte diſtinctionis & canonis numerus, aut prima canonis verba citantur, addito, *de conſecratione*, ut conſtet utrùm primæ an tertiæ partis decreti diſtinctio ſit. His autem tribus decreti partibus ſubjuncti inveniuntur in corpore canonico canones pœnitentiales, &, ut fertur, Apoſtolici: qui ſimpliciter expreſſo numero aut verbis primis allegantur. Decretales, quinque libris titulos plurimos continentibus conſtantes, citari ſolent propoſitâ tituli inſcriptione & numero vel principio capituli, adjectâ voculâ *extra*, vel ſigno tali x. eo fere modo, quo & ex Pandectis ac Codice leges producuntur. Quòd ſi ex ſexto decretalium volumine, quinque itidem libros continente, quid allegandum ſit, id eâdem fit ratione, quam in primis quinque decretalium liberis ſervari dictum eſt; eo excepto, quod pro *extra*, vel figura x. exprimitur, *in ſexto* vel *in* 6. Eademque etiam Clementinarum citandarum methodus eſt; ut tamen loco voculæ *extra* vel *in ſexto* ſubjungatur *in Clementinis*: quamvis & alias loco capituli ponatur ſimplicius *Clementina* principium aut numerus cum tituli inſcriptione. Extravagantes quod attinet, ſi ſint Johannis 22. uno libro quatuordecim titulos comprehendente abſolutæ, per tituli inſcriptionem & numerum vel initium extravagantis proponuntur: ſin extravagantes ſint *communes*, quinque itidem in libros redactæ, expreſſo titulo & capituli numero aut principio allegantur, addito *in extravag.* vel etiam loco capituli ponitur *extravagantis* principium aut numerus unà cum tituli inſcriptione.

Reliquas quod ſpectat in rebus ipſis differentias, illas eo ordine commodiſſimè duxi proponendas, quo unaquæque materia in Pandectis invenitur tractata.

I. Obtinuit autem ex legibus, juriſdictionem etiam judici delegato prorogari poſſe. *arg. l.* 16. *ff. de juriſdict*, junct. *l.* 1. *ff. de judiciis*.

Canones verò dictant, delegato judici nullam poſſe fieri juriſdictionis prorogationem, *c.* 40. *extra de offic. & poteſt. jud. de leg.*

II. *Lex.*

II. *Lex.* Clericus potuit laïco judici prorogare juriſdictionem per contractum. *l. pen. C. de pactis.*

Can. Clerici nequeunt judici laïco juriſdictionem prorogare, ſed tantum eccleſiaſtico, conſentiente Epiſcopo. *c. ſignificaſti* 18. *extra de foro competent. c. non liceat.* 14. *cauſ. 3. qu.* 6.

III. *Lex.* Pacta, quibus renunciatur ſucceſſioni alicujus adhuc viventis, invalida ſunt, licèt jusjurandum acceſſerit, veluti, ſi filia inſtrumento dotali profiteatur, ſe dote contentam fore, nec de hæreditate patris ultra quæſtionem moturam. *l. 3. C. de collation. l. ult. ff. de ſuis & legit. hæred.* junct. *l. 5. C. de legib. l. 7. §. 16. ff. de pactis.*

Can. Pactum tale, ſi jurejurando firmatum ſit, ſervandum eſt. *c. quamvis* 2. *de pactis in* 6.

IV. *Lex.* Major annis 17. licèt minor ſit annis 25. poteſt eſſe procurator ad lites. *§. 5. Inſt. quib. ex cauſ. manumitt. non licet.*

Can. Prohibetur eſſe procurator ad lites qui eſt minor annis 25. *c. qui generaliter* 5. *in fin. de procurator in* 6.

V. *Lex.* Mulier nequit eſſe procuratrix ad lites. *l. 2. ff. de reg. jur. l. 18. C. de procurat.*

Can. Fœmina procuratoris officio fungi poteſt. *c. cum dilecta* 4. *in med. verb* abbatiſſam procuratorem *extra. de confirmat. utili & inutili.*

VI. *Lex.* Jusjurandum calumniæ in litis primordio præſtandum eſt. *l. 2. C. de jurejur. propt. calum. dando.*

Can. In quavis judicii parte poteſt exigi jusjurandum calumniæ. *c. appellationis.* 2. *de juramento calumn. in* 6.

VII. *Lex.* Uno ex pluribus arbitris abſente, reliqui judicare nequeunt. *l. 17. §. ult. l. 18. ff. de recept. qui arbitr. recep.*

Can. Valet ſententia à majore parte arbitrorum præſente lata, ſi abſentes legitimè vocati fuerint. *c. ult. de arbitris in* 6.

VIII. *Lex.* In mulierem tanquam arbitram compromitti nequit, nec mulier judex eſſe poteſt. *l. ult. C. de recept. arbitr. l. 2. ff. de reg. jur.*

Can. Compromitti poteſt in fœminam, & illa judicis officio fungi poteſt, ſi modò juriſdictionem habeat. *c. dilecti.* 4. *extra de arbitris.*

IX. *Lex.* Judex, qui competens eſt in negotio principali,

li, etiam judicare poteſt de negotio incidente, licèt id alioquin non ſpectaret ad ejus juriſdictionem. *l. 3. C. de judic.*

Can. Judex laicus, competens in negotio principali, non poteſt judicare de negotio incidente, quod ad forum pertinet Eccleſiaſticum; ſed illud eò tenetur remittere, atque interim à judicando ſuperſedere. *c. tuam. 3. extra de ordin. cognition.*

X. *Lex.* Si Judex dolo & per ſordes malè judicaverit, graviùs coërcetur. Vide *auth. novo jure & l. ult. C. de pœn. jud. qui malè judicav.*

Can Per ſordes aut gratiam malè judicans integro anno ab officio ſuſpenditur, & parti læſæ ad litis æſtimationem tenetur. *c. de ſent. & re judic. in 6.*

XI. *Lex.* Publiciana actio datur ei, qui rem juſto titulo & bonâ fide nactus, poſſeſſionem ejus amiſit, antequam uſucepiſſet. §. 4. *Inſtit. de action. tot. tit. ff. de Publician. in rem act.*

Can. Actioni Publicianæ locus eſſe nequit, quia Jus Canonicum non admittit uſucapionis implementum, niſi toto tempore uſucapiens fuerit in in bona fide, ùt infra dicetur.

XII. *Lex.* Jusjurandum ſequitur naturam actûs, cui apponitur, nec negotio firmitatem addit. *l. 5. in fin. C. de legib. l. 7. §. 16. ff. de pactis.*

Can. Jusjurandum ſervandum eſt, quatenus ſervari poteſt ſine animæ detrimento, ſic ut multa ſimpliciter geſta firmitate careant, quæ jurejurando roborata effectum ſortiri debent. *c. ſi verò 8. cùm contingat. 28. extra de jurejur. c. contingit. 1. de jurejurand. in 6.* adde *c. 2. de pactis. in 6. c. pen. extra. de pign. & hypothec*

XIII. *Lex.* Mandatum morte mandantis extinguitur. §. 10. *Inſt. mandati.*

Can. Si Pontifex legatum à latere mandato inſtruxerit, non evaneſcit illud morte Pontificis. *c. legatos. 2. in fin. de off. legati. in 6.*

XIV. *Lex.* Commiſſoria lex pignoribus adjecta nihil operatur. *l. ult. C. de pactis pignor.*

Can. Si pactum commiſſorium pignori adjectum jurejurando confirmatum ſit, ei ſtandum eſt. arg. *c. pen. extra de pignoribus.*

XV. *Lex.* Pactum antichreſios Jure Civili valet. *l. 17. C. de uſuris.*

Can. Improbatum eſt tale pactum, ut incidens in labem uſurariam. *C.* 1. *& C.* 8. *extra uſur.*

XVI. *Lex.* Uſuræ Jure quidem Civili ſunt licitæ, ſi modum legitimum non excedant. *l.* 26. *C. de uſuris.*

Can. At Jure Pontificio penitus improbatæ ſunt. *c.* 3. 5. 11. *& tot. tit. extra de uſuris.*

XVII. *Lex.* Sola nota ſponſalia de futuro, nulla de præſenti. *l.* 1. 2. *ff. de ſponſalibus.*

Can. Sponſalia alia ſunt de præſenti, contracta per verba præſentis temporis, alia de futuro. *c. pen. extra de ſponſal. & matrimon.*

XVIII. *Lex.* Conſenſus eorum, in quorum poteſtate ſunt, qui nuptias contrahunt, adeò eſt neceſſarius, ut & præcedere debeat, ac ſine eo nuptiæ ipſo jure nullæ ſint. *pr. Inſt. de nuptiis. l.* 2. *ff. de ritu nupt.*

Can. Conſenſus parentum magis honeſtatis quàm neceſſitatis eſt. *c. tum cauſa.* 6. *extra de raptorib. incendiar. c. ſufficiat.* 2. *cauſ.* 27. *qu.* 2.

XIX. *Lex.* Nuptiæ etiam privatim ſolo conſenſu ſine ſolennitate contrahi poſſunt. *l.* 22. *C. de nupt.* arg. *l.* 24. *ff. de ritu nupt.*

Can. Tantùm publicè nuptias contrahere permiſſum eſt. *c.* 1. 2. 3. 6. *& paſſim cauſ.* 30 *qu.* 5.

XX. *Lex.* Soli puberes, maſculi 14. fœminæ 12. annorum nuptias contrahunt, nec malitia ætatem ſupplet. *pr. Inſtit. de nupt.* junct. *pr. Inſt. quib. mod. tutel. fin. l.* 9. *ff. de ſponſal.*

Can. Malitia & habilitas generandi defectum ætatis ſupplet, ſic ut ante annum 12. vel 14. impletum nuptiæ eſſe poſſint. *c. puberes.* 3. *extra de deſponſat. impub.*

XXI. *Lex.* Cum ſervis aut ancillis non juſtæ nuptiæ, ſed conturbernia contrahuntur *l.* 14. §. 3. *ff. de ritu nupt.* junct. *pr. Inſt. de nupt. l.* 3. *C. de inceſt. & inutil. nupt.*

Can. Servorum æquè ac liberorum hominum ſunt matrimonia. *c.* 1. *extra de conjugio ſervorum.*

XXII. *Lex.* Inter raptorem & raptam, adulterum & adulteram, non ſubſiſtit matrimonium. *l. un. C. de raptu virg. l.* 27. *C. ad Leg. Jul. de adulter. l.* 13. *ff. de his quæ ut indignis.*

Can. Nuptiæ tales non ſunt improbatæ. *c. fin. extra de raptoribus. tot. tit. extra de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulter.*

XXIII. *Lex.* Gradus cognationis in linea collaterali computantur, obſervatâ hâc regulâ: *Quot ſunt generationes, tot ſunt gradus.* Vel, quod eodem redit: *quot ſunt perſonæ demto ſtipite, tot ſunt gradus*, ſive linea æqualis ſit ſive inæqualis. §. 7. *Inſt. de grad. cognat.* arg. *l.* 1. 2. 3 *ff. de gradib. & affin.*

Can. Si illi, de quibus quæritur, ſint in linea collaterali æquali, regula viget hujuſmodi: *Quot gradibus diſtant à communi ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe.* Sin in linea inæquali conſtituti ſint, regula recepta eſt: *quot gradibus remotior diſtat à communi ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe c. ult. extra. de conſanguin. & affinit. c. ad ſedem.* 2. *c. parentela* 4. *cauſ.* 35. *qu.* 5.

XXIV. *Lex.* Nuptiæ in quarto gradu cognationis ſubſiſtunt, quoties cognati ſibi invicem non ſunt parentum & liberorum loco, computatione factâ ex præceptis Juris Civilis. §. 4. *Inſt. de nuptiis.*

Can. Matrimonium etiam in quarto gradu cognationis eſt prohibitum, computu inito ex regula Juris Canonici, ſic ut nec inter fratrum duorum pronepotes & proneptes conſiſtat. *c. non debet.* 8. *c. ult. extra. de conſanguin. & affinit.* Idemque obtinet in quarto quaſi gradu affinitatis; & hoc in primo, non item in ſecundo aut tertio affinitatis genere. *c.* 1. *c. pen. extra de conſanguin. & affinit.*

XXV. *Lex.* Nuptiæ inter vitricum & privigni viduam ſunt illicitæ. *l.* 15. *ff. de ritu nupt.*

Can. Tales nuptiæ probatæ ſunt. *c. pen. extra. de conſanguin. & affinit.*

XXVI. *Lex.* Matrimonium reſpectu cognationis ſpiritualis tantùm eſt prohibitum inter ſuſceptorem & ſuſceptam de fonte baptiſmatis. *l.* 26. *C. de nuptiis.*

Can. Latiùs extenſa eſt nuptiarum prohibitio ob vinculum cognationis ſpiritualis. Vide *tot. tit. extra. de cognat. ſpirituali.*

XXVII. *Lex.* Mulier intra annum luctûs iterato nubens infamis eſt. *l.* 1. 2. *C. de ſecund. nupt. l.* 1. *ff. de his qui not. infam.*

Can. Ceſſat in tali muliere pœna infamiæ. *c. pen. & ult. extra. de ſecund. nupt.*

XXVIII. *Lex.* Matrimonium poteſt eſſe ſinè dote. arg. §. 3. *Inſt. de donation.*

Can. Nullum eſt ſine dote matrimonium. *c. nullum. 6. cauſ. 30. qu. 5.*

XXIX. *Lex.* Ipſo jure nulla eſt alienatio fundi dotalis per maritum facta, licèt mulier conſentiens jurejurando conſenſum confirmaverit. *pr. Inſt. quib. alien. licet vel non tot. tit. ff. & C. de fundo dot. junct. l. 5. C. de legibus.*

Can. Subſiſtit talis fundi dotalis alienatio. *c. licèt mulieres, 2. de jurejurand. in 6.*

XXX. *Lex.* Per divortium ſolvitur totale vinculum matrimonii; ſic ut innocenti liceat, vivo etiamnum nocente, ad alias tranſire nuptias. *l. 8. Cod. de repud. Nov. 117. c. 8. 9*

Can. Non dirimitur divortio ipſum conjugii vinculum, nec inſonti licet aliud inire matrimonium, ſonte ſuperſtite; ſed tantùm fit ſeparatio thori & menſæ. Vide *c. 1. 2. & tot. tit. extra de divortiis.*

XXXI. *Lex.* Inceſtuoſi liberi à parentibus non ſunt alendi. *auth. ex complexu. C. de inceſt. nupt.*

Can. Alimenta talibus per parentes præſtanda ſunt. *c. cùm haberet. 5. in fin. extra de eo qui duxit in matrim. quam polluit. per adult.*

XXXII. *Lex.* Concubinatus fuit Romanis legibus permiſſus ſeu toleratus. *l. 3. §. ult. ff. de concubinis.*

4. *Can.* Concubinam alere prohibitum eſt. *c. ſicut. 4. extra de cohabitat. cleric. c. nemo 4. c. dicat aliquis. 9. cauſ. 23. qu. 4.*

XXXIII. *Lex.* Ad teſtamenti ſolennia ſeptem teſtes deſiderantur. *§. 3. Inſt. de teſtam. ordin.*

Can. Duo vel tres teſtes ſufficiunt cum loci Presbytero. *c. cùm eſſes. 10. c. relatum 11. extra de teſtam.* imò in teſtamento ad pias cauſas duo teſtes ſoli ſufficiunt. *d. c. cum eſſes.*

XXXIV. *Lex* Nemo pro alio poteſt teſtamentum facere. *l. 32. ff. de hæred. inſtit.*

Can. Pro alio de bonis ejus teſtari ipſo conſentiente, præſertim ad pias cauſas, non eſt prohibitum. *c. cum tibi. 13. extra de teſtamentis.*

XXXV. *Lex.* Filiusfamilias non poteſt de adventitiis teſtari. *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

Can. Patre conſentiente filiusf. ad pias cauſas teſtari poteſt. *c. licet. 4. de ſepulturis in 6.*

XXXVI.

XXXVI. *Lex.* Subſtitutio pupillaris à pagano facta ultra tempus pubertatis nihil tamen poſt pubertatem operatur. *l. 14. ff. de vulg. & pupill ſubſtit.*

Can. Talis ſubſtitutio poſt pubertatem ſuſtinetur jure fideicommiſſi. *c. Raynutius 36. extra de teſtamentis.*

XXXVII *Lex.* Filius fideicommiſſo gravatus tantùm retinet legitimam, non duas quartas, puta legitimam & Trebellianicam. *arg l. 6. ad Senatuſconſ. Trebell.*

Can. Filius ita gravatus duas poteſt quartas, adeóque dimidiam partem detrahere. *c. Raynutius. 16. c. Raynaldus. 18. extra de teſtament.*

XXXVIII. *Lex.* Qui non implet voluntatem defuncti intra annum, à Judice monitus, ſi quidem extraneus ſit, omni privatur ſucceſſione, ſin filius, legitimam retinet, reliquis relictis indignus judicatur. *Nov. 1. c. 1. auth. hoc amplius C. de fideicommiſſis.*

Can. Filius non implens defuncti deſiderium ne legitimam quidem videtur poſſe retinere. *c. licet 6. extra de voto & voti redempt. c. ſi hæredes 6. extra. de teſtamentis. c. Sylveſter 13. cauſ. 11. q. 1.*

XXXIX. *Lex.* Donatio ob liberos poſt donationem ſuſceptos revocari nequit, niſi in caſu ſingulari, quo patronus liberto ſuo donavit. *§. 2 Inſt. de donat. juncta. l. 8. C. de revoc. donat.*

Can. Donatio ob talem cauſam revocari poteſt. *c. ult. cauſ 17. qu. 4.*

XL. *Lex.* Clericis nuſpiam interdicta invenitur venatio, ſed ea cuivis patet.

Can. Venatio clericis interdicta eſt. *tot. tit. extra de clerico venatore.*

XLI. *Lex.* Uſucapionem ab initio bonâ fide inchoatam non interrumpit ſuperveniens mala fides. *l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. 4. §. 18. ff. de uſurp. & uſuc.*

Can. Bona fides ab initio uſucapionis uſque ad finem ſeu implementum ejus adeſſe debet. *c. ult. extra de præſcript.* Cui conſequens eſt, etiam bonam fidem defuncti non prodeſſe hæredi in mala fide conſtituto ad implendam uſucapionem.

XLII. *Lex.* Si cum procuratore ſit facta litis conteſtatio, ſententia in procuratorem, non in dominum ferenda eſt. *l. 1. C. de ſentent. & interlocut.*

Can. Sententia tali caſu in dominum ferri poteſt. *c. ſuſcitata 6 extra de in integr. reſtitut.*

XLIII. *Lex.* Interdictum de vi & vi armata nec contra tertios bonæ fidei poſſeſſores datur, nec ad res mobiles pertinet. *l.* 1. §. 6. 7. *l.* 7. *ff. de vi & vi armat.*

Can. Pinguiora recuperandæ poſſeſſionis remedia ſunt propoſita: etenim vel recurri poteſt ad remedium poſſeſſorium ex *c. ſæpe contingit. extra de reſtit. ſpoliator.* Quo & contra hæredes ſpoliantis & contra tertios poſſeſſores, qui rem ſcienter à ſpoliante acceperunt, ſpoliatus experiri poteſt: vel ampliſſimum ſuppetit remedium ex *c. redintegranda.* 3. *cauſ.* 3. *qu.* 1. quod generaliter ad res mobiles vel immobiles à quocunque bonâ vel malâ fide poſſeſſas recuperandas ſpoliato datur.

XLIV. *Lex.* Interdicto *uti poſſidetis, & utrubi*, vincit ille, qui tempore litis conteſtatæ non vi, clam, vel precario ab adverſario poſſidet. §. 4. *Inſt. interdictis.*

Can. In his interdictis is vincit, qui antiquiorem & juſtiorem poſſeſſionem probare poteſt. *c. licet. cauſam. extra. de probation.*

XLV. *Lex.* Clericus nuſpiam prohibetur fidejubere.

Can. Clericis ſub pœna depoſitionis interdicta eſt fidejuſſio. *c.* 1. *extra. de fidejuſſor.* adde *c. pen. eod. tit.*

XLVI. *Lex.* Hæres ex delicto defuncti non tenetur, niſi aliquid ex dolo defuncti ad ipſum pervenerit, vel lis cum defuncto ſit conteſtata. §. 1. *Inſt. de perpet. & temper. action.*

Can. Hæres ex delicto defuncti ſemper tenetur, quatenus id patiuntur vires hæreditariæ. *c. in literis.* 5. *extra. de raptoribus. c. ult. extra. de ſepulturis. c. tua nos* 9. *extra. de uſuris.*

XLVII. *Lex.* Famoſi libelli pœna capitalis eſt. *l. un. C. de famoſ. libell.*

Can. Pœna componentis aut diſſeminantis libellos famoſos, eſt flagellatio, etiam quandoque excommunicatio, ſi non probentur crimina libello objecta. *c.* 1. 2. 3. *cauſ.* 5. *qu.* 1.

XLVIII. *Lex.* Crimina publica graviora, adulterii, raptûs, homicidii, parricidii, ſortilegii, incendii, & alia, capitalia ſunt. §. 4. *& ſeqq. inſt. de publ. judiciis.*

Can. Pœnæ horum criminum leviores ſunt, puta, pœnitentia,

nitentia, ingreſſus in monaſterium, degradatio, peregrinatio, excommunicatio, aliæque coërcitiones Eccleſiaſticæ. *c. admonere* 8. *c. hoc ipſum* 11. *c. latorem.* 15. *cauſ.* 33. *qu.* 2. *c. reos* 7. *cauſ* 23. *qu.* 5. *c. inter alia.* 6. *extra. de immunit. Eccleſiar. c.* 1. 2. 3. *extra de his qui filios occiderunt.*

XLIX. *Lex.* Adulterium non eſt inter ligatum & ſolutam. Nec cum ſponſa aliena. arg. *l.* 225. *ff. de verb. ſignif. l.* 6. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. de adulter.*

Can. Cum ſponſa aliena de præſenti adulterium committitur. arg. *c.* 2. *ult. extra de ſponſal. duorum.* Ut &, ſi ligatus ſe jungat ſolutæ. *c. dixit.* 3. *c. nemo* 4. *cauſ.* 32. *qu.* 4. *c. non mœchaberis.* 15. *cauſ.* 32. 4. 5.

L. *Lex.* Pœna ſtupri eſt publicatio dimidiæ partis bonorum in honeſtioribus, in humilioribus corporis coërcitio cum relegatione. §. 4. *Inſt. de publ. judic.*

Can. Stuprator tenetur ſtupratam dotare, & ſimul ducere, ſi pater puellæ conſentiat in nuptias. Quòd ſi ſtupratam ducere nolit, corporaliter caſtigatus excommunicatur, & in monaſterium in perpetuum detruditur. *c.* 1. 2. *extra de adulter. & ſtupro* adde *c.* 3. & 4. *cauſ.* 36. *qu.* 2.

LI. *Lex.* Raptus etiam in puellam volentem, ac ſponſam propriam, committi poteſt. *l. un. pr.* & §. 2. *C. de raptu virgin.*

Can. Raptus non eſt, ſi quis prævio tractatu de nuptiis puellam rapiat; ac proinde nec in ſponſam propriam raptus committitur. *c pen. extra de raptoribus.*

LII. *Lex.* Sacrilegium non eſt, cum res prophana è loco ſacro rapitur. *l.* 5. *ff. ad Leg. Jul. peculat.*

Can. Fit etiam ſacrilegium, cum res non ſacra è loco ſacro rapitur, vel res ſacra è loco prophano. *c.* 4. 18. *c.* 21. *cauſ.* 17. *qu.* 4.

LIII. *Lex.* Gradatim, non per ſaltum, appellandum eſt ab inferiore ad ſuperiorem, & ſi per ſaltum, appellatum, litigantes ad Judicem, qui appellari debebat, remittendi ſunt. *l.* 21. *ff. de appellation.*

Can. Recta ad Pontificem, omiſſo Judice intermedio, appellari poteſt. *c. ſi duobus.* 7. *extra de appellat. c. antiqua.* 23. *in fin. extra. de privileg. & exceſſ. privilegiat.*

LIV. *Lex.* Judex, à cujus ſententia appellatum eſt, non poteſt in alia cauſa recuſari ut ſuſpectus. *tot. tit. ff. apud eum à quo appellat. aliam cauſ. agere compell.*

Can.

Can. Talis Judex ut ſuſpectus in alia cauſa recuſari poteſt. *c. adhæc. 6. c. propoſuit 24 extra de appellat.*

LV. *Lex.* Filiusfamilias ex voto ſine patris conſenſu non obligatur. *l.* 2. §. 1. *ff. de pollicitat.*

Can. Filiumf. eo voto obligari ſine patris conſenſu, probabilius eſt: ſecus in filiaf. arg. *c. mulier.* 14. *cauſ.* 32. *qu.* 2. junct. *cap.* 30. *Numeror. verſ. & ſeqq.* unde *d. c.* 14. eſt deſumptum.

F I N I S.

DEFINITIONES AC DEVISIONES JUXTA SERIEM INSTITUTIONUM DIGESTÆ.

Cupidæ Legum Juventuti S.

INdicis loco , quem libris editis ſubnectere communis fert conſuetudo , conſultius duxi, nobiliſſimi Juvenes , in uſum incipientium componere juxta Inſtitutionum ſeriem ac titulos nonnulla alphabethi inſtar in jure ſe habentia. Procul interim abſit , ut quiſquam veſtrûm ſibi perſuadeat;me hìc aliquod tradere voluiſſe elementorum juris compendium , atque ea ratione è manibus diſcentium excutere vel Juſtiniani Inſtituta , vel doctas aliorum lucubrationes. Etenim vix quicquam præter nudas & inveſtes [ut ita loquar] cum diviſionibus definitiones exhibeo, tenaciter ac verbotenus [meâ quidem opinione] memoriæ mandandas : præter quas omnia cætera juris fundamenta judicio magis percipienda & conquoquenda ac digerenda puto , nec tam verbis firmiter retinendis , quàm potius rebus intelligendis incumbendum;ut ita non formulis quibuſdam præconceptis,ſed ſermone quocumque congruo animi ſenſa pro re nata quiſque exponat. Quem in finem utendum exiſtimo tum editis virorum Clariſſ. compendiis cum ipſo Inſtitutionum textu, tum etiam ad loca præſertim difficiliora latioribus ad Inſtituta voluminibus. Sic enim uſque cenſui,difficilius ſine compendiis jurisprudentiæ ſtudia promoveri ; ſed nec ſola ſine diffuſiori Interprete ſufficere compendia. Præparant ſcilicet ſcripta compendiaria tyronis animum ; ad explicationes prolixiores cum fructu evolvendas ; atque ipſa viciſſim ex latioribus commentariis ſuum intellectum habent ac lucem fænerantur. Quiſquis alterutris tantùm inhæſerit, minus feliciter, quiſquis utriſque feliciſſimè ad accuratam Inſtitutionum juris notitiam properaturus eſt, Docentium interpretationes utiliter auribus hauſurus, & ſine rubore quotidiana ſubiturus in collegiis examina: Valete.

Digitized by Google

LIBER I. INSTITUTIONUM.

TIT. I.

De Juſtitia & Jure.

JUſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. *pr. inſt. h. t.*

Eſtque vel divina, quæ in Deum cadit; vel humana, quæ cadit vel cadere debet in homines: ac dividitur in commutativam & diſtributivam.

Commutativa eſt, quæ verſatur circa commercia ; in qua plerumque ſervatur proportio arithmetica , adeòque non tam perſonarum quàm potius rerum reſpectus habetur.

Diſtributiva dicitur , quæ verſatur circa præmia & pœnas pro meritis cujuſque diſtribuendas: in qua ut plurimum ſervatur proportio, quam vocant geometricam, ſic ut pro diverſa perſonarum conditione, dignitate, ætate, ſexu, &c. præmia diverſa diverſæque pœnæ decernantur.

Jurisprudentia eſt Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia, Vel, ars boni & æqui. §. 1. *inſt. h. t. ff. h. t.*

Jus eſt regula ac norma agendorum. Cujus tria ſunt præcepta generalia; honeſtè vivere: alterum non lædere: ſuum cuique tribuere. §. 3. *h. t.*

Eſt autem jus vel publicum vel privatum.

Publicum dicitur quod ad ſtatum Reipublicæ ſpectat primario.

Privatum , quod ad ſingulorum utilitatem primario pertinet. §. *ult. h. t.*

Utrumque collectum eſt ex præceptis naturalibus, gentium, & civilibus.

TIT. II.

De Jure naturali Gentium & Civili.

JUs naturale vel propriè accipitur vel impropriè.

Impropriè acceptum pro *inſtinctu*, eſt, quod natura omnia animalia docuit. *p. Inſt. h. t.*

Propriè pro *jure naturali hominum*, eſt, jus quod recta ratio illis.

illis, qui verè intelligunt, dictat ſine diſcurſu mentis, & hoc eſt immutabile in theſi, quoties præcipit, (non item ſi ſuadeat tantùm) mutabile tamen in hypotheſi. *§. 11. h. t.*

Jus gentium eſt, quod apud omnes gentes, vel ſaltem moratiores, obtinet; & peræque cuſtoditur.

Et vel primævum eſt, vel ſecundarium.

Primævum eſt jus, quod naturalis ratio inter homines conſtituit, & apud omnes, ſaltem moratiores, peræque cuſtoditur. Quo pertinet religio ergo Deum, ut parentibus pareamus, patriam amemus. *§. 1. in med. h. t.*

Secundarium dicitur, quod uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus eſt introductum. Hinc orta dominiorum diſtinctio, bella, captivitates, ſervitutes, manumiſſiones, & plerique contractus *§. 2. in med. h. t.*

Jus Civile eſt, quod quiſque populus ipſe ſibi proprium conſtituit *§. 1. h. t.*

Et vel ſcriptum eſt vel non ſcriptum.

Scriptum dicitur, quod expreſsâ voluntate ſimul & ſemel ſancitum eſt ab eo, qui juris condendi poteſtatem habet.

Hujus ſex ſunt ſpecies, puta: lex, plebiſcitum, Senatus-conſultum, Principum placita, edicta Prætorum ac ædilium, & reſponſa prudentum. *§. 3. & ſeqq. h. t.*

Lex eſt jus quod populus Romanus, Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat.

Plebiſcitum eſt jus quod plebs plebejo Magiſtratu interrogante, veluti tribuno, conſtituebat.

Senatusconſultum eſt jus, quod Senatus jubet atque conſtituit.

Placitum, ſeu conſtitutio Principis eſt, quod Principi placet ut legis habeat vigorem.

Princeps eſt, qui imperandi poteſtatem à populo accepit.

Tribus autem modis potiſſimùm Princeps jus condit; edicto, reſcripto, decreto.

Edictum eſt jus, quod Princeps motu proprio, vel ad ſuggeſtionem alterius, in commune conſtituit ad honeſtatem & utilitatem ſubjectorum.

Reſcriptum eſt epiſtola Principis de re dubia, ad relationem Magiſtratûs alicujus emiſſa.

Decretum eſt ſententia Principis, inter partes litigantes, de quarum cauſa ipſe cognoſcit & judicat, pronunciata.

Ceterùm conſtitutiones Principum vel generales ſunt, vel ſpeciales

Generales dicuntur, quæ omnes ſubjectos generaliter continent & obligant.

Speciales ſunt privilegia, ſeu jura ſingularia certæ perſonæ vel cauſæ contemplatione præter jus commune conſtituta. *§. 6. Inſt. h. t.*

Et vel privilegia *perſonæ* ſunt, quæ ad hæredes non tranſeunt: vel *rei ſeu cauſæ*, quæ ad hæredes tranſmittuntur *l. 196. ff. R. I.* utraque ſtrictam recipiunt interpretationem, ne egrediantur perſonam aut rem cui conceſſa ſunt. *l. 14. ff. de legibus. l. 1. in fin. ff. ad municipalem.*

Prætorum edicta ſunt jus à prætore conditum, uti edicta ædilium ſunt jus conditum ab ædilibus: quæ duo veniunt juris *honorarii* appellatione.

Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere.

Jus non ſcriptum ſeu conſuetudo, eſt jus quod moribus utentium paulatim introductum eſt, legis habens vigorem.

Oportet autem eam eſſe rationabilem. *l. 39. ff de legibus.* & concurrere longum tempus, ac actuum frequentiam. *l. 1. C. quæ ſit longa conſuet. l. 32 ff. de legibus.*

Conſuetudinis recte introductæ vis eadem eſt, quæ legis, ſic ut conſuetudo poſterior deroget legi priori. *d. l. 32. in fin. ff. de legib. §. pen. Inſt. h. t.*

Juris objecta tria ſunt, perſonæ, res, & actiones.

Tit. III.

De Jure perſonarum.

Jus perſonarum eſt ſtatus ſeu conditio perſonarum.

Summa perſonarum diviſio eſt quod vel liberi ſint vel ſervi.

Libertas eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibeatur. *§. 1. h. t.*

Servitus eſt conſtitutio juris gentium, quâ quis alieno dominio contra naturam ſubjicitur. *§. 2. h. t.*

Statu liberi dicuntur, qui ſtatutam in tempus, vel conditionem, libertatem habent. Et hi pendente conditione ſervi potius ſunt quàm liberi. *l. 9. ff. de ſtatu liberis.*

Servi adſcriptitii ſunt, qui fundo ſeu glebæ terræ adſcripti unà cum fundo transferuntur, nec confundendi ſunt cum iis, qui ſimpliciter coloni ſunt; quippe qui magis accenſendi liberis hominibus. *l. 7. 18. C. de agricol. & cenſitis.*

Servi

Servi alii *ordinarii* ſunt, qui ſc. immediatè dominis ſubſunt: alii *Vicarii*, qui nempe ſunt in peculio ordinariorum. *l.* 17. *ff. de peculio* §. 17. *Inſt. de legatis.*

Homines liberi vel ingenui ſunt vel libertini.

TIT. IV.

De Ingenuis.

INgenuus eſt qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt, nec in utero matris manumiſſus. Et hic partus ventrem, id eſt, matris, non patris conditionem ſequitur.

Pro ingenuo etiam habetur, qui cùm verè libertinus eſſet, ſententiâ tamen judicis ingenuus eſt declaratus *l.* 21. *ff. de ſtatu hominis.* Ut &, qui deferente patrono juravit ſe eſſe ingenuum. *l.* 30. §. 4. *ff. de jurejurando.*

TIT. V.

De Libertinis.

LIbertinus dicitur, qui ex juſta ſervitute manumiſſus eſt. Manumiſſio eſt de manu datio, ſeu de poteſtate dimiſſio.

Et hæc fuit variis peracta modis, puta vindictâ, cenſu, teſtamento, in Sacro-ſanctis Eccleſiis, per epiſtolam, per menſam, & inter amicos.

Liberti olim vel cives Romani erant; vel Latini, qui minorem conſequebantur libertatem, vel dedititii, quorum peſſimus ſtatus erat & ſervili proximus. Sed jure novo omnes manumiſſi fiunt liberi & ingenui, ſalvo jure patronatûs. *nov.* 78.

Jus patronatûs eſt, quod quis ex manumiſſione ſervi in perſonam & bona manumiſſi conſequitur, undè libertus patrono obſequium, honorem, reverentiam præſtare debet *tit. ff. de obſequiis parent. & patron. præſt.* ut & operas *tit. ff. de operis libert.* ac in bona ejus defuncti patronus ſuccedit. *Tit. ff. de bonis libert.* & libertum ob ingratitudinem in ſervitutem revocare poteſt. *l.* 5. *ff. de jure patronat.*

Tit. VI.

Quibus ex cauſis manumittere non licet

LEgis Æliæ Sentiæ duo fuerunt capita. Primo cautum eſt, ne quis ſervos manumittat in fraudem creditorum, niſi unum qui domino ſit hæres neceſſarius. *pr. & §. 1. h. t.*

In fraudem creditorum manumittere dicitur, qui vel eo tempore quo manumittit, ſolvendo non eſt, vel datis libertatibus deſiturus eſt ſolvendo eſſe, ac animum fraudandi habet: ita ut concurrat affectus fraudandi & effectus. *§. 3. Inſt. h. t.* idque ejuſdem creditoris intuitu. *l. 15. ff. quæ in fraud. cred. alien. ſunt ut reſtit.*

Altero capite cautum ne minor annis 20. manumittat, niſi cauſâ juſtâ apud conſilium probatâ. Quod conſilium Romæ à prætore cum quinque Equitibus & quinque Senatoribus, in Provinciis à Præſide & viginti recuperatoribus civibus Romanis conſtituebatur. Sed jure novo permiſſum minoribus manumittere eâ ætate, quâ & teſtamenta condere poſſunt. *§. 4. 5. & ult. h. t. nov. 119. c. 2.*

Tit. VII.

De Lege Fuſia Caninia tollenda.

LEge Fuſiâ Caniniâ cautum fuit, ut tantùm certus ſervorum numerus, non tota familia, nec unquam plures quàm centum, manumitterentur. Sed & hæc ſublata, datâ liberrimâ manumittendi facultate.

Tit. VIII.

De his qui ſui vel alieni Juris ſunt.

ALtera perſonarum diviſio eſt, quod homines vel ſui juris ſint, vel alieni juris.

Sui juris, qui nec dominicæ nec patriæ poteſtati ſubſunt: & appellantur patres-familias.

Alieni juris ſunt, qui alterius poteſtati dominicæ vel patriæ ſubjecti ſunt.

Do-

Dominica poteſtas eſt jus, quod domini habent in ſuos ſervos: cujus plurimi effectus ſunt: puta, quod ſervi omnia acquirant dominis: quodque domini olim jus vitæ neciſque in ſervos habuerint; licèt jure novo modica tantùm coërcitio ipſis competat; quam ſi exceſſerint ac ſervum occiderint, æquè ultimo ſupplicio ex lege Cornelia plectendi ſunt, ac ſi ſervum alienum occidiſſent. §. 2. *inſt. h. t. junct. l. 23. §. 9. ff. ad leg. Aquil.* quin & major aſperitas dominorum in ſervos ſuos extra ordinem coërcetur. *d. §. 2. ff. h. t. l. 1. in fin. & l. 2. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt.*

Tit. IX.

De Patria poteſtate.

Patria poteſtas eſt jus, quod cives Romani maſculi, non fœminæ, habent in ſuos liberos, ex juſtis nuptiis, legitimatione, vel adoptione.

Ex juſtis tamen nuptiis nati ita demum legitimi & in poteſtate ſunt, ſi tempore legitimo nati fuerint, id eſt, ab initio menſis ſeptimi uſque ad initium menſis undecimi. *l. 12. ff. de ſtatu hom. nov. 39. c. 2.*

Tit. X.

De Nuptiis.

Nuptias antecedere poſſunt Sponſalia & dos.

Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum. *l. 1. ff. de Sponſalibus.*

Sponſalia de præſenti jure Romano non ſunt, nota, cum conſenſus de præſenti nuptias faciat. *l. 30. ff. R. J.*

Dos eſt res quæ à muliere vel ab alio pro muliere datur marito ad ſuſtinenda onera matrimonii.

Et vel profectitia eſt vel adventitia.

Profectitia eſt, quæ à patre pro filia ſua vel emancipata datur. *l. 5. pr. & §§. ſeqq. ff. de jure dot.*

Adventitia dicitur, quam ipſa mulier vel extraneus pro ea dat. *d. l. 5. §. 11.*

Nuptiæ ſunt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens. §. 1. *Inſt. de patr. poteſt.*

Ut autem nuptiæ recte contrahantur, neceſſe eſt, ut contrahentes ſint cives Romani, puberes, habiles ad generandum, liberè conſentientes, habentes etiam conſenſum præcedentem eorum, in quorum ſunt poteſtate; ut non obſtet cognatio, vel affinitas, vel honeſtas, vel poteſtas, vel delictum. *pr. & §§. ſe ff. & i. t. l. 21. 30. 38. 66. ff. h. t.*

Cognatio eſt proximitas ſanguinis, orta ex eo, quòd plures commune naſcendi principium habent.

Affinitas eſt conjunctio ratione matrimonii inter conjugem & alterius conjugis cognatos.

In cognatione conſiderantur lineæ, in lineis gradus.

Linea vel recta eſt, vel obliqua ſeu collateralis.

Recta eſt vel aſcendentium vel deſcendentium.

Gradus in linea unaquaque computandi ſunt de jure civili, hâc unicâ ſervatâ regulâ, quot ſunt perſonæ demto ſtipite, tot ſunt gradus. Vide *l. 1. ff. de grad. & affin.*

Legitimatio eſt actus, quo liberi illegitimi fiunt legitimi.

Liberi illegitimi vel naturales ſunt, qui ſc. ex concubina naſcuntur; vel ſpurii, qui ex vago ſunt quæſiti concubitu; vel inceſtuoſi, qui ex damnato complexu nati ſunt.

Fit autem legitimatio tribus modis, per oblationem curiæ, per ſubſequens matrimonium, & per reſcriptum Principis.

Legitimatio per oblationem curiæ fit, cum pater filium illegitimum ad munus decurionatûs offert, vel filia illegitima decurioni nubit. *l. 3. C. de liberis natur. novell.* 89. *c* 2.

Per ſubſequens matrimonium; cùm pater concubinam, ex qua liberos ſuſcepit, ducit in uxorem. *§. ult. inſt. h. t. novell.* 89. *c. 8.*

Per reſcriptum Principis; cùm Princeps ad petitionem patris, vel ipſorum legitimandorum, jura legitimorum liberorum illegitimè natis tribuit. *d. nov. 89. c. 9.*

Tit. XI.

De adoptionibus.

ADoptio eſt actus legitimus, quo is, qui naturâ filius non eſt, fit filius.

Et vel adoptio in ſpecie eſt, vel adrogatio.

Adoptio in ſpecie eſt, quâ filius familias non contradicens, imperio magiſtratûs in filium aut nepotem aſſumitur.

Adrogatio eſt, quâ paterfamilias expreſsè conſentiens reſcripto Principis adrogatur. *§. 1. h. t. l. 1. §. 1. l. 5. ff. h. t.* Tit

Tit. XII.

Quibus modis patria poteſtas ſolvitur.

PAtria poteſtas vel ſolvitur, vel transfertur, vel ſuſpenditur.

Solvitur morte naturali vel civili patris aut filiif. *pr. §. 1. 2. h. t.* dignitate filiif. omni quæ liberat à curia. *nov 81. c. 1. §. 1. & c. 2. §. 4. h. t.* emancipatione. *§. 6. & ſeqq. h. t.*

Eſt autem emancipatio actus legitimus voluntariæ juriſdictionis, quo liberi de patris poteſtate dimittuntur. Et hæc triplex fuit, puta, legitima ex lege 12. tab. ſolenniter facta: Anaſtaſiana, ex reſcripto Principis fieri ſolita: & Juſtinianea, quæ fit autoritate magiſtratûs ſine Principis reſcripto. *d. §. 6. h. t. l. 5. 6. C. de eman. liber.*

Transfertur adoptione ab aſcendentibus factâ; adrogatione reſpectu liberorum ejus qui adrogatur; & morte avi, dum nepos avo mortuo recidit in patris intermedii poteſtatem. *§. 2. de adopt. pr inſt. h. t.*

Suſpenditur captivitate patris vel filiif. habetque in captivo locum duplex fictio, altero juris poſtliminii, altera legis Corneliæ. *§. ult inſt quib. non eſt permiſſum fac. teſtam. §. 5. h. t.*

Jus poſtliminii eſt juris fictio, quâ captus ab hoſtibus, ac reverſus, fingitur nunquam captus fuiſſe, & omnia jura captivitate amiſſa recuperat. *d. §. 5. h. t.*

Fictio legis Corneliæ eſt, quâ captus ab hoſtibus, ac ibidem moriens, fingitur primo captivitatis momento in urbe mortuus. Vide *l. 15. ff. de injuſt. rupt. irrit. l. 22. ff. de captiv. & poſtlimin.*

Tit. XIII.

De tutelis.

TUtela eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequir, jure civili data ac permiſſa. *§ 1. inſt. h. t.*

Tutores ſunt, qui illam vim ac poteſtatem habent.

Et triplices ſunt; puta, vel honorarii, quales ſunt qui non adminiſtrant: vel tutores adminiſtratores, qui tutelam re ipsâ ge-

gerunt: vel tutores notitiæ causâ dati, qui ſc. dantur, ut inſtruant tutorem adminiſtratorem de rebus pupilli. *l. 14. §. 1. ff. de ſolutionibus.*

Tutela quoque triplex eſt; teſtamentaria, legitima & dativa.

Teſtamentaria tutela eſt, quâ pater aut avus paternus [non mater] liberis impuberibus inſtitutis vel exheredatis, proximè in poteſtate conſtitutis [non puberibus aut emancipatis] tutorem dat teſtamento vel codicillis teſtamento confirmatis. *§. 3. inſt. h. t. l. 4. ff. de teſtam. tutelâ l. 1. §. 1. ff. de confirm. tut.* nec intereſt, nati ſint an poſthumi. *§. 4. h. t.*

Tutor confirmatus dicitur, qui non jure datus à patre vel matre vel alio extraneo, ex magiſtratûs decreto confirmatur & autoritatem habet *l. 1. §. 1. l. 4. l. 7. ff. de confirm. tutore.* Quæ confirmatio quandoque fit ſine inquiſitione, veluti, cùm pater filio non rectè tutorem dedit. *§. ult. inſt. h. t.* (vide tamen *l. 7. de tit. de confirm. tut.*) quandoque cum inquiſitione, ut ſi mater aut avia vel extraneus dederit. *l. 2. 4. 5. ff. de confirm. tut. l. 4. & ult. ff. de teſtam. tutelâ.*

Tit. XIV.

Qui teſtamento tutores dari poſſunt.

Tutores teſtamento dati poſſunt patresf. & filiif. liberi & ſervi, furioſi, minores: ut tamen ſervi, furioſi & minores non ante tutores ſint, quàm ſi liberi, vel ſanæ mentis, aut majores facti fuerint. *pr. & §§. ſeqq. h. t.* interim non tutor legitimus adminiſtrabit tutelam, ſed alius à magiſtratu datus. *l. 11. ff. de teſtam. tutelâ.*

Tit. XV.

De legitima agnatorum tutela.

Legitima tutela in genere eſt, quæ, deficiente teſtamentariâ tutelâ, defertur ſine facto hominis ex legis diſpoſitione.

Eſtque quadruplex, puta legitima tutela agnatorum, patronorum, parentum, & fiduciaria.

Legitima agnatorum tutela eſt, quæ ex lege 12. tab. defertur

tur proximis agnatis, jure novo etiam cognatis in ſpecie, *nov.* 118 *c.* 4. 5. modò legitimæ ſeu perfectæ ætatis ſint *d. nov.* 118. *c.* 5. & maſculi; tutela enim plerumque virile munus eſt. *l.* 16. 18. *ff. de tutelis.* Mater tamen & avia legitimæ tutrices eſſe poſſunt, & præferuntur aliis agnatis ac cognatis à latere venientibus, ſi modò renuncient Senatusconſulto Vellejano & ſecundis nuptiis. *l.* 1. 2. *& auth. ſeqq. C. quando mulier tut. officio fung.*

Agnati dicuntur, qui per virilis ſexûs cognationem conjuncti ſunt.

Cognati in ſpecie, qui per ſexûs fœminini cognationem juncti ſunt.

TIT. XVI.

De capitis diminutione.

Capitis diminutio eſt prioris ſtatûs mutatio.

Status triplex eſt, libertatis, civitatis, & familiæ.

Hinc triplex capitis diminutio, maxima, media, & minima, *pr. h. t.*

Maxima capitis diminutio eſt, quâ libertas, & per conſequens civitas ac familia amittitur. Quod fit iis modis, quibus quis ex libero poteſt ſervus fieri. §. 1. *h. t.*

Media eſt, quâ, retentâ libertate, civitas & familia amittitur: ut aquæ & ignis interdictione ac deportatione. §. 2. *h. t.*

Minima eſt, quâ, libertate & civitate retentâ, familia mutatur: veluti emancipatione & adrogatione. §. 3. *h. t.*

Si quis dignitate privetur, aut ex ſervo liber fiat, capitis diminutionem haud patitur. §. 4. 5. *h. t.*

TIT. XVII.

De legitima patronorum tutela.

Legitima patronorum tutela eſt, quæ ex interpretatione legis duodecim tabul. Defertur patronis in libertos impuberes à ſe manumiſſos. *h. t.*

TIT. XVIII.

De legitima parentum tutela.

Legitima parentum tutela eſt, quæ exemplo legitimæ tutelæ patronorum delata eſt patri in liberos impuberes à ſe emancipatos. *h. t.*

Tit. XIX.

De fiduciaria tutela.

Fiduciaria tutela eſt, quæ mortuo patre vel avo, qui legitimam tutelam liberorum impuberum emancipatorum geſſerat, jure ſuitatis defertur liberis ejus majorennibus, ad mortem ſui patris in poteſtate retentis, in eoſdem illos liberos impuberes, *pr. h. t.*

Tit. XX.

De Attiliano tutore.

Tutela dativa eſt, quam, deficiente teſtamentariâ & legitimâ, vel etiam ſuſpenſâ teſtamentariâ, magiſtratus defert, ex poteſtate ſibi ſpeciali lege, Senatuſconſulto vel conſtitutione Principis conceſſa. *l. 6. §. 2. ff. de tutelis juncta. l. 11. ff. de teſtam. tutelâ & pr. ac § 1. & ſeqq. inſt. h. t.*

Sive autem teſtamentarius, ſive legitimus, ſive dativus tutor tutelam geſſerit, locus eſt actioni tutelæ, quæ directa eſt & contraria.

Actio tutelæ directa eſt perſonalis bonæ fidei, competens pupillo & ejus hæredi, adversùs tutorem & ejus hæredem, finitâ tutelâ, ut reddat rationem adminiſtrationis, res juxta inventarium reſtituat, & dolum, latam, ac levem culpam præſtet. *l. 1. pr. & §. :. ff. de tut. & rat. diſtrah. l. 9. l. 20. § 1. ff. de liberat. legatâ l. 23. R. I.*

Contraria actio tutelæ itidem perſonalis eſt, competens tutori & ejus hæredi, adversùs pupillum & ejus hæredem in genere ad id, ut conſequatur quod ſibi ratione tutelæ adminiſtratæ abeſt vel abfuturum eſt. *l. 1. §. 3. l. 3. §. 4. 5. ult. ff. de contrar. tut. & util. actione.*

Dolus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad alterum circumveniendum, fallendum, decipiendum adhibita *l. 1. § 2. ff. de dolo.*

Culpa generaliter eſt omne id, quod culpari poteſt. Sed quatenus dolo opponitur, eſt factum inconſultum, quo nocetur alteri.

Eſtque vel lata, vel levis, vel leviſſima. *l. 5. §. 2. ff. commod.*

Lata

Lata culpa duplex eſt, alia verſutiæ, alia negligentiæ.

Culpa lata verſutiæ eſt, cùm quis minorem curam rebus alienis, quas ſervare debebat, quàm propriis adhibet. *l. 32. ff. depoſiti.*

Lata culpa negligentiæ eſt, negligere ea, quæ nec minus diligens paterf. in rebus ſuis neglecturus eſſet.

Culpa levis eſt, negligere ea, quæ diligens paterf. in rebus propriis non eſſet neglecturus.

Culpa leviſſima eſt, negligere ea, quæ homines diligentiſſimi non ſolent negligere.

Caſus fortuitus eſt inopinatus rei eventus, quem nulla humana providentia prævidere vel præcavere poteſt.

Tit. XXI.

De authoritate tutorum.

Conſenſus triplex eſt; juſſus, ratihabitio, & authoritas.

Juſſus eſt conſenſus de negotio adhuc gerendo.

Ratihabitio eſt conſenſus, quo probatur negotium jam geſtum. *l. ult. C. ad S C. Maced.*

Authoritas eſt conſenſus de negotio præſente, ſeu probatio ejus quod geritur. *l. 25. §. 4. ff. acquir. hæreditate.*

Interponenda eſt auctoritas à tutore præſente, non absente, purè, & in ipſo negotio; non ante, vel poſt. *§. 2. inſt. h. t. l. 14. h. t.*

Eſtque neceſſaria, quoties pupillus ex contractu obligandus eſt, ſic ut deteriorem faciat conditionem ſuam. *pr. h. t.* ut & ſi hæreditatem, licèt lucroſam, adire velit. *§. 1. h. t.* non item in cæteris quaſi contractibus. *l. 46. ff. de oblig. & action.* nec, ſi ipſe ſtipuletur, aut alias conditionem ſuam faciat meliorem. *d. pr. h. t.*

In alienandis tamen rebus pupillorum immobilibus & mobilibus quæ ſervari poſſunt, præter authoritatem opus eſt decreto magiſtratûs. *l. 1. ff. de reb. eor. qui ſub. tut. vel cura ſine decret. non alien.*

TIT.

Tit. XXII.

Quibus modis tutela finitur.

FInitur tutela pubertate, morte, & omni capitis diminutione pupilli; morte, maximâ ac mediâ capitis diminutione, excuſatione, & remotione tutoris; ut & exiſtente die vel conditione, ad quam tutor datus eſt. *Paſſim. h. t.*

Tit. XXXIII.

De Curatoribus.

CUra eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuenda ejus bona, qui ea per ætatem, aut animi vel corporis vitium tueri nequit. *pr. & §. 3. 4. h. t.*

Cura duplex eſt; legitima, & dativa; non teſtamentaria. *§. 1. h. t.*

Legitima eſt, quæ ex lege 12. tabularum deferebatur agnatis in furioſos & prodigos.

Dativa eſt, quâ magiſtratus, ut tutores, ita & curatores dant minoribus aliiſque.

Prodigus eſt, cui bonis à prætore interdictum eſt. *l. 1. l. 15. ff. h. t.*

Actor, (qui tutori quandoque adjungitur) eſt, qui, tutore negotia pupillaria gerere impedito, conſtituitur à prætore vel præſide, voluntate & periculo tutoris, quoties pupillus infans aut abſens eſt. *§. ult. h. t.*

Tit. XXIV.

De ſatisdatione tutorum vel curatorũ.

TUtores, antequam adminiſtrent, inventarium tenentur conficere, & cautionem præſtare. *l. 7. ff. de admin. & per. tut. pr. h. t.*

Inventarium eſt repertorium ſeu deſcriptio omnium bonorum pupilli. *l. ult. C. arbitr. tutela.*

Cautio eſt ſecuritatis præſtatio. Et quadruplex eſt, puta, 1. ſatiſdatio, quæ eſt cautio datis fidejuſſoribus. 2. Pignoratitia

cau-

cautio, quæ fit datis pignoribus. 3. Cautio juratoria, quæ fit jurejurando interpoſito. 4. Nuda repromiſſio.

Satisdant tutores, rem pupilli ſalvam fore. *tit. ff. rem. pup. vel adoleſc. ſalvam fore.* Non tamen regulariter ſatiſdant teſtamentarii, aut dati ex inquiſitione: *pr. h. t.*

Cavetur autem datis fidejuſſoribus, ut ſi tutor ſolvendo non ſit, pupillus fidejuſſores convenire queat. Quod ſi nec à fidejuſſoribus indemnitatem conſequatur, habet tandem actionem ſubſidiariam.

Quæ eſt actio perſonalis competens pupillo contra magiſtratus minores & eos qui cautionem exigere ſolent, ac eorum hæredes, quoties vel nullo modo vel non idoneè curarunt caveri, ad id quod ob tutorum ac fidejuſſorum inopiam ab iis pupillus ſervare non potuit *§. 2. & 4. h t. l. 1. §. 11. & ſeqq. ff. de magiſtrat. conveniendis.*

TIT. XXV.

De excuſationibus tutorū & curatorū.

EXcuſatio eſt juſtæ cauſæ allegatio, quâ quis tutelæ vel curæ munus ſeu onus deprecatur.

Munus aliud publicum eſt, aliud privatum.

Publicum eſt, quod quis neceſſariò obit, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi poteſtatem habet. *l. 214. ff. V. S.*

Privatum eſt, ad quod ſubeundum nemo invitus cogi poteſt quale eſt munus procuratoris.

Munera publica alia ſunt utilitate talia, alia autoritate.

Utilitate publica ſunt, quæ primario ſpectant ad utilitatem publicam, veluti munus decurionatûs.

Autoritate publica dicuntur, quæ authoritate publicâ in utilitatem privatorum introducta ſunt; quale eſt munus tutorum, curatorum, advocatorum &c.

Adhæc munera vel patrimonialia ſunt, quæ deſiderant impenſam patrimonii, vel perſonalia, quæ nihil præter induſtriam perſonæ deſiderant; ut tutela, cura &c. vel mixta, quæ ſimul impenſam patrimonii requirunt, & perſonæ induſtriam. *l. ult. pr. & §. 18. & 26. ff. de munerib. & honoribus.*

Juſtæ autem cauſæ excuſationis à tutela enumerantur hæ; numerus liberorum, Romæ trium, quatuor in Italia, quinque in provinciis: adminiſtratio fiſci vel reipublicæ: abſentia reipublicæ causâ: poteſtas: lis de omnibus bonis vel majore eorum parte inter tutorem & pupillum: tria onera tutelæ non affe-

[redacted]

affectatæ: paupertas: adverſa valetudo: imperitia literarum conjuncta cum imperitia negotiorum: inimicitiæ capitales, vel ſi tutor inimicitiarum cauſâ à patre pupilli datus ſit: ſtatus controverſia tutori per patrem pupilli mota: ætas major annis 70. artes liberales Grammaticæ, Rhetoricæ & Medicinæ. *pr. &* §§. *ſeqq. h. t.* quæ allegandæ intra 50. dies ex quo quis ſcivit ſe tutorem eſſe datum. §. 16. *h. t.* & probandæ intra menſes quatuor ex die nominationis. *l.* 38. *ff. h. t.*

TIT. XXVI.

De ſuſpectis tutoribus & curatoribus.

SUſpectus eſt, qui non ex fide tutelam gerit.
Quaſi ſuſpectus dicitur, qui non ex fide tutelam geſturus præſumitur. §. 5. *h. t.*

Poſtulatio ſuſpecti tutoris eſt actio, quæ durante tutelâ cuivis competit, ad id, ut tutor ſuſpectus per magiſtratum removeatur à tutela; & ob dolum ac latam culpam infamiâ notetur, quandoque etiam corporaliter à præfecto urbi coërceatur §. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. *h. t.*

LIBER II.

TIT. I.

De rerum diviſione & acquirendo ipſarum dominio.

RES, prout conſtituit ſecundum juris objectum, eſt omne illud de quo jus dicitur.

Res autem vel ſunt nullius ſeu extra patrimonium, vel alicujus ſeu in patrimonio.

Res nullius vel divini vel humani juris ſunt.

Res humani juris extra patrimonium ſunt res jure gentium communes; quæ ſc. uſu ſunt omnium, proprietate nullius; cedunt tamen primo occupanti: ut aër, aqua profluens; mare; & littora maris. §. 1. *h. t.* Hinc quilibet in littore caſam ponere poteſt; in mari navigare, piſcari &c. §. 1. *&* 5. *h. t. l.* 4. *&* 5. *ff. de rer. diviſ.*

Lit-

Littus autem eſt, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. §. 3. *h. t.*

Res Divini juris vel ſacræ ſunt, vel Religioſæ, vel ſanctæ.

Res ſacræ dicuntur, quæ ritè per Pontificem Deo conſecratæ ſunt §. 8. *h. t.*

Religioſæ ſunt, quas quiſque facit auctoritate privatâ, mortuum inferendo in locum proprium aut alienum domino permittente. §. 9. *h. t.* Si pluribus in locis cadaver ſepeliatur, is ſolus fit religioſus, ubi caput eſt reconditum. *l.* 44. *ff. de Religioſis.* Cenotaphium non Religioſus, ſed purus locus eſt. *l.* 6. §. *ult.* & *l.* 7. *ff. de rer. diviſ.*

Sanctæ ſunt, quæ ſanctione aliquâ ab injuriis hominum defenſæ ſunt ac munitæ, ut muri & portæ civitatum, ut & legati. §. 10. *h. t l.* 8 *ff. de rer. diviſ.*

Sanctio verò eſt ea legis pars, quâ pœna delinquentibus imponitur.

Res alicujus ſeu in patrimonio vel plurium ſunt, vel ſingulorum: atque illæ iterum vel publicæ, vel univerſitatis.

Res publicæ ſunt, quæ jure dominii ad totum populum pertinent: ut portus & flumina penè omnia. §. 2. *h. t. l.* 4. §. 1. *ff. de rer. diviſ.*

Hinc quilibet in flumine publico navigare ac piſcari poteſt. §. 2. *h. t. l. un. ff ut in flumine public. navig. liceat.* Etiam aquam ducere ex flumine, quoties illud nec navigabile eſt, nec ex eo aliud navigabile fit. *l.* 2. *ff. de fluminibus.*

Ripa fluminis uſu publica eſt, non proprietate. §. 5. *h. t.* & eſt id, quod continet flumen pleniſſimum, naturalem curſûs ſui rigorem tenens. *l.* 3. § 1. *ff. de fluminibus.*

Res univerſitatis ſunt, quæ jure dominii ad hominum univerſitatem pertinent ut theatra, templa, ſtadia, fora, baſilicæ &c. §. 6. *h. t.*

Univerſitas hìc nihil aliud eſt, quàm ſocietas vel collegium hominum. Licèt aliàs generaliùs ſit corpus ex diſtantibus capitibus vel cohærentibus tignis, ut grex, ædificium; imo & peculium & hæreditas univerſitas rerum eſt. Licèt autem univerſitas ab uno nequeat inchoari, in uno tamen capite ſuperſtite poteſt conſervari. *l.* 7. *in fin. ff. quod cujuſque univerſit. nomine &c.*

Res ſingulorum dicuntur, quæ ſunt in privato cujuſque dominio.

Circa res acquiri poteſt vel jus in re, vel jus ad rem.

Jus in re eſt, quò res nobis eſt affecta, ſeu devincta.

Jus ad rem eſt, quo perſona nobis ad rem dandam, faciendam, vel præſtandam eſt obligata.

Jus in re quintuplex eſt, puta, dominii, ſervitutis, poſſeſſionis, pignoris, & hæreditatis. *l. 3. §. 12. ff. ad exhibend. arg. l. 7. C. de petit. hæreditatis.*

Dominium in ſpecie eſt jus quo res noſtra eſt.

Et vel plenum eſt, vel minùs plenum.

Plenum dicitur, quoties quis & proprietatem & uſumfructum rei habet.

Minùs plenum eſt, cùm quis nudam habet proprietatem, uſufructu penes alium exiſtente.

Eſt & dominium vel directum, quod retinent illi, qui rem in emphyteuſin aut feudum conceſſerunt; vel utile quod habent illi quibus res in emphyteuſin aut feudum conceſſa eſt.

Aliud inſuper eſt dominium civile, aliud naturale. Quâ ratione maritus eſt dominus dotis civiliter, mulier naturaliter. *l. 30. C. de jure dot.*

Modi acquirendi dominii ſunt plurimi; partim ex jure gentium, partim ex Jure Civili.

Et Jure Civili modi vel univerſales ſunt, vel ſingulares.

Singulares ſunt quatuor; uſucapio, donatio, legatum, & fideicommiſſum ſingulare.

Univerſales totidem; puta, hæreditatis acquiſitio, bonorum poſſeſſionis agnitio, adrogatio, & addictio bonorum libertatum conſervandarum gratiâ. De quibus alibi.

Ex jure gentium modi acquirendi dominii ad tria capita accommodè reduci poſſunt, ſcilicet ad occupationem, acceſſionem, & traditionem.

Occupatio eſt juſta apprehenſio rerum corporalium animo domini facta. Quæ locum habet in feris, avibus, piſcibus, rebus hoſtium, inventis in littore, & in iis quæ pro derelictis ſunt habita; qualia ſunt, quæ dominus eâ mente abjecit, ut ea in numero rerum ſuarum eſſe nolit.] ac denique in theſauro. §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 39. *& pen. h. t.* qui eſt vetus depoſitio pecuniæ, cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat. *l. 31 §. 1. ff. h. t.*

Acceſſio eſt acquirendi dominii modus, quo res alterius fit, quia rebus ejus accedit.

Et vel naturalis eſt, vel induſtrialis, vel mixta.

Ad naturalem referenda fœtura animalium, alluvio, appulſio vi fluminis facta, inſula in flumine nata, alvei fluminis mutatio. §. 19. 20. 21. 22. 23. *h. t.*

Allu-

Alluvio eſt incrementum latens, quod ita paulatim agro noſtro adjicitur, ut intelligi nequeat, quantum quoquo temporis momento accedat. *d.* §. 20.

Ad artificialem pertinet ſpecificatio, intextura, confuſio liquidorum, commixtio aridorum, inædificatio, implantatio, ſatio, ſcriptura, non item pictura §. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. *h. t.*

Specificatio eſt, cùm ex aliena materia nova fit ſpecies.

Ad mixtam acceſſionem ſpectant fructus: qui vel naturales ſunt, vel induſtriales, vel civiles.

Naturales ſunt, qui ſponte ſine cura & cultura hominum proveniunt; ut poma, ſylva cædua &c. *l. 45. ff. de uſuris.*

Induſtriales dicuntur, qui curâ & culturâ hominum accedente producuntur; ut ſegetes. *d. l.* 45.

Civiles ſunt, qui non naturâ, ſed jure percipiuntur, ut penſiones, uſuræ, *l. 62. ff. de rei vind.*

Inſuper fructus vel pendentes ſunt, vel extantes, vel conſumti, vel percipiendi.

Pendentes appellantur, qui necdum à ſolo ſunt ſeparati; & pars ſoli cenſentur.

Extantes ſunt, qui jam à ſolo ſeparati aſſervantur.

Conſumti dicuntur, qui deſierunt exiſtere.

Percipiendi fructus ſunt, qui licèt percepti non ſint, honeſtè tamen potuerunt percipi à diligente patref.

Bonæ fidei poſſeſſor lucratur omnes fructus conſumtos ante litem conteſtatam irrevocabiliter, ſive naturales ſint, ſive induſtriales. *l. 48. ff. h. t. de acquir. rer. domin.* at malæ fidei poſſeſſor nullos; dum & extantes & conſumtos, & percipiendos tenetur reddere domino rem vindicanti *l. 62. ff. de rei vind.*

Traditio eſt de manu in manum datio ſeu translatio poſſeſſionis.

Et vel vera eſt vel ficta.

Vera traditio eſt quâ res corporalis mobilis vel immobilis naturaliter transfertur datione de manu in manum, vel inductione in poſſeſſionem. §. 40 & *ſeq. h. t.*

Ficta eſt, quâ rei traditio fingitur interpoſita, quæ revera non intervenit. §. 44. *h. t*

Et hæc vel traditio brevis manûs eſt, vel ſymbolica.

Traditio brevis manûs dicitur, quâ res ex alia cauſa prius tradita, ex nova cauſa rurſus tradita fingitur *d.* §. 44.

Symbolica, quæ fit per ſymbolum ſeu ſignum externum

traditionis loco interpoſitum. Quo modo, clavibus horrei traditis, merces ibi reconditæ cenſentur traditæ. §. 45. *h. t. l. 74. ff. de contrah. emt.*

Tit. II.

De rebus Corporalibus & Incorporalibus.

Res inſuper dividuntur in corporales & incorporales. *p. h. t.* Corporales ſunt, quæ ſuâ naturâ tangi poſſunt.

Et vel mobiles ſunt, ut ſupellex; vel immobiles, ut fundi, ædes; vel ſe moventes, ut animalia & ſervi.

Res incorporales ſunt, quæ ſuâ naturâ tangi nequeunt, & in jure conſiſtunt, ut hæreditas, obligatio, ſervitus. §. 2. 3. *h. t.*

Tit. III.

De ſervitutibus Prædiorum.

Servitus eſt jus in re alterius alteri conſtitutum, quo res alteri quàm domino utilitatem adfert contra dominii naturam.

Et vel perſonalis eſt vel realis ſeu prædialis.

Perſonalis eſt, quâ res perſonæ ſervit.

Realis, quâ res rei, prædium prædio ſervit.

Prædium eſt res corporalis immobilis.

In materiâ autem ſervitutum prædialium aliud prædium dominans eſt; cui ſc. ſervitus conſtituta eſt; aliud ſerviens, quod dominanti prædio ſervitutem debet.

Eſt & prædium aliud urbanum, aliud ruſticum.

Urbanum eſt, quod habitandi causâ exſtructum eſt in urbe vel agro; ut ædificia. §. 1. *h. t. l. 166. 198 ff. V. S.*

Ruſticum, quod fructuum colligendorum causâ comparatum eſt, ut agri, horti olitorii &c. *d. ll.*

Hinc ſervitus alia ruſtica eſt, alia urbana.

Ruſtica dicitur ſervitus, quæ debetur prædio ruſtico.

Urbana, quæ debetur prædio urbano.

Ruſticæ ſervitutes præcipuæ ſunt iter, actus, via, aquæductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus, jus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

Iter eſt jus eundi ambulandi hominis per alterius prædium. *pr.*

pr. h. t. ſeu, quâ quis pedes vel eques commeare poteſt *l.* 1 *ff. de ſervit. præd. ruſt.*

Actus eſt jus eundi agendi jumentum vel vehiculum per prædium alterius. *d. ll.*

Via eſt jus eundi, ambulandi, agendi, haſtam erectam ferendi, ligna, lapides trahendi. *d. pr. h. t. l.* 7. *ff. de ſerv. præd. ruſtic.*

Viæ latitudo, ſi non fuerit determinata ex conventione partium, in porrectum eſt octo pedum; in anfractum ſexdecim, ex lege 12. tab. *l.* 8. *ff. de ſervit. præd. ruſt.* in actu vel itinere tunc ab arbitrio definienda eſt latitudo. *l.* 13. §. 2. *d. tit.*

Aquæ ductus eſt jus aquæ ducendæ per fundum vel ex fundo alieno.

Aquæ hauſtus eſt jus aquæ hauriendæ ex fonte vel puteo alieno. *l.* 3. §. 3. *l.* 34. 35. *ff. de ſerv. p æd. ruſt.*

Urbanarum ſervitutum ſpecies præcipuæ ſunt, ſervitus oneris ferendi, tigni immittendi, projiciendi vel protegendi, ſtillicidii vel fluminis recipiendi vel non recipiendi, altiùs tollendi, altiùs non tollendi, luminum, & ne luminibus officiatur, proſpectus, & ne proſpectui officiatur. §. 1. *h. t.*

Servitus oneris ferendi eſt jus, quo vicini paries vel columna onus aliarum ædium ferre tenetur. *l.* 6. §. 2. *l.* 8. §. 1. *ff. ſi ſervit. vind.*

Tigni immittendi, eſt jus, quo vicino licet in parietem vicini tignum immittere, ita ut illud in dominantis ſimul & ſervientis prædii pariete requieſcat. *l.* 8 *t.* 2. *ff. ſi ſervit. vindic.*

Tigni projiciendi vel protegendi ſervitus eſt jus, quo vicino licet emittere ſuum tignum extra parietem ſuum, ita ut ſupra vicini aream promineat. *l.* 242. §. 1. *ff. de V. S.*

Servitus ſtillicidii vel fluminis recipiendi eſt jus, quo quis tenetur ſtillicidium vel flumen vicini in ſuo excipere. *l.* 20. §. 3. 4. 5. *ff. de ſerv. præd. urb.*

Stillicidium dicitur, aqua guttatim decidens: flumen verò eſt aqua collecta decidens cum impetu. *d. l.*

Altiùs tollendi ſervitus eſt jus, quo vicinus etiam invitus tenetur altiùs tollere in ſuo. arg. *l.* 8. *C. de ſervit. & aquâ.* junct. *l.* 11. §. . *ff. de ſervit. præd. urban.*

Altiùs non tollendi, eſt jus, quo vicinus impeditur altiùs in ſuo tollere.

Servitus ne luminibus officiatur, eſt jus, quo vicino licet ita habere lumina in ſuperiori parte ſui cænaculi, ut nihil iis opponi poſſit, quo lumen ſolare impediretur.

Servitus ne proſpectui officiatur, eſt jus, quo vicino licet ita feneſtras habere in inferiori parte ſui cænaculi, ut nihil iis opponi poſſit, quo impediretur proſpectus liberior. *l. 15. 16. 17 ff. de ſervit. præd. urb.*

Tit. IV.

De Uſufructu.

Servitutes perſonales ſunt tres; uſusfructus, uſus, & habitatio.

Uſusfructus generaliùs acceptus, eſt jus percipiendi fructus ex aliqua re.

Et tunc dividi poteſt in cauſalem ac formalem.

Cauſalis uſusfructus dicitur, qui cum ſua cauſa ſeu proprietate conjunctus eſt. Talis verò uſusfructus non eſt ſervitus. *l. 126. §. 1. ff. de verb. oblig.*

Formalis eſt, qui à ſua cauſa, id eſt, proprietate eſt ſeparatus. *d. l. 126. §. 1.* Et hic propriè ſervitus eſt: ac in verum & quaſi uſumfructum dividitur.

Verus uſusfructus eſt jus alienis rebus utendi fruendi, ſalvâ earum ſubſtantiâ; conſiſtens in rebus non fungibilibus. *pr. h. t.*

Conſtituitur uſusfructus pactionibus & ſtipulationibus, ultimâ voluntate. *§. 1. h. t.* officio judicis in judiciis diviſoriis. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* legis diſpoſitione. *§. 1. 2. inſt. per quas perſon. cuique acquir. nov. 117. c. 5.* præſcriptione *l. ult. in fin. C. de longi temp. præſcript.*

Amittitur viciſſim morte fructuarii, maximâ & mediâ capitis diminutione, non utendo per modum & tempus, conſolidatione, ceſſione domino proprietatis factâ, rei interitu. *§. 3. h. t.*

Quaſi uſusfructus eſt jus abutendi (id eſt conſumendi) rebus alienis fungibilibus, tamquam propriis, eâ lege, ut finito hoc jure, res eadem in genere vel ejus æſtimatio reſtituatur. *§. 2. h. t. l. 5. & 7. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.*

Res fungibilis eſt, quæ pondere, numero vel menſurâ conſtat, & functionem ſeu permutationem recipit in ſuo genere, ſic ut alia res ſimilis fungatur vice rei datæ, veluti oleum, vinum, frumentum, pecunia numerata. *d. §. 2. pr. inſt. quib. mod. re contrah. oblig.*

TIT.

Tit. V.

De Uſu & Habitatione.

Uſus eſt jus utendi rebus alienis ad neceſſitatem quotidianam, ſalvâ earum ſubſtantiâ.

Minùs autem eſt in uſu quàm in uſufructu, cùm fructuarius poſſit elocare, vendere, gratis concedere alteri poteſtatem fructus percipiendi. *l.* 12. §. 2. *ff. de uſufructu.* Quod non poteſt uſuarius. §. 1. *& ſeqq. h. t.*

Habitatio eſt jus inhabitandi ædes alienas, ſalvâ earum ſubſtantiâ. §. 3. *h. t.* quas elocare poteſt, non gratis concedere. *d.* §. 5. *h. t. l.* 10. *ff. h. t.*

Tit. VI.

De Uſucapionibus & longi temporis præſcriptionibus.

Uſucapio eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. *l.* 3. *ff. h. t.*

Uſurpatio eſt uſucapionis interruptio. *l.* 2. *ff. h. t.*

Requiſita uſucapionis quinque ſunt, juſtus titulus; bona fides; res non vitioſa; continuata poſſeſſio; & tempus lege definitum, triennii ſc. in mobilibus; decennii inter præſentes, vicennii inter abſentes in immobilibus. *pr.* §. 1. *& pen. h. t.*

Juſtus titulus eſt cauſa habilis ad dominium transferendum: ut emtio &c. eumque verùm ſubeſſe neceſſe eſt; putativus namque titulus regulariter non ſufficit. *l.* 27. *ff. h. t.*

Bona fides eſt, non habere conſcientiam rei alienæ: ſeu illæſa conſcientia putantis rem ſuam eſſe. *l.* 109. *ff. de V. S.* eamque initio, id eſt, traditionis tempore ſufficit adeſſe; nec mala fides poſtea ſuperveniens interrumpit uſucapionem. *l.* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* junct. *l.* 48. *ff. h. t.*

Res vitioſa hìc eſt res omnis, quæ nequit uſucapi; veluti, furtiva res aut vi poſſeſſa, res fiſci, liber homo &c. §. 1. *& ſeqq. h. t.* purgato tamen vitio, dum res furtiva in poteſtatem domini reverſa eſt, procedit uſucapio. §. 8. *h. t. l.* 4. §. 6. *& ſeqq. ff. h. t.*

Continuata poſſeſſio eſt, quæ non eſt interrupta. Et vel naturaliter continuatur, dum unus idemque ab initio uſque ad im-

[redacted]

pletam uſucapionem poſſidet; vel civiliter , dum ei , qui ab initio poſſedit , ante impletam uſucapionem alius titulo univerſali vel particulari ſuccedit; ut hæres, emtor, legatarius &c. §. *pen. h. t.*

T i t. VII.

De Donationibus.

Donatio in genere eſt liberalis & licita rei datio vel promiſſio.

Eſtque vel mortis causâ , vel inter vivos.

Mortis causâ donatio eſt liberalitas propter mortem nullo jure cogente facta, dum magis ſe quis velit habere , quàm eum, cui donat ; magiſque eum cui donat , quàm hæredem ſuum. §. *1. h. t.*

Inter vivos donatio eſt liberalitas , quæ fit ſine ulla mortalitatis mentione.

Et vel donatio ſimplex eſt, vel ob cauſam.

Donatio ſimplex eſt mera, abſoluta & irrevocabilis rei datio vel promiſſio: Quæ ſi quingentos aureos excedat, inſinuatione indiget §. 2. *h. t.*

Eſt autem inſinuatio nihil aliud , quàm profeſſio apud acta: quâ tamen inſinuatione opus non eſt , ſi donatio fiat ad cauſas piiſſimas, aut Principi vel à Principe ; aut militibus à Duce , aut ad refectionem ædium exuſtarum. *l.* 34. *& auth. ſubjuncta. l. 36. C. h. t. de donat.* in aliis cauſis inſinuatio neglecta vitiat donationem non in totum , ſed pro quantitate aureos quingentos excedente. *d. l.* 34.

Quin & ob quinque juſtas ingratitudinis cauſas donatio perfecta revocari poteſt. *l. ult. C. de revoc. donat.*

Quòd ſi donatio promiſſione ſeu pacto facta ſit , ad implementum ejus agitur condictione ex. *l.* 35. *C. de donationibus.*

Donatio ob cauſam eſt , quæ non ex ſolâ & merâ liberalitate, ſed ex juſta cauſa fit : veluti donatio propter nuptias , aut alia remuneratoria,

Donatio propter nuptias eſt liberalitas, quæ vel ante nuptias vel ſtante matrimonio confertur à marito in uxorem , in remunerationem & ſecuritatem dotis. §. 3. *h. t.*

TIT.

Tit. VIII.

Quibus alienare licet vel non.

ALienatio propriè eſt omnis actus , per quem dominium transfertur. *l.* 1. C. *de fundo dotali.*

Duplex autem circa alienationem regula ſervanda eſt.

1. Qui dominus eſt , alienandæ rei facultatem habet : excepto marito reſpectu prædii dotalis inæſtimati. *pr. h. t. l.* 11. *ff. de fund. dotali.* & pupillis, minoribus , furioſis , prodigis, aliiſque ſimilibus, qui, licèt domini ſint , alienare tamen nequeunt §. 2. *h. t.*

2. Qui Dominus non eſt rem alienare nequit : excepto creditore & tutore & ſimilibus, qui rem pupilli aut minoris , &c. poſitis certis requiſitis, alienare poſſunt, licèt domini non ſint. Sic tutor res pupillorum immobiles ac mobiles quæ ſervando ſervari poſſunt, urgente neceſſitate æris alieni , vel aliâ maximâ utilitate, alienat ex decreto magiſtratûs, reliquas ſine decreto. *l.* 1. *ff. de reb. eor qui ſub. tut. vel cura ſine decret. non alien.* creditor rem debitoris ſibi pignori obligatam , præmiſſâ unâ vel trinâ denunciatione, juxta diſtinctionem in *l.* 4. *ff. de pignor. actione* quòd ſi res emtorem toto biennio non inveniat, poteſt creditor jus dominii à Principe (non judice) petere ac impetrare. *l. ult.* C. *de jure domin. impetrand.*

Tit. IX.

Per quas perſonas cuique acquiritur.

PEculium eſt puſillum patrimonium , quod filiusf. aut ſervus à rationibus paternis vel dominicis ſeparatum habet.

Servorum quidem peculium unicum tantùm eſt ; at filiorumfam. Quadruplex ; caſtrenſe, quaſi caſtrenſe , profectitium , & adventitium.

Caſtrenſe dicitur , quod filiusf. occaſione militiæ armatæ acquiſivit.

Quaſi caſtrenſe , quod filiusf. acquiſivit occaſione militiæ togatæ.

In his verò duabus peculii ſpeciebus filiif. pro patribusf. habentur , ſic ut & actu inter vivos & ultimâ voluntate poſſint diſponere. §. 1. *h. t. pr. inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

Profectitium eſt, quod filiusf. à patre vel patris occaſione acquiſivit, quod in ſolidum patri cedit. §. 1. *h. t.*

Adventitium eſt, quod filiusf. neque militiæ armatæ aut togatæ, neque patris occaſione, ſed aliundè, acquiſivit; veluti ex ſucceſſione matris aut cognatorum &c.

Atque hoc vel plenum eſt, vel non plenum.

Plenum adventitium peculium dicitur, cujus proprietas & uſusfructus ad ipſum filiumf. pertinet. *nov.* 117. *c.* 1.

Non plenum, cujus proprietas ad filiumf. uſusfructus ad patrem ſpectat. §. 1. *h. t.*

Per ſervos autem pleno jure proprietatis noſtros omnia nobis acquiruntur, dominium etiam ignorantibus nobis & invitis, poſſeſſio plerumque ſcientibus, hæreditas verò nobis jubentibus. §. 3. *h. t.* At per ſervos fructuarios acquiſita cedunt fructuario, quoties ea operis ſuis vel ex re fructuarii quæſiverunt; reliqua ad proprietarium pertinent. §. 4. *h. t. l.* 21, 22, *ff. de uſufructu.*

Tit. X.

De teſtamentis ordinandis.

Hæreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. *l.* 62. *ff. de R. I.*

Et defertur vel ex teſtamento, vel ab inteſtato.

Teſtamentum (quaſi teſtatio mentis) eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit, *l.* 1. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Et vel ſolenne eſt, vel minùs ſolenne ſeu privilegiatum.

Inſuper vel ſcriptum eſt, vel nuncupativum.

Scriptum dicitur quod per teſtatorem, aut alium ejus juſſu, in ſcripturam ab initio ſolenniter redactum eſt. Cujus requiſita ſunt, ut fiat unico contextu, coram ſeptem teſtibus idoneis, ſpecialiter rogatis, ſimul præſentibus, teſtatorem videntibus ſubſcribentibus, & ſignantibus ſuo vel alieno annulo; & ut teſtator ipſe ſubſcribat, vel alius pro eo. §. 3. & 5. *h. t. l.* 9. *C. de teſtamentis.* Teſtes inidonei ſunt fœminæ, ſervi, impuberes, furioſi, prodigi, mente capti, improbi & inteſtabiles, domeſtici, hæredes inſtituti; non tamen legatarii & fideicommiſſarii particulares. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *h. t.*

Nuncupativum teſtamentum eſt, cùm teſtator vivâ voce, coram ſeptem teſtibus, idoneis, ſpecialiter rogatis, ſimul præſentibus ac teſtatorem intelligentibus, unico contextu ſuam voluntatem declarat. §. *ult. h. t. l.* 21. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Minus ſolenne teſtamentum dicitur, in quo quædam ex requiſitis vulgo ſolennitatibus, per juris diſpoſitionem remiſſæ ſunt, quale eſt teſtamentum tempore peſtis conditum; in quo remiſſa ſimultanea teſtium præſentia. *l. 8. C. de teſtamentis* Ut &, ſi ruri condatur; in quo quinque ſufficiunt ſi plurium copia non ſit. *l. ult. C. de teſtamentis.* Inſuper teſtamentum patris inter liberos, in quo vel duo teſtes, vel nuda parentis ſcriptura ſufficit. *l. 21. §. 1. & auth. quod ſine C. de teſtamentis.* Præcipuè verò teſtamentum militare.

TIT. XI.

De militari teſtamento.

TEſtamentum militare eſt, quod militiæ, non domi, factum eſt ab eo, qui in numerum relatus ſtipendia meret, nullis obnoxium ſolennitatibus *pr. & §. 1. h. t.* ſi modò de voluntate ſerio prolata conſtet. *d. §. 1. h. t. l. 4?. ff. h. t.*

Hujuſmodi teſtamenta valent uſque ad annum à miſſione honeſta vel cauſaria, non ignominioſa, licèt conditio teſtamento inſerta poſt annum demum extiterit. *§. 3. h. t. l. 16. ff. h. t.*

Miſſio honeſta eſt, quæ fit emeritis ſtipendiis.

Cauſaria quæ necdum emeritis ſtipendiis fit ex juſta cauſa, dum quis ex morbo, vulnere vel aliter inhabilis eſt redditus ad expeditionem.

Ignominioſa eſt, quâ miles ob delictum militiæ Sacramento ſolvitur. *d. l. 26. ff. h. t. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam.*

TIT. XII.

Quibus non eſt permiſſum facere teſtamenta.

TEſtamenti factio vel activa eſt, ſecundùm DD. vel paſſiva.

Activa teſtamenti factio eſt facultas condendi jure teſtamentum.

Paſſiva eſt facultas capiendi teſtamento relicta. §. 4. *inſt. de hæred. qual. & differ.*

Activam teſtamenti factionem habent patresf. puberes maſculi vel fæminæ: non filiif. niſi de caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio, nec impuberes, furioſi, mente capti, prodigi. *pr.*

§. 1.

§. 1. 2. *h. t.* Muti & ſurdi non aliter, quàm ſi ſcribant ipſi voluntatem. *l.* 10. *C. qui teſt. fac. poſſ.* Cæci non niſi adhibito tabellione, vel octavo teſte, & voluntate nuncupatâ ac ſimul in ſcriptum redactâ. *l.* 8. *C. qui teſt. fac. poſſ.* Qui tamen omnes paſſivam teſtamenti factionem habent. *d.* §. 4. *inſt. de hæred. qual. & differ.*

Tit. XIII.

De exhæredatione liberorum.

EXhæredatio eſt ab hæreditate excluſio.

Et vel expreſſa eſt, quæ ſc. nominatim & verbis expreſſis fit; vel tacita; quâ ratione præteritio à matre vel avo materno, vel à milite facta, loco exhæredationis eſt. §. *pen. & ult. h. t.*

Liberi 1. vel ſui ſunt, vel emancipati 2. vel nati, vel poſthumi. 3. vel primi vel ulterioris gradûs. 4. vel legitimi & naturales ſimul, quales ſunt, qui ex juſtis nuptiis procreati; vel legitimi tantùm, quales adoptati & adrogati; vel naturales tantùm; vel ſpurii & inceſtuoſi & adulterini; de quibus alibi actum eſt

Poſthumi autem vel veri ſunt, vel quaſi poſthumi.

Veri poſthumi dicuntur, qui poſt mortem teſtatoris nati ſunt.

Quaſi poſthumi in genere ſunt, qui poſt conditum teſtamentum, aut teſtatoris captivitatem, nati, vel agnati ſunt. *l.* 29. *paſſim. ff. h. t. l.* 15. *ff. de injuſt. rup. irrit.*

Neceſſe autem eſt, liberos legitimos & naturales ſimul, maſculos & fœminas, natos & poſthumos, ſuos & emancipatos, per patrem inſtitui vel nominatim exhæredari; alioquin, ſuis jam natis præteritis teſtamentum foret ipſo jure nullum; poſthumi præteriti illud rumperent agnatione poſthumi vel quaſi; emancipati præteriti habituri eſſent bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *pr. &* §§. *ſeqq. h. t.* naturales planè liberi, ut & adoptati impunè à patre præteriri poſſunt, niſi adoptati ſint ab aliquo aſcendentium. *l.* 10. *C. de adoption.* Vel ab extraneo adrogati.

Tit. XIV.

De hæredibus inſtituendis.

HÆredis inſtitutio eſt deſignatio ſucceſſoris in univerſum jus defuncti.

Et fieri poteſt vel purè, vel ſub conditione, non item ex die vel ad diem; & ſi dies ſit appoſitus, pro non ſcripto habetur, & proinde eſt ac ſi purè inſtitutus eſſet hæres. §. 9. *inſt. h. t.*

Conditio propriè eſt caſus adjectus actum ſuſpendens propter incertum futurum eventum.

Sed latiùs accepto conditionis vocabulo conditio vel poſſibilis eſt, vel impoſſibilis.

Poſſibilis triplex eſt, poteſtativa, caſualis, & mixta.

Poteſtativa dicitur, quæ eſt in honorati poteſtate: veluti Titius hæres eſto, ſi in Capitolium aſcenderit.

Caſualis eſt, quæ non ab arbitrio honorati, ſed incerto planè eventu dependet: veluti ſi cras pluat, ſi Mævius conſul fiat.

Mixta eſt, quæ partim ab arbitrio honorati, partim aliundè dependet: veluti, Titius hæres eſto, ſi in Capitolium aſcenderit, Mævio conſule.

Impoſſibilis itidem triplex eſt; naturâ, jure ſeu moribus, & verborum perplexitate.

Natura impoſſibilis eſt, quæ per rerum naturam nequit impleri: veluti, ſi digito cœlum tangas. §. 21. *inſt. de inutil. ſtipulat.*

Jure ſeu moribus impoſſibilis eſt, quæ pietatem, verecundiam, exiſtimationem lædit, & contra bonos mores eſt: veluti, ſi nudus in foro ſaltaverit, ſi furtum fecerit. *l.* 15. *ff. de condit. inſtitution.*

Verborum proplexitate impoſſibilis conditio eſt, quæ exitum invenire nequit: veluti: ſi Titius hæres erit, Sejus hæres eſto, ſi Sejus hæres erit, Titius hæres eſto. *l.* 16. *ff. de condit. inſtit.*

Poſſibilis conditio inſtitutioni adjecta, regulariter implenda eſt; quamvis quibuſdam in caſibus remittatur à prætore, vel impleta fingatur vide *l.* 8. 27. *ff. de condit. inſtitut. l.* 14. 20. 28. *ff. de condit. & demonſt.* impoſſibiles naturâ vel moribus conditiones pro non ſcriptis habentur, ſic ut purè cenſeatur facta inſtitutio. §. 10. *h. t.* at verborum perplexitate impoſſibiles vitiant inſtitutionem. *l.* 16. *ff. de condit. & demonſtr.*

Po-

Poteſt autem teſtator vel ſimpliciter ſine partibus hæredes inſtituere, vel ſingulis partes aſſignare aſſis, id eſt totius hæreditatis, qui as à jure diviſus eſt in uncias duodecim, ſingulæque aſſis partes propria habent nomina ab unciâ uſque ad aſſem, puta, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx. §. 5. *h. t.* ſi teſtator plures quàm duodecim uncias aſſignaverit, recurrendum eſt ad dupondium continens uncias 24. vel tripondium continens uncias. 36. *l.* 17. §. 3. 4. 5. *ff. h. t.* quæ tamen omnia effectu inſpecto ad naturam aſſis reducuntur. §. 8. *h. t.* Si pauciores quàm duodecim uncias diſtribuerit, reliquæ accreſcent inſtitutis, quia nemo poteſt pro parte teſtatus & inteſtatus mori. §. 5. *h. t.*

TIT. XV.

De Vulgari Subſtitutione.

Subſtitutio eſt ſecundi vel ulterioris hæredis inſtitutio in locum prioris deficientis.

Et quadruplex eſt; vulgaris, pupillaris, quaſi pupillaris ſeu exemplaris, ac militaris.

Vulgaris eſt, quæ fit cuivis inſtituto à quovis teſtatore, in caſum, quo inſtitutus hæres non erit.

Atque hæc vel expreſſa eſt vel tacita.

Expreſſa eſt, quæ verbis expreſſis in teſtamento fit.

Tacita, quæ ſub expreſſa pupillari ſubſtitutione comprehenditur. *l.* 4. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit.*

Reciproca ſubſtitutio eſt, quâ plures inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur. Quamvis hæc non ſit nova ſpecies ſubſtitutionis, ſed potius per omnes ſubſtitutiones ambulet, ac in vulgari, pupillari, exemplari & militari locum habeat. §. 1. *h. t. junct. l.* 4. §. 2. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit.*

Vulgaris ſubſtitutio evaneſcit, inſtituto hæreditatem adeunte, nec ſubſtituto locus eſt regulariter, quamdiu inſtitutus adire poteſt. *l.* 69. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* excepto caſu §. *ult. h. t. & l.* 57. *ff. de hæred. inſtit.*

TIT.

Tit. XVI.

De Pupillari Subſtitutione.

Subſtitutio pupillaris eſt, quâ pater vel avus paternus [non mater] liberis impuberibus in poteſtate conſtitutis, nec in alterius poteſtatem recaſuris, inſtitutis vel exhæredatis, ſubſtituit in caſum, quo hæredes erunt, & intra pubertatem morientur. *pr. & §. 4. h. t. l. 2. ff. h. t.*

Et hæc quoque vel expreſſa eſt; vel tacita, quæ ſub expreſſa vulgari ſubſtitutione continetur. *l. 4. ff. h. t.*

Non aliter tamen valet pupillaris ſubſtitutio, quàm ſi pater ſibi quoque teſtamentum condiderit, vel eodem tempore, vel tempore anteriori. §. 5. *h. t. l.* 2. §. 4. 5. *ff. de vulg. & pup. ſubſt.*

Quaſi pupillaris ſeu exemplaris ſubſtitutio eſt, quâ pater vel mater liberis puberibus furioſis vel mente captis hæredibus inſtitutis ſubſtituit, in caſum quo hæredes erunt, & intra furorem vel amentiam morientur. §. 1. *h. t. l. 9. C. de impub. & aliis ſubſtit.*

Militaris ſubſtitutio eſt, quâ miles ex privilegio liberis & extraneis inſtitutis ultra pubertatem ſubſtituit, in caſum quo hæredes erunt & quandocumque vel intra certa tempora à teſtatore definita morientur, cujus ſubſtitutionis hic effectus eſt, quod ſubſtitutus capiat bona à milite ſubſtituente profecta, non item reliqua. *l. 15. ff. de vulg. & pup. ſubſt. l. 6. C. teſtam. milit.*

Tit. XVII.

Quibus modis teſtamenta infirmantur.

Teſtamenta vel nulla ſunt, vel injuſta ſeu non jure facta, vel rupta, vel irrita.

Teſtamentum nullum eſt, in quo ſuus hæres eſt præteritus. *pr. inſt. de exhared. liberor.*

Injuſtum ſeu non jure factum eſt, in quo deſunt juris ſolennitates. *l. 1. ff. de injuſt. rupt. irrito. teſtam.*

Ruptum dicitur, cùm in eodem ſtatu manente teſtatore, ipſius teſtamenti jus vitiatur: quod fit agnatione veri vel quaſi poſthumi, & mutatione voluntatis. §. 1. 2. *h. t.*

Irritum teſtamentum fit, cùm teſtator patitur capitis diminutionem, aut hæres non adit hæreditatem. §. 4. 6. *h. t. l. 1. ff. de injuſto rupt. irrit. teſtam.*

TIT.

Tit. XVIII.

De inofficioſo teſtamento.

TEſtamentum inofficioſum eſt, quod contra pietatis officia factum eſt. *pr. h. t. l. 4. ff. h t.*

Querela inofficioſi teſtamenti eſt actio in rem, quâ quis injuſtè exhæredatus petit teſtamentum tanquam inofficioſum reſcindi, & ſe hæredem declarari, ſibique hæreditatem reſtitui. *l. 21. §. 2. ff. h. t.*

Hæc querela primo loco competit liberis injuſtè exhæredatis à patre, præteritis à matre. His deficientibus datur parentibus tum exhæredatis tum præteritis. §. 1. 2. *h. t.* Si & hi deficiant, fratribus germanis ac conſanguineis, [non uterinis] conceditur; ſed ita demum, ſi turpis perſona juris vel facti infamiâ laborans ipſis prælata fuerit fraterno teſtamento. *l.* 27. C. *h. t.*

Cæterùm jure novo per querelam ſola reſcinditur inſtitutio, legatis aliiſque effectum ſortientibus. *nov.* 115. *c.* 3. *in fin.*

Legitima [quâ relictâ, querela non datur] eſt portio portionis ab inteſtato debitæ. Olim quarta, hodie triens, ſi quatuor ſint liberi vel pauciores; ſemis verò, ſi plures ſint quàm quatuor. *nov.* 18. *c.* 1.

Hanc verò legitimam jure novo titulo inſtitutionis [non item legati vel donationis] relinqui neceſſe eſt. *d. nov.* 115. *c.* 3. *in pr.* ut tamen in univerſum exhæredatio poſſit fieri, quoties juſtæ ſubſunt exhæredationis cauſæ, quæ in liberis exhæredandis ſunt quatuordecim, in parentibus octo, tres in fratribus. *nov.* 115. *c.* 3. 4.

Tit. XIX.

De hæredum qualitate & differentia.

HÆredes vel neceſſarii ſunt, vel ſui & neceſſarii, vel extranei.

Neceſſarii ſunt, ſervi à propriis dominis hæredes inſtituti ac ex teſtamento eorum hæreditatem ſimul & libertatem habentes. §. 1. *h. t.* §. 1. & *pr. inſt. de hæred. inſtit.*

Sui hæredes ſunt, qui proximum à teſtatore gradum in poteſtate obtinent, Qui jure quidem civili etiam erant hæredes neceſſarii

ceſſarii; ſed prætor iis dedit beneficium abſtinendi. §. 2. *h.* *t.*

Extranei hæredes ſunt omnes cæteri, qui nec ſui ſunt nec neceſſarii, quibus non aliter competit hæreditatis adeundæ facultas, quàm ſi teſtamenti factionem paſſivam tribus habuerint temporibus, puta tempore facti teſtamenti, mortis teſtatoris & aditæ hæreditatis, quamvis non noceat, ſi quis medio tempore inter conditum teſtamentum mortemque teſtatoris fuerit incapax. §. 4. *h. t.*

Aditio hæreditatis vel verbis fit, dum quis ſimpliciter verbis voluntatem hæreditatis ſuſcipiendæ declarat: vel re ſeu pro hærede geſtione, dum quis animo hæreditatis adeundæ contrectat res hæreditarias vel quas putat eſſe tales. §. *ult. h. t. l.* 20. *l.* 21. §. 1. *l.* 88. *ff. de acqui. vel omitt. hæred.*

Inſuper aditur hæreditas vel adhibito veteri jure deliberandi, vel confecto inventario. §. 3. 6. *h. t.*

Jus deliberandi eſt facultas hæredi conceſſa, ut intra conſtitutum tempus conſultare ac perquirere poſſit, utrùm adire velit nec ne.

Inventarium hìc eſt repertorium ſeu deſcriptio ſolemnis omnium bonorum defuncti: quod inchoandum eſt intra dies triginta à tempore ſcientiæ delatæ hæreditatis, & abſolvendum intra dies proximos ſexaginta; niſi patrimonium defuncti fuerit diſperſum, quo caſu anni ſpatium indultum eſt: citandi inſuper illi quorum intereſt, creditores & legatarii: adhibendus & tabellio ac teſtes fide digni tres, ac denique ſubſcribendum inventario per hæredem, aut per tabellionem pro eò, ſi ipſe literarum imperitus ſit. Quibus ita obſervatis hæres non tenebitur ultra vires hæreditarias, ac ex legatis falcidiam ſalvam habet, nec amittit ea, quæ ipſi à defuncto erant debita. *l. ult. per. tot. C. de jure deliberandi.*

TIT. XX.

De Legatis.

Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præſtanda. §. 1. *h. t.*

Legatorum olim quatuor erant genera; relinquebantur enim, per damnationem, per vindicationem, ſinendi modo, & per præceptionem. Sed jure novo exæquata fuit omnium legatorum natura; & peti poſſunt tribus actionibus, puta rei vindicatione, actione ex teſtamento, & actione hypotheca-

thecariâ. Quæ actiones quales ſint alibi dicendum. §. 2. *h. t.*

Si pluribus perſonis res eadem legetur, conjuncti appellantur. Poſſunt autem conjungi tripliciter; re tantùm, verbis tantùm, re & verbis ſimul. *l.* 89. *ff. legat.* 3.

Re tantùm conjuncti dicuntur, quibus una eademque res diverſis orationibus ſine partis mentione legatur: veluti, Titio fundum Cornelianum do lego, Mævio eundem fundum Cornelianum do lego. §. 8. *h. t.*

Verbis tantùm conjuncti ſunt, quibus unâ oratione res una eademque pro partibus relinquitur: veluti Titio & Mævio fundum Cornelianum æquis partibus do lego.

Re & verbis ſimul conjuncti ſunt quibus unâ eâdemque oratione una eademque res ſine partium mentione legatur: veluti, Titio & Mævio fundum Cornelianum do lego. *d.* §. 8. *h. t. d. l.* 89. *de legat.* 3.

Inter conjunctos re & verbis ſimul, & re tantùm, locum habet jus accreſcendi. *d.* §. 8. *h. t.* Non inter conjunctos verbis tantùm. Arg. *l.* 1. *&* 11. *ff. de uſufr. accreſc.*

Eſt autem jus accreſcendi, quo portio perſonæ deficientis accreſcit portioni non deficientis.

Legato adjici poteſt conditio, (de qua alibi actum) demonſtratio, & cauſa.

Demonſtratio eſt, peculiaris rei vel perſonæ deſcriptio. Quæ, ſi falſa ſit. non vitiat legatum. §. 30. *h. t.*

Cauſa eſt id, quod teſtatorem ad legandum movet, & legatum antecedit. Quæ ſi falſa ſit, itidem legatum non vitiat. §. 31. *h. t.*

Legatum pœnæ cauſâ relictum dicitur, quod relinquitur hæredis coërcendi gratiâ ut, vel ne quid faciat; & ſi contra fecerit, legatum præſtet: quale legatum olim non valebat, ſed jure novo ſuſtinetur ut conditionale, niſi probroſum quid aut turpe hæredi fuerit impoſitum. §. *ult. h. t.*

Poſſunt autem legari res propriæ teſtatoris & alienæ, quas hæres redimere tenetur; ſed domino vendere detrectante, præſtanda eſt æſtimatio. §. 4. *h. t.* inſuper res præſentes & futuræ, corporales, incorporales, nomina, ſervitutes, univerſitas gregis vel peculii, liberatio à debito, ipſum etiam debitum, modò plus ſit in legato quàm in debito; ipſa quoque dos per maritum rectè prælegatur uxori. §. 5. *& ſeqq. h. t.* Non tamen res extra commercium poſitæ; nec res ipſius legatarii, niſi ſub conditione. §. 4. *&* 10. *h. t.*

TIT.

TIT. XXI.

De ademtione & translatione legatorum.

ADemtio legatorum vel expreſſa eſt, vel tacita.

Expreſſa eſt, quæ verbis expreſſis fit in teſtamento vel codicillis: veluti, quod Titio legavi, non do non lego. *pr. h. t.*

Tacita eſt, quæ ex facto aliquo præſumitur: veluti alienatione voluntariâ rei legatæ, vel inimicitiis capitalibus inter teſtatorem & legatarium. *§. 12. inſt. de legatis. l. 3. in fine ff. de adim. vel transf. legat.*

Translatio legatorum fit, vel de perſonâ in perſonam, vel de re in rem, vel de caſu in caſum. *l. 6. ff. de adm. legat. §. 1. h. t.*

TIT. XXII.

De lege Falcidiâ.

LEge Falcidiâ cautum eſt, ne teſtator ultra dodrantem bonorum leget, & ut hæres ultra gravatus quartam bonorum partem ſibi ſalvam deducat: quæ appellatur quarta Falcidia. *pr. h. t.*

Bona autem dicuntur, quæcumque ex patrimonio ſuperſunt, deducto ære alieno. §. *ult. h. t. l. 39. §. 1. ff. de V. S.* eſtque inſpicienda hìc patrimonii quantitas, quæ fuit tempore mortis teſtatoris. §. 2. *h. t.*

Quartam hanc deducunt hæredes, ita ut in ſingulis falcidiæ ratio habeatur reſpectu partis ex qua hæredes ſunt. *§. 1. h. t.* at non legatarii; vel fidei-commiſſarii. *l. 47. §. 1. ff. h. t.*

Detrahitur ex legatis & fidei-commiſſis ſingularibus ex teſtamento vel ab inteſtato relictis. *l. 18. ff. h. t.* ut & in mortis cauſâ donationibus. *l. 5. C. h. t.* Ac donationibus inter virum & uxorem. *l. 12. C. h. t.* Non item in cæteris donationibus inter vivos.

Profectitium eſt, quod filiusf. à patre vel patris occaſione acquiſivit, quod in ſolidum patri cedit. §. 1. *h. t.*

Adventitium eſt, quod filiusf. neque militiæ armatæ aut togatæ, neque patris occaſione, ſed aliundè, acquiſivit; veluti ex ſucceſſione matris aut cognatorum &c.

Atque hoc vel plenum eſt, vel non plenum.

Plenum adventitium peculium dicitur, cujus proprietas & uſusfructus ad ipſum filiumf. pertinet. *nov.* 117. *c.* 1.

Non plenum, cujus proprietas ad filiumf. uſusfructus ad patrem ſpectat. §. 1. *h. t.*

Per ſervos autem pleno jure proprietatis noſtros omnia nobis acquiruntur, dominium etiam ignorantibus nobis & invitis, poſſeſſio plerumque ſcientibus, hæreditas verò nobis jubentibus. §. 3. *h. t.* At per ſervos fructuarios acquiſita cedunt fructuario, quoties ea operis ſuis vel ex re fructuarii quæſiverunt; reliqua ad proprietarium pertinent. §. 4. *h. t. l.* 21. 22. *ff. de uſufructu.*

Tit. X.

De teſtamentis ordinandis.

HÆreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. *l.* 62. *ff. de R. I.*

Et defertur vel ex teſtamento, vel ab inteſtato.

Teſtamentum (quaſi teſtatio mentis) eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. *l.* 1. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Et vel ſolenne eſt, vel minùs ſolenne ſeu privilegiatum.

Inſuper vel ſcriptum eſt, vel nuncupativum.

Scriptum dicitur quod per teſtatorem, aut alium ejus juſſu, in ſcripturam ab initio ſolenniter redactum eſt. Cujus requiſita ſunt, ut fiat unico contextu, coram ſeptem teſtibus idoneis, ſpecialiter rogatis, ſimul præſentibus, teſtatorem videntibus ſubſcribentibus, & ſignantibus ſuo vel alieno annulo; & ut teſtator ipſe ſubſcribat, vel alius pro eo. §. 3. *&* 5. *h. t. l.* 9. *C. de teſtamentis.* Teſtes inidonei ſunt fæminæ, ſervi, impuberes, furioſi, prodigi, mente capti, improbi & inteſtabiles, domeſtici, hæredes inſtituti; non tamen legatarii & fideicommiſſarii particulares. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *h. t.*

Nuncupativum teſtamentum eſt, cùm teſtator vivâ voce, coram ſeptem teſtibus, idoneis, ſpecialiter rogatis, ſimul præſentibus ac teſtatorem intelligentibus, unico contextu ſuam voluntatem declarat. §. *ult. h. t. l.* 21. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Digitized by Google

Minus ſolenne teſtamentum dicitur, in quo quædam ex requiſitis vulgo ſolennitatibus, per juris diſpoſitionem remiſſæ ſunt, quale eſt teſtamentum tempore peſtis conditum; in quo remiſſa ſimultanea teſtium præſentia. *l. 8. C. de teſtamentis* Ut &, ſi ruri condatur; in quo quinque ſufficiunt ſi plurium copia non ſit. *l. ult. C. de teſtamentis.* Inſuper teſtamentum patris inter liberos, in quo vel duo teſtes, vel nuda parentis ſcriptura ſufficit. *l. 21. §. 1. & auth. quod ſine C. de teſtamentis.* Præcipuè verò teſtamentum militare.

Tit. XI.

De militari teſtamento.

Teſtamentum militare eſt, quod militiæ, non domi, factum eſt ab eo, qui in numerum relatus ſtipendia meret, nullis obnoxium ſolennitatibus *pr. & §. 1. h. t.* ſi modò de voluntate ſerio prolata conſtet. *d. §. 1. h. t. l. 40. ff. h. t.*

Hujuſmodi teſtamenta valent uſque ad annum à miſſione honeſta vel cauſaria, non ignominioſa, licèt conditio teſtamento inſerta poſt annum demum extiterit. *§. 3. h. t. l. 26. ff. h. t.*

Miſſio honeſta eſt, quæ fit emeritis ſtipendiis.

Cauſaria quæ necdum emeritis ſtipendiis fit ex juſta cauſa, dum quis ex morbo, vulnere vel aliter inhabilis eſt redditus ad expeditionem.

Ignominioſa eſt, quâ miles ob delictum militiæ Sacramento ſolvitur. *d. l. 26. ff. h. t. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam.*

Tit. XII.

Quibus non eſt permiſſum facere teſtamenta.

Teſtamenti factio vel activa eſt, ſecundùm DD. vel paſſiva.

Activa teſtamenti factio eſt facultas condendi jure teſtamentum.

Paſſiva eſt facultas capiendi teſtamento relicta. §. 4. *inſt. de hæred. qual. & differ.*

Activam teſtamenti factionem habent patresf. puberes maſculi vel fæminæ: non filiif. niſi de caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio, nec impuberes, furioſi, mente capti, prodigi. *pr.* §. 1.

§. 1. 2. *h. t.* Muti & ſurdi non aliter, quàm ſi ſcribant ipſi voluntatem. *l.* 10. *C. qui teſt. fac. poſſ.* Cæci non niſi adhibito tabellione, vel octavo teſte, & voluntate nuncupatâ ac ſimul in ſcriptum redactâ. *l.* 8. *C. qui teſt. fac. poſſ.* Qui tamen omnes paſſivam teſtamenti factionem habent. *d.* §. 4. *inſt. de hæred. qual. & differ.*

Tit. XIII.

De exhæredatione liberorum.

Exhæredatio eſt ab hæreditate excluſio.

Et vel expreſſa eſt, quæ ſc. nominatim & verbis expreſſis fit; vel tacita; quâ ratione præteritio à matre vel avo materno, vel à milite facta, loco exhæredationis eſt. §. *pen. & ult. h. t.*

Liberi 1. vel ſui ſunt, vel emancipati 2. vel nati, vel poſthumi. 3. vel primi vel ulterioris gradûs. 4. vel legitimi & naturales ſimul, quales ſunt, qui ex juſtis nuptiis procreati; vel legitimi tantùm, quales adoptati & adrogati; vel naturales tantùm; vel ſpurii & inceſtuoſi & adulterini; de quibus alibi actum eſt

Poſthumi autem vel veri ſunt, vel quaſi poſthumi.

Veri poſthumi dicuntur, qui poſt mortem teſtatoris nati ſunt.

Quaſi poſthumi in genere ſunt, qui poſt conditum teſtamentum, aut teſtatoris captivitatem, nati, vel agnati ſunt. *l.* 29. *paſſim. ff. h. t. l.* 15. *ff. de injuſt. rup. irrit.*

Neceſſe autem eſt, liberos legitimos & naturales ſimul, maſculos & fœminas, natos & poſthumos, ſuos & emancipatos, per patrem inſtitui vel nominatim exhæredari; alioquin, ſuis jam natis præteritis teſtamentum foret ipſo jure nullum; poſthumi præteriti illud rumperent agnatione poſthumi vel quaſi; emancipati præteriti habituri eſſent bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *pr. &* §§. *ſeqq. h. t.* naturales planè liberi, ut & adoptati impunè à patre præteriti poſſunt, niſi adoptati ſint ab aliquo aſcendentium. *l.* 10. *C. de adoption.* Vel ab extraneo adrogati.

TIT.

Tit. XIV.

De hæredibus inſtituendis.

HÆredis inſtitutio eſt deſignatio ſucceſſoris in univerſum jus defuncti.

Et fieri poteſt vel purè, vel ſub conditione, non item ex die vel ad diem; & ſi dies ſit appoſitus, pro non ſcripto habetur, & proinde eſt ac ſi purè inſtitutus eſſet hæres. §. 9. *inſt. h. t.*

Conditio propriè eſt caſus adjectus actum ſuſpendens propter incertum futurum eventum.

Sed latiùs accepto conditionis vocabulo conditio vel poſſibilis eſt, vel impoſſibilis.

Poſſibilis triplex eſt, poteſtativa, caſualis, & mixta.

Poteſtativa dicitur, quæ eſt in honorati poteſtate: veluti Titius hæres eſto, ſi in Capitolium aſcenderit.

Caſualis eſt, quæ non ab arbitrio honorati, ſed incerto planè eventu dependet: veluti ſi cras pluat, ſi Mævius conſul fiat.

Mixta eſt, quæ partim ab arbitrio honorati, partim aliundè dependet: veluti, Titius hæres eſto, ſi in Capitolium aſcenderit, Mævio conſule.

Impoſſibilis itidem triplex eſt; naturâ, jure ſeu moribus, & verborum perplexitate.

Natura impoſſibilis eſt, quæ per rerum naturam nequit impleri: veluti, ſi digito cœlum tangas. §. 11. *inſt. de inutil. ſtipulat.*

Jure ſeu moribus impoſſibilis eſt, quæ pietatem, verecundiam, exiſtimationem lædit, & contra bonos mores eſt: veluti, ſi nudus in foro ſaltaverit, ſi furtum fecerit. *l. 15. ff. de condit. inſtitution.*

Verborum proplexitate impoſſibilis conditio eſt, quæ exitum invenire nequit: veluti: ſi Titius hæres erit, Sejus hæres eſto, ſi Sejus hæres erit, Titius hæres eſto. *l. 16. ff. de condit. inſtit.*

Poſſibilis conditio inſtitutioni adjecta, regulariter implenda eſt; quamvis quibuſdam in caſibus remittatur à prætore, vel impleta fingatur vide *l. 8. 27. ff. de condit. inſtitut. l. 14. 20. 28. ff. de condit. & demonſt.* impoſſibiles naturâ vel moribus conditiones pro non ſcriptis habentur, ſic ut purè cenſeatur facta inſtitutio. §. 10. *h. t.* at verborum perplexitate impoſſibiles vitiant inſtitutionem. *l. 16. ff. de condit. & demonſtr.*

Poſ

Poteſt autem teſtator vel ſimpliciter ſine partibus hæredes inſtituere, vel ſingulis partes aſſignare aſſis, id eſt totius hæreditatis, qui as à jure diviſus eſt in uncias duodecim, ſingulæque aſſis partes propria habent nomina ab unciâ uſque ad aſſem, puta, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx. §. 5. *h. t.* ſi teſtator plures quàm duodecim uncias aſſignaverit, recurrendum eſt ad dupondium continens uncias 24. vel tripondium continens uncias. 36. *l.* 17. §. 3. 4. 5. *ff. h. t.* quæ tamen omnia effectu inſpecto ad naturam aſſis reducuntur. §. 8. *h. t.* Si pauciores quàm duodecim uncias diſtribuerit, reliquæ accreſcent inſtitutis, quia nemo poteſt pro parte teſtatus & inteſtatus mori. §. 5. *h. t.*

TIT. XV.

De Vulgari Subſtitutione.

SUbſtitutio eſt ſecundi vel ulterioris hæredis inſtitutio in locum prioris deficientis.

Et quadruplex eſt; vulgaris, pupillaris, quaſi pupillaris ſeu exemplaris, ac militaris.

Vulgaris eſt, quæ fit cuivis inſtituto à quovis teſtatore, in caſum, quo inſtitutus hæres non erit.

Atque hæc vel expreſſa eſt vel tacita.

Expreſſa eſt, quæ verbis expreſſis in teſtamento fit.

Tacita, quæ ſub expreſſa pupillari ſubſtitutione comprehenditur. *l.* 4. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit.*

Reciproca ſubſtitutio eſt, quâ plures inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur. Quamvis hæc non ſit nova ſpecies ſubſtitutionis, ſed potius per omnes ſubſtitutiones ambulet, ac in vulgari, pupillari, exemplari & militari locum habeat. §. 1. *h. t. junct. l.* 4. §. 2. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit.*

Vulgaris ſubſtitutio evaneſcit, inſtituto hæreditatem adeunte, nec ſubſtituto locus eſt regulariter, quamdiu inſtitutus adire poteſt. *l.* 69. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* excepto caſu §. *ult. h. t. & l.* 57. *ff. de hæred. inſtit.*

TIT.

Tit. XVI.

De Pupillari Subſtitutione.

Subſtitutio pupillaris eſt, quâ pater vel avus paternus [non mater] liberis impuberibus in poteſtate conſtitutis, nec in alterius poteſtatem recaſuris, inſtitutis vel exhæredatis, ſubſtituit in caſum, quo hæredes erunt, & intra pubertatem morientur. *pr. & §. 4. h. t. l. 2. ff. h. t.*

Et hæc quoque vel expreſſa eſt; vel tacita, quæ ſub expreſſa vulgari ſubſtitutione continetur. *l. 4. ff. h. t.*

Non aliter tamen valet pupillaris ſubſtitutio, quàm ſi pater ſibi quoque teſtamentum condiderit, vel eodem tempore, vel tempore anteriori. *§. 5. h. t. l. 2. §. 4. 5. ff. de vulg. & pup. ſubſt.*

Quaſi pupillaris ſeu exemplaris ſubſtitutio eſt, quâ pater vel mater liberis puberibus furioſis vel mente captis hæredibus inſtitutis ſubſtituit, in caſum quo hæredes erunt, & intra furorem vel amentiam morientur. *§. 1. h. t. l. 9. C. de impub. & aliis ſubſtit.*

Militaris ſubſtitutio eſt, quâ miles ex privilegio liberis & extraneis inſtitutis ultra pubertatem ſubſtituit, in caſum quo hæredes erunt & quandocumque vel intra certa tempora à teſtatore definita morientur, cujus ſubſtitutionis hic effectus eſt, quod ſubſtitutus capiat bona à milite ſubſtituente profecta, non item reliqua. *l. 15. ff. de vulg. & pup. ſubſt. l. 6. C. teſtam. milit.*

Tit. XVII.

Quibus modis teſtamenta infirmantur.

Teſtamenta vel nulla ſunt, vel injuſta ſeu non jure facta, vel rupta, vel irrita.

Teſtamentum nullum eſt, in quo ſuus hæres eſt præteritus. *pr. inſt. de exhæred. liberor.*

Injuſtum ſeu non jure factum eſt, in quo deſunt juris ſolennitates. *l. 1. ff. de injuſt. rupt. irrito. teſtam.*

Ruptum dicitur, cùm in eodem ſtatu manente teſtatore, ipſius teſtamenti jus vitiatur: quod fit agnatione veri vel quaſi poſthumi, & mutatione voluntatis. *§. 1. 2. h. t.*

Irritum teſtamentum fit, cùm teſtator patitur capitis diminutionem, aut hæres non adit hæreditatem. *§. 4. 6. h. t. l. 1. ff. de injuſto rupt. irrit. teſtam.*

TIT.

Tit. XVIII.

De inofficioſo teſtamento.

TEſtamentum inofficioſum eſt, quod contra pietatis officia factum eſt. *pr. h. t. L.* 4. *ff. h. t.*

Querela inofficioſi teſtamenti eſt actio in rem, quâ quis injuſtè exheredatus petit teſtamentum tanquam inofficioſum reſcindi, & ſe hæredem declarari, ſibique hæreditatem reſtitui. *l.* 21. §. 2. *ff. h. t.*

Hæc querela primo loco competit liberis injuſtè exhæredatis à patre, præteritis à matre. His deficientibus datur parentibus tum exhæredatis tum præteritis. §. 1. 2. *h. t.* Si & hi deficiant, fratribus germanis ac conſanguineis, [non uterinis] conceditur; ſed ita demum, ſi turpis perſona juris vel facti infamiâ laborans ipſis prælata fuerit fraterno teſtamento. *l.* 27. *C. h. t.*

Cæterùm jure novo per querelam ſola reſcinditur inſtitutio, legatis aliiſque effectum ſortientibus. *nov.* 115, *c.* 3. *in fin.*

Legitima [quâ relictâ, querela non datur] eſt portio portionis ab inteſtato debitæ. Olim quarta, hodie triens, ſi quatuor ſint liberi vel pauciores; ſemis verò, ſi plures ſint quàm quatuor. *nov.* 18. *c.* 1.

Hanc verò legitimam jure novo titulo inſtitutionis [non item legati vel donationis] relinqui neceſſe eſt. *d. nov.* 115. *c.* 3. *in pr.* ut tamen in univerſum exhæredatio poſſit fieri, quoties juſtæ ſubſunt exhæredationis cauſæ, quæ in liberis exhæredandis ſunt quatuordecim, in parentibus octo, tres in fratribus. *nov.* 115. *c.* 3. 4.

Tit. XIX.

De hæredum qualitate & differentia.

HÆredes vel neceſſarii ſunt, vel ſui & neceſſarii, vel extranei.

Neceſſarii ſunt, ſervi à propriis dominis hæredes inſtituti ac ex teſtamento eorum hæreditatem ſimul & libertatem habentes. §. 1. *h. t.* §. 1. *& pr. inſt. de hæred. inſtit.*

Sui hæredes ſunt, qui proximum à teſtatore gradum in poteſtate obtinent, Qui jure quidem civili etiam erant hæredes neceſſarii

ceſſarii ; ſed prætor iis dedit beneficium abſtinendi. §. 2. *h. t.*

Extranei hæredes ſunt omnes cæteri , qui nec ſui ſunt nec neceſſarii, quibus non aliter competit hæreditatis adeundæ facultas , quàm ſi teſtamenti factionem paſſivam tribus habuerint temporibus , puta tempore facti teſtamenti , mortis teſtatoris & aditæ hæreditatis , quamvis non noceat , ſi quis medio tempore inter conditum teſtamentum mortemque teſtatoris fuerit incapax. §. 4. *h. t.*

Aditio hæreditatis vel verbis fit, dum quis ſimpliciter verbis voluntatem hæreditatis ſuſcipiendæ declarat : vel re ſeu pro hærede geſtione, dum quis animo hæreditatis adeundæ contrectat res hæreditarias vel quas putat eſſe tales. §. *ult. h. t. l.* 20. *l.* 21. §. 1. *l.* 88. *ff. de acqu. vel omitt. hæred.*

Inſuper aditur hæreditas vel adhibito veteri jure deliberandi, vel confecto inventario. §. 3. 6. *h. t.*

Jus deliberandi eſt facultas hæredi conceſſa , ut intra conſtitutum tempus conſultare ac perquirere poſſit , utrùm adire velit nec ne.

Inventarium hìc eſt repertorium ſeu deſcriptio ſolemnis omnium bonorum defuncti : quod inchoandum eſt intra dies triginta à tempore ſcientiæ delatæ hæreditatis , & abſolvendum intra dies proximos ſexaginta; niſi patrimonium defuncti fuerit diſperſum, quo caſu anni ſpatium indultum eſt : citandi inſuper illi quorum intereſt, creditores & legatarii : adhibendus & tabellio ac teſtes fide digni tres, ac denique ſubſcribendum inventario per hæredem , aut per tabellionem pro eò , ſi ipſe literarum imperitus ſit. Quibus ita obſervatis hæres non tenebitur ultra vires hæreditarias , ac ex legatis falcidiam ſalvam habet, nec amittit ea , quæ ipſi à defuncto erant debita. *l. ult. per. tot. C. de jure deliberandi.*

TIT. XX.

De Legatis.

Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præſtanda. §. 1. *h. t.*

Legatorum olim quatuor erant genera; relinquebantur enim, per damnationem, per vindicationem, ſinendi modo , & per præceptionem. Sed jure novo exæquata fuit omnium legatorum natura ; & peti poſſunt tribus actionibus , puta rei vindicatione , actione ex teſtamento , & actione hypo-

thecatiâ. Quæ actiones quales ſint alibi dicendum. §. 2. *h. t.*

Si pluribus perſonis res eadem legetur, conjuncti appellantur. Poſſunt autem conjungi tripliciter; re tantùm, verbis tantùm, re & verbis ſimul. *l.* 89. *ff. legat.* 3.

Re tantùm conjuncti dicuntur, quibus una eademque res diverſis orationibus ſine partis mentione legatur: veluti, Titio fundum Cornelianum do lego, Mævio eundem fundum Cornelianum do lego. §. 8. *h. t.*

Verbis tantùm conjuncti ſunt, quibus unâ oratione res una eademque pro partibus relinquitur: veluti Titio & Mævio fundum Cornelianum æquis partibus do lego.

Re & verbis ſimul conjuncti ſunt quibus unâ eâdemque oratione una eademque res ſine partium mentione legatur: veluti, Titio & Mævio fundum Cornelianum do lego. *d.* §. 8. *h. t. d. l.* 89. *de legat.* 3.

Inter conjunctos re & verbis ſimul, & re tantùm, locum habet jus accreſcendi. *d.* § 8. *h. t.* Non inter conjunctos verbis tantùm. Arg. *l.* 1. *&* 11. *ff. de uſufr. accreſc.*

Eſt autem jus accreſcendi, quo portio perſonæ deficientis accreſcit portioni non deficientis.

Legato adjici poteſt conditio, (de qua alibi actum) demonſtratio, & cauſa.

Demonſtratio eſt, peculiaris rei vel perſonæ deſcriptio. Quæ, ſi falſa ſit, non vitiat legatum. §. 30. *h. t.*

Cauſa eſt id, quod teſtatorem ad legandum movet, & legatum antecedit. Quæ ſi falſa ſit, itidem legatum non vitiat. §. 31. *h. t.*

Legatum pœnæ cauſâ relictum dicitur, quod relinquitur hæredis coërcendi gratiâ ut, vel ne quid faciat; & ſi contra fecerit, legatum præſtet: quale legatum olim non valebat, ſed jure novo ſuſtinetur ut conditionale, niſi probroſum quid aut turpe hæredi fuerit impoſitum. §. *ult. h. t.*

Poſſunt autem legari res propriæ teſtatoris & alienæ, quas hæres redimere tenetur; ſed domino vendere detrectante, præſtanda eſt æſtimatio. §. 4. *h. t.* inſuper res præſentes & futuræ, corporales, incorporales, nomina, ſervitutes, univerſitas gregis vel peculii, liberatio à debito, ipſum etiam debitum, modò plus ſit in legato quàm in debito; ipſa quoque dos per maritum rectè prælegatur uxori. §. 5. *& ſeqq. h. t.* Non tamen res extra commercium poſitæ; nec res ipſius legatarii, niſi ſub conditione. §. 4. *&* 10. *h. t.*

TIT.

Tit. XXI.

De ademtione & translatione legatorum.

Ademtio legatorum vel expreſſa eſt, vel tacita.

Expreſſa eſt, quæ verbis expreſſis fit in teſtamento vel codicillis: veluti, quod Titio legavi, non do non lego. *pr. h. t.*

Tacita eſt, quæ ex facto aliquo præſumitur: veluti alienatione voluntariâ rei legatæ, vel inimicitiis capitalibus inter teſtatorem & legatarium. *§. 12. inſt. de legatis. l. 3. in fine ff. de adim. vel transf. legat.*

Translatio legatorum fit, vel de perſonâ in perſonam, vel de re in rem, vel de caſu in caſum. *l. 6. ff. de adm. legat. §. 1. h. t.*

Tit. XXII.

De lege Falcidiâ.

Lege Falcidiâ cautum eſt, ne teſtator ultra dodrantem bonorum leget, & ut hæres ultra gravatus quartam bonorum partem ſibi ſalvam deducat: quæ appellatur quarta Falcidia. *pr. h. t.*

Bona autem dicuntur, quæcumque ex patrimonio ſuperſunt, deducto ære alieno. §. *ult. h. t. l.* 39. §. *1. ff. de V.* S. eſtque inſpicienda hìc patrimonii quantitas, quæ fuit tempore mortis teſtatoris. §. 2. *h. t.*

Quartam hanc deducunt hæredes, ita ut in ſingulis falcidiæ ratio habeatur reſpectu partis ex qua hæredes ſunt. *§. 1. h. t.* at non legatarii; vel fidei-commiſſarii. *l. 47. §. 1. ff. h. t.*

Detrahitur ex legatis & fidei-commiſſis ſingularibus ex teſtamento vel ab inteſtato relictis. *l. 18. ff. h. t.* ut & in mortis causâ donationibus. *l. 5. C. h. t.* Ac donationibus inter virum & uxorem. *l. 12. C. h. t.* Non item in cæteris donationibus inter vivos.

Tit. XXIII.

De fidei-commiſſariis hæreditatibus, & ad Senatuſconſultum Trebellianum.

Fidei-commiſſum eſt quod verbis obliquis ſeu precariis ultimâ voluntate relinquitur.

Et vel univerſale eſt, vel ſingulare.

Univerſale eſt, quo hæres vel totam hæreditatem vel partem hæreditatis, quâ talis, rogatur alteri reſtituere, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuccedat. §. 2. *&* 10. *h. t.* idque vel purè, vel ſub conditione, vel ex certo die. *d.* §. 2. *h. t. in fine.*

Unde & alius hæres fiduciarius eſt, alius fidei-commiſſarius.

Fiduciarius eſt, qui rogatus eſt hæreditatem reſtituere.

Fidei-commiſſarius, cui ex fideicommiſſo eſt reſtituta hæreditas.

Senatuſconſulto Trebelliano, (poſtquam ea, quæ in Pegaſiano Senatuſc. utilia erant, in Trebellianum fuerunt translata) cautum eſt, ut hæres fiduciarius univerſali fidei-commiſſo gravatus, quartam partem portionis ex qua hæres eſt, ſalvam habeat, aut deducat, diviſis pro rata inter fiduciarium ac fidei-commiſſarium oneribus hæreditariis. Quæ quarta Trebellianica appellatur à DD. & ſi fiduciarius adire nolit, per fidei-commiſſarium cogi poſſit, ut adeat & reſtituat ſine lucro vel damno, ſic ut quartam tunc non deducat. §. 7. *h. t.*

Imputantur autem in hanc quartam ea omnia, quæ hæres habet ex judicio teſtatoris. *l.* 22 §. 2. *ff. h. t.*

Tit. XXIV.

De ſingulis rebus per Fideicommiſſum relictis.

Fideicommiſſum ſingulare eſt, quo hæres vel legatarius vel Fideicommiſſarius rogatur res ſingulares alteri reſtituere vel præſtare. In quo illud obſervandum, ne quis gravetur Fideicommiſſo ultra, quàm eſt honoratus.

De cætero idem fere in Fideicommiſſis ſingularibus receptum eſt, quod in legatis, ratione rerum quæ relinquuntur, ac perſonarum, quibus relinquitur.

Tit. XXV.

De Codicillis.

Codicilli ſunt teſtati vel inteſtati voluntas minus ſolennis.

Conduntur autem per eos, qui & teſtamenta de jure facere poſſunt. *l. 6. §. 3. ff. h. t.* adhibitis quinque teſtibus ſimul præſentibus; & eorum ſubſcriptione, ſi in ſcriptis Codicilli fiant. *l. ult. in fin. C h t.*

Si ab inteſtato relicti ſint, per ſe ſubſiſtunt: ſin ex teſtamento, inde dependent, & jus ejus ſequuntur. *l. 16. ff. h. t.*

Clauſula Codicillaris hâc vel ſimili formulâ concipitur: ſi non valeat hæc mea voluntas ut teſtamentum, valeat ut Codicillus vel ut mortis causâ donatio, vel alio quocunque meliore modo. Vide. *l. 29. §. 1. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l pen. §. ult. ff. de legat. 2.*

Cæterùm Codicillis hæreditas directò nec dari nec adimi poteſt, nec conditio hæredi ſcripto apponi: fideicommiſſo tamen hæreditas in Codicillis jure relinquitur. *§ pen. h. t.*

LIBER III.

Tit. I. *& ſeqq.*

De Hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur &c.

Succeſſio ab inteſtato, (quæ & legitima dicitur) eſt quam lex ſine facto hominis defert in bona inteſtati: primo quidem loco deſcendentibus; ſecundo aſcendentibus; tertio collateralibus agnatis vel cognatis *novell.* 118. *c.* 1. 2. 3. quarto viro vel uxori ſuperſtiti. *tit. ff. & Cod. unde vir. & uxor.* ac his quoque deficientibus, fiſco, qui tunc ſuccedit tanquam in bona vacantia: niſi defunctus fuerit liciti ac privilegiati alicujus collegii membrum, vel ſocius liberalitatis imperialis, etenim collegium in omnibus defuncti bonis, ſocius liberalitatis in rebus donatis fiſco præfertur. *tit. C. ſi liberalitatis imperial. ſocius ſine hærede deceſſ. tit. C. de hæredit. decurionum &c.*

Liberos quod ſpectat, ſi legitimi & naturales ſimul ſint, patri ac matri ſuccedunt: in capita quidem, ſi primi gradûs ſint, in ſtirpes verò, ſi gradûs remotioris. *d. nov.* 118. *c.* 1. ſi naturales tantùm, matri quidem ſuccedunt una cum legitimè natis, at non patri, niſi is legitimâ prole careat, quo caſu naturales ei ſuccedunt in ſextantem hæreditatis cum matre dividendum. *nov.* 89. *c.* 12. §. 4. idemque in ſpuriis liberis obtinet ratione ſucceſſionis maternæ, niſi mater illuſtris fuerit. *l.* 5. *C. ad SConſult. Orfitian.*

Quod ſi lineæ aſcendenti deferatur ſucceſſio, cum proximis aſcendentibus ſimul admittuntur fratres germani, [non conſanguinei vel uterini] & aliorum germanorum prædefunctorum liberi: ſic ut parentes & fratres in capita, fratrum verò liberi cùm his concurrentes in ſtirpes ſuccedant. *nov.* 118. *c.* 2. *nov.* 127. *c.* 1. de cætero aſcendens proximior excludit remotiorem, & ſi plures aſcendentes in pari gradu ſint, in duas partes dividenda defuncti hæreditas, ſic ut pars una cedat aſcendentibus lineæ paternæ, altera lineæ maternæ, licèt diſpar ſit numerus eorum. *auth. defuncto, ad SConſ. Tertullian.*

In linea collaterali primo loco ſuccedunt fratres germani eorumque liberi, excluſis fratribus conſanguineis & uterinis, & liberi quidem fratrum ſoli exiſtentes in capita vocantur; ſed ſi cum thiis ſeu patruis ſuis concurrant in ſtirpes. His deficientibus locus eſt fratribus conſanguineis & uterinis ſimul, eorumque liberis, eo modo quo & germani eorumque liberi admittuntur: poſt hos veniunt omnes à latere cognati, ac agnati, ſublatâ inter agnatos ac cognatos differentiâ; ita ut proximior excludat remotiorem, & pares gradu pariter admittantur, idque in capita. *d. nov.* 118. *c.* 3.

Notandum namque ſucceſſionem ab inteſtato fieri vel in ſtirpes, vel in capita, vel in lineas.

Succeſſio in ſtirpes eſt, quæ fit jure repræſentationis.

Jus verò repræſentationis eſt juris fictio, quâ gradu remotiores ſubintrant in locum proximioris defuncti. Et habet locum in linea deſcendente in infinitum; in collaterali uno tantùm caſu, cùm fratrum liberi cum ſuis thiis ſeu patruis ſuperſtitibus concurrunt ad ſucceſſionem patrui defuncti. *nov.* 118. *c.* 3. in linea aſcendente nunquam.

Succeſſio in capita eſt; quà ſecundùm perſonarum ſuccedentium numerum hæreditas viritim tribuitur illis, qui ejuſdem gradûs ſunt, excluſis gradu remotioribus. *d. nov.* 118. *c.* 3. *in fine.* Quæ locum habet in liberis primi gradûs parenti ſucceden-

dentibus, ut & parentibus primi gradûs liberis ſuis ſuccedentibus, ac regulariter in lineæ collateralis ſucceſſione.

Succeſſio in lineas eſt, quâ hæreditatis pars una lineæ paternæ, altera maternæ per leges datur. Quæ locum habet in aſcendentibus ſecundi vel ulterioris gradûs, ut ante dictum.

Obtinuit inſuper ſucceſſio ex jure prætorio per bonorum poſſeſſionem.

Eſt autem bonorum poſſeſſio jus perſequendi vel retinendi patrimonii ſive rei, quæ cujuſque, cùm moreretur, fuit. *l.* 3, §. 2. *ff. de bon. poſſeſſion.*

Ac primò dividitur in edictalem & decretalem.

Edictalis eſt, quæ de plano ſine cauſæ cognitione ex ipſo edicto conceditur & agnoſcitur.

Decretalis eſt, quæ prævia accuratiore cauſæ cognitione datur: veluti ex Carboniano edicto.

Secundò, vel ex teſtamento defertur bonorum poſſeſſio, vel ab inteſtato.

Ex teſtamento iterum duplex eſt; puta, vel contra tabulas, quæ liberis emancipatis præteritis aliiſque datur; vel ſecundùm tabulas, quæ datur hæredibus ſcriptis teſtamento tali, quod per agnationem quaſi poſthumi vel capitis diminutionem minimam teſtatoris infirmatum erat, ſi deinde poſthumus ante teſtatorem moriatur, vel teſtator rurſus ſui juris factus decedat.

Ab inteſtato bonorum poſſeſſio quadruplex jure inſtitutionum remanſit: ſc. unde liberi; unde legitimi; unde cognati; unde vir & uxor. Quibus ex jure veteri aliæ quatuor adjectæ erant, poſtea ſublatæ; puta, unde decem perſonæ; tanquam ex familia; unde patroni; unde cognati extranei manumiſſoris.

TIT. XIV.

De Obligationibus.

Obligatio in genere eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ.

Et vel naturalis eſt, vel naturalis & civilis ſimul.

Naturalis eſt, quæ ſolo nititur æquitatis naturalis vinculo, exceptionem & retentionem, non actionem jure civili efficacem, producens. *l.* 95. §. 4. *ff. de ſolution. l.* 10. *ff. de oblig. & act.*

Habet tamen obligatio naturalis varios effectus in jure; nam quod ita debetur, novari poteſt. *l.* 1. *in fin. ff. de novat.*

in conſtitutum deduci. *l.* 1. §. 7. *ff. de conſtit. pec.* compenſari. *l.* 6. *ff. de compenſ.* pignora admittere. *l.* 5. *ff. de pign. & hypoth.* ut & fidejuſſores. §. 1. *inſtit. de fidejuſſ.*

Naturalis & civilis ſimul eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundùm noſtræ civitatis jura, actionem efficacem pariens. *pr. h. t.*

Conſtituit & obligationem merè civilem, quæ ſtricto quidem ſeu ſummo jure actionem civilem parit, ſed exceptione elidi poteſt: quæ proinde revera & effectu inſpecto obligatio non eſt. *l.* 3. §. 1. *ff. de conſt. pec.*

Dividitur autem obligatio naturalis & civilis ſimul, in civilem in ſpecie, & prætoriam.

Civilis in ſpecie eſt, quæ ex legibus aut alio jure civili deſcendit.

Prætoria verò, quam prætor ex ſua juriſdictione introduxit. §. 1. *h. t.*

Adhæc obligatio vel ex contractu naſcitur, vel quaſi contractu, vel maleficio, vel quaſi maleficio, vel aliis ſimilibus cauſarum figuris; puta pactis jure civili vel prætorio confirmatis. §. 2. *h. t. l.* 1. *ff. de obl. & action.*

Genus autem pactorum & contractuum eſt conventio: quæ eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, de re danda facienda vel præſtanda. *l.* 1. §. 2. *ff. de pactis.*

Pactum eſt conventio de re danda facienda vel præſtanda, cui non ſubeſt obligandi cauſa ex jure civili per ſe & ſua natura.

Et vel nudum eſt, vel non nudum ſeu veſtitum.

Pactum nudum eſt, quod in nudis & ſimplicibus conventionis terminis conſiſtit, ſolam naturalem pariens obligationem, non actionem. *l.* 7. *pr. &* §. 4. *ff. de pactis.*

Non nudum pactum eſt cui ultra ſimplices fines conventionis vis aliqua civiliter & efficaciter obligandi extrinſecus accedit: idque vel à jure prætorio, ut in conſtituto & hypotheca, vel à jure civili, ut in donatione aliiſque; vel à contractu bonæ fidei, cui pactum in continenti adjectum parit actionem. *l.* 6. *l.* 7. §. 5. *ff. de pactis.*

Contractus eſt conventio, de re danda facienda vel præſtanda, cui ſubeſt civiliter obligandi cauſa ex ſe & ſua natura. *l.* 7. §. 1. 2. *ff. de pactis.*

Dividuntur verò contractus in nominatos & innominatos.

Innominati ſunt, qui quidem obligandi cauſam habent, quibus tamen ſpeciale nomen à jure civili non eſt impoſitum; quales enumerantur quatuor; do ut des, do ut facias, facio ut

ut des, & facio ut facias: ex quibus actio præſcriptis verbis datur *d. l. 7. §. 2. ff. de pactis. l. 5. ff. de praſcript. verb.*

Nominati dicuntur, quibus certum ac ſpeciale nomen à jure eſt impoſitum, nec conſiſtunt in nomine generis: ut emptio, commodatum &c. *d. l. 7. §. 1.*

Nominati autem vel re conſtant, vel verbis, vel literis, vel conſenſu. *§. ult. h. t.*

TIT. XV.

Quibus modis re contrahitur obligatio

Contractus re conſtantes appellantur, ad quorum perfectionem præter conſenſum eſt neceſſaria rei traditio. Et quatuor enumerantur; mutuum, commodatum, depoſitum, & pignus. *l. 1. §. 2. & ſeqq. ff. de obl. & act.*

Mutuum eſt contractus ſtricti juris re conſtans, quo res fungibilis alteri datur eâ lege, ut eadem in genere, ſeu res ejuſdem quantitatis & qualitatis reſtituatur. *pr. h. t. d. l. 1. §. 2.*

Hinc actio naſcitur, quæ appellatur certi condictio ex mutuo: & eſt actio perſonalis ſtricti juris, competens creditori mutuanti, contra debitorem mutuatarium, ad id, ut res eadem in genere, ſeu ejuſdem quantitatis & qualitatis reſtituatur. *d. pr. h. t. d. l. 1. §. 2. l. 2. pr. & §. 1. ff. de reb. credit.*

Certum autem in jure dicitur peti, cùm apparet, quid, quale quantumque ſit quod petitur. Incertum verò, de quo id non conſtat. *l. 6. ff de reb. creditis.*

Indebitum duplex eſt; vel indebitum naturaliter & civiliter ſimul, adeòque nullo jure debitum: vel indebitum civiliter naturaliter verò debitum; quale eſt quod ex nudo pacto debetur.

Indebitum autem accipiens non ex vero, ſed quaſi contractu obligatur. *§. 1. h. t. §. pen. inſt. de oblig. ex quaſi contractu.*

Ex indebito ſoluto naſcitur condictio indebiti, quæ eſt actio perſonalis ſtricti juris ex quàſi contractu, competens ei, qui id, quod nullo jure debebatur, per errorem facti, non juris ſolvit; adverſus accipientem, ad id, ut reſtituatur indebitè ſolutum unà cum acceſſionibus *§. 1. h. t.*

Ceſſat hæc condictio, ſi ſubſit naturale debitum *l. 13. ff. de condict. indeb.* Si quis ſciens indebitum ſolverit. *l. 53. R. J.* vel lapſus errore, non facti, ſed juris, *l. 10. C. de jur. & fact. igno*

ignorantia. Vel ex ea cauſa, in qua ex inficiatione lis creſcit in duplum. §. *ult. inſt. de oblig. ex quaſi contractu.*

Commodatum eſt contractus bonæ fidei re conſtans, quo res non fungibilis alteri gratis ad certum tempus & modum utenda traditur, eâ lege, ut finito uſu vel tempore reſtituatur res eadem in ſpecie. §. 2. *h. t. d. l.* 1. §. 3. *&* 4. *ff. de oblig. & act.*

Hinc naſcitur actio commodati directa & contraria.

Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens commodanti adversùs commodatarium, ad id ut res finito uſu vel tempore reſtituatur incorrupta, ac præſtetur dolus & omnis culpa, non caſus. *d.* §. 2. *h. t. l.* 5. §. 2. *& ſeqq. ff. commodati.*

Contraria actio commodati itidem perſonalis eſt, competens commodatario contra commodantem, in genere ad id, ut indemnis ſervetur, dum fortè impenſas fecit, aut damnum ex vitio rei vel intempeſtiva revocatione paſſus eſt. *l.* 18. §. 2. 3. *l. pen. ff. commodati.*

Depoſitum eſt contractus bonæ fidei re conſtans, quo res alteri gratis cuſtodienda traditur, eâ lege, ut quandocunque reſtituatur eadem in ſpecie. §. 3. *h. t.*

Depoſitum vel ſimplex eſt jam definitum; vel miſerabile, vel ſequeſtrarium.

Miſerabile depoſitum eſt, cùm res incendii, ruinæ, tumultûs, vel naufragii causâ deponitur ex neceſſitate: in quo id ſingulare, quod ex inficiatione lis creſcat in duplum. *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. ff. depoſiti.*

Sequeſtrarium depoſitum eſt, quo res litigioſa à litigantibus vel judice ex partium conſenſu penes tertium deponitur, eâ lege, ut poſt litis eventum victori reſtituatur. *l.* 6. *l.* 17. *ff. depoſiti.*

Ex depoſito naſcitur actio depoſiti directa & contraria.

Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens deponenti contra depoſitarium, ad id ut res reſtituatur cum acceſſionibus, & præſtetur dolus ac lata culpa. §. 3. *h. t. l.* 1. §. 5. *ff. de obl. & act.*

Neque ſtandum eſt pacto, quo id actum, ut demum poſt tempus reddatur depoſitum. *l.* 1, §. 45. 46. *ff. depoſiti.*

Contraria eſt actio perſonalis, competens depoſitario adversùs deponentem, ad id, ut indemnis ſervetur, dum impenſas fecit, vel damnum ex re depoſita paſſus eſt. *l.* 5. *l.* 23. *ff. h. t.*

Pignus

Pignus eſt contractus bonæ fidei, re conſtans, quo creditori res traditur in ſecuritatem crediti, eâ lege, ut ſoluto toto debito, res eadem in ſpecie reſtituatur. §. *ult. h.t.*

Ex pignore datur actio pignoratitia directa & contraria.

Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens ei, qui pignus dedit, adversùs creditorem qui pignus accepit, ad id ut pignus ſoluto debito reſtituatur, & creditor præſtet dolum, latam & levem culpam. §. *ult. h. t. l.* 9. §. 3. *ff. de pign. act. l.* 5. §. 2. *ff. commodati, l.* 23. *ff. R. J.*

Contraria eſt actio perſonalis, competens creditori, adversùs eum qui pignus dedit, ad id, ut indemnis ſervetur, ſi fortè impenſas fecerit, aut damnum paſſus ſit, aut rem alienam vel alteri obligatam vel æs pro auro deceptus pignori acceperit. *l.* 1. §. *ult. l.* 8. *l.* 9. *l.* 16 §. 1. *l.* 25. 31. 36. *ff. de pign. act.*

Tit. XVI.

De verborum obligationibus.

Stipulatio eſt contractus civilis verbis conſtans, ſeu verborum obligatio, quâ quis ad interrogationem alterius ſe daturum vel facturum congruè reſpondet.

Ex ſtipulatione naſcitur vel certi condictio, ſi res certa in ſtipulatum ſit deducta; vel actio ex ſtipulatu, ſi incerta: utraque competens ſtipulanti adversùs promittentem, ad id quod ſtipulatione comprehenſum eſt, vel id quod intereſt. *pr. h. t.*

Stipulatio vel pura eſt; quæ ſimpliciter ſine die vel conditione concepta eſt, in qua dies obligationis ſtatim cedit & venit. §. 2. *h. t.* Vel in diem concepta; cui dies eſt adjectus; in qua dies obligationis ſtatim quidem cedit, venit autem demum lapſo die adjecto, ſic ut totus ille dies ſit arbitrio promiſſoris. *d.* §. 2. *h. t. pen. inſt. de inutil. ſtipul.* Vel denique conditionalis; quæ ſub conditione concepta eſt: in qua dies obligationis cedit & venit demum exiſtente conditione. §. 4. *h. t.* Si tamen conditio impoſſibilis adjecta fuerit, tota vitiatur ſtipulatio. *l.* 31. *ff. de obl. & act.*

Dies *cedere* dicitur, cùm quid incipit deberi: *Venire* verò, cùm quid incipit poſſe peti. *l.* 213. *ff. de V. S.*

Adhæc ſtipulationes vel rerum ſunt, vel factorum.

Stipulationes rerum ſunt, quæ in dando conſiſtunt.

Dare autem eſt dominium transferre.

Facti ſtipulatio ſi concepta ſit, promiſſor liberari poteſt

præ-

præſtando id quod intereſt. *l. 13. in fin. ff. de re judic.* unde conſultum eſt, ſtipulationi facti ſubjicere pœnæ ſtipulationem. *§. ult. h. t.* quæ pæna tunc peti poteſt, licèt nihil interſit. *l. 38. §. 17 ff. de verb. oblig.*

Tit. XVII.

De duobus reis ſtipulandi & promittendi.

Duo rei ſtipulandi, ſeu credendi ſunt, cùm plures, in ſolidum ſinguli, uno eodemque tempore rem eandem ſtipulantur principaliter, eâ mente, ut ſinguli quidem rem totam exigant, omnes tamen unam tantùm. *pr. & § 1. h. t. l. 2. ff. h. t.*

Duo rei promittendi ſeu debendi ſunt, cùm plures, in ſolidum ſinguli, uno eodemque tempore, rem eandem promittunt principaliter, eâ mente, ut ſinguli quidem rem totam debeant, omnes tamen unam tantùm. *d. pr. & §. 1. h. t. d. l. 2. ff. h. t.*

Hinc ſinguli in ſolidum agere vel conveniri poſſunt; & ſi unus ſolidum ſolverit, vel acceptilatione aut novatione liberatus ſit, reliqui etiam deſinunt obligati eſſe; vel ſi uni ſolutum ſit, aut is accepto tulerit novaveritve, reliquis ſtipulandi reis perit obligatio. *d. l. 2. ff. h. t. d. §. 1. h. t. l. 31. §. 1. ff. de novation.*

Tit. XVIII.

De ſtipulationibus ſervorum.

Stipulationes vel hominum liberorum ſunt, vel ſervorum etiam hæreditariorum.

Servus hæreditarius eſt qui necdum aditâ domini defuncti hæreditate, ad ipſam hæreditatem jacentem, defunctum repræſentantem, pertinet. *pr. h. t.*

Servi, quomodocumque ſtipulentur, acquirunt dominis, *§. 1. h. t.* & ſi plures ſint domini, ſingulis pro rata portione dominii, niſi unius domini juſſu, vel ex re unius domini ſtipulentur, aut res uni ex dominis acquiri nequeat, *§. ult. h. t. l. ult. C. per quas perſon. cuique acquir.*

TIT.

Tit. XIX.

De diviſione ſtipulationum.

Stipulationes vel judiciales ſunt, vel prætoriæ, vel conventionales, vel communes.

Judiciales ſunt, quæ à mero judicis officio proficiſcuntur: veluti cautio de dolo, & de perſequendo ſervo qui in fuga eſt reſtituendove pretio. §. 1. *h. t.*

Prætoriæ, quæ à mero prætoris officio proficiſcuntur; ſeu, quas prætor quà prætor jubet interponi: veluti cautio damni infecti, aut legatorum nomine §. 2. *h. t.*

Damnum infectum dicitur, quod nondum factum eſt, ſed fieri metuitur.

Conventionales ſunt, quæ ex mera voluntate contrahentium interponuntur. §. 3. *h. t.*

Communes ſunt, quæ quandoque à judicis, quandoque à prætoris officio proficiſcuntur; ſeu, quas aliquando prætor, aliquando judex jubet interponi: ut cautio de rato, & rem pupilli ſalvam fore. §. 4. *h. t.*

Tit. XX.

De inutilibus ſtipulationibus.

Stipulationes vel utiles ſunt vel inutiles.

Inutiles ſunt vel ratione materiæ, vel ratione formæ, vel ratione cauſæ efficientis, vel ratione finis.

Ratione materiæ; dum quis rem commercio ſuo de jure aut de facto exemtam, aut rem ſuam propriam ſtipulatur, vel factum tertii promittit §. 1. 2. 3. *h t.*

Ratione formæ; quoties reſponſio non convenit interrogationi, vel inter abſentes fit ſtipulatio, vel non ſibi ſed tertio quis ſtipulatur §. 4. 5. 12. *h t.*

Ratione cauſæ efficientis, dum furioſus, mente captus, infans, mutus, ſurdus ſtipulatur aut promittit, vel inter patrem & filiumf. dominum & ſervum concipitur ſtipulatio, §. 6. 7. 8. 9. 10. *h. t.*

Ratione finis; dum naturâ vel moribus impoſſibilis conditio de futuro apponitur ſtipulationi. §. 11. *h. t. l.* 31. *ff. de obl. & action.*

TIT.

Tit. XXI.

De fidejuſſoribus.

Fidejuſſor eſt, qui alienam obligationem mediante ſtipulatione in ſe recipit, reo principali manente obligato.

Ex promiſſor eſt, qui alienam obligationem mediante ſtipulatione in ſe recipit, reo principali liberato.

Accedere poteſt fidejuſſor omni obligationi, naturali ac civili ſimul, & naturali tantùm. *§. 1. h. t.* Sive obligatio naſcatur ex contractu, ſive ex delicto ad pœnam pecuniariam. *l. 70. §. ult. ff. h. t.* Non item, ſi ad pœnam corporalem, niſi quatenus agitur de reo criminis ſiſtendo. *l. 1. ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

In fidejuſſorum favorem tria ſunt introducta beneficia, ordinis ſeu excuſſionis, diviſionis, & cedendarum actionum.

Ordinis ſeu excuſſionis beneficium, à Juſtiniano introductum, eſt, quo oppoſito, fidejuſſor ante debitorem principalem conventus, à creditore petit, ut prius excutiatur principalis debitor. *nov. 4. c. 1.*

Diviſionis beneficium, epiſtolâ D. Hadriani introductum, eſt, quo oppoſito, unus ex pluribus confidejuſſoribus ejuſdem debiti, ſolus in ſolidum conventus, petit, ne ultra portionem virilem condemnetur: modò reliqui ſolvendo ſint tempore litis conteſtatæ. *§. 4. h. t. l. 49. §. 1. ff. h. t.*

Cedendarum actionum beneficium eſt, quo oppoſito fidejuſſor unus ex pluribus in ſolidum ſolvere obſtrictus, ſolvere non tenetur, niſi priùs ceſſis ſibi actionibus contra confidejuſſores & debitorem principalem. *l. 17. l. 36. ff. h. t.*

Quòd ſi contra debitorem principalem ceſſæ non ſint actiones, fidejuſſor tamen id quod ſolvit, à debitore poteſt recuperare, vel actione mandati, ſi hoc intervenerit, vel actione negotiorum geſtorum. *§. 6. h. t. l. 6. §. 2. l. 20. §. 1. l. 40. ff. mandati.*

Tit. XXII.

De Literarum Obligationibus.

Literarum obligatio olim nominibus fieri dicebatur. Jure novo eſt, cùm quis chirographo confeſſus eſt, ſe mutuam accepiſſe pecuniam ſpe futuræ numerationis, quæ tamen ſecuta non

non eſt. Undè & ei opponitur intra biennium exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata, rejiciens onus probandi in adverſarium, qui ſe numeraſſe dicit. *pr. h. t. l.* 3. C. *de non numer. pec.*

Si intra biennium creditor ex chirographo non agat, poteſt is qui ſcripſit chirographum, illud condicere condictione ſine cauſa intra hoc ipſum biennium, *l. ult. C. de condict. ex lege & ſine causâ.*

Tit. XXIII.

De obligationibus ex conſenſu.

Contractus conſenſu conſtantes ſunt, ad quorum perfectionem nil præter conſenſum determinatum requiritur: adeòque nec rei traditio, nec verba, nec ſcriptura: quamvis hæc omnia poſſint intervenire, ac traditio quoque ad conſummandos hoſce contractus requiratur.

Omnes autem contractus conſenſu conſtantes ſunt bonæ fidei *pr. h. t.*

Et quinque ſunt, puta emtio venditio, locatio conductio, emphyteuſis, ſocietas, & mandatum.

Tit. XXIV.

De Emptione & venditione.

Emptio eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, de re certo pretio permutanda.

Hujus tria ſunt ſubſtantialia requiſita; conſenſus, merx ſeu res, & pretium. *pr. h. t. l.* 2 §. 1. *l.* 8. *ff. de contrah. emt.*

Vendi poſſunt res omnis generis. mobiles, immobiles, incorporales, hæreditas, nomina, *tit. ff. & C. de hered. vel act. vend.* propriæ & alienæ, *l.* 28. *ff. de contrah. emp.* ſpes, alea, jactus retis. *l.* 8. *ff. de contrah. emt. l.* 12. *ff. de act. emti.* at non res commerciis hominum exemptæ, Sacræ, Sanctæ, Religioſæ, liber homo. §. *ult. h. t. l.* 34. §. 2. *ff. de contrah. emt.*

Pretium eſt id, quo res æſtimatur, conſiſtens tantùm in pecunia numerata. §. 2 *h. t.* Ac certum eſſe debet vel per ſe, vel per relationem in arbitrium tertii certi, non tertii incerti. Qui ſi vel nolit vel non poſſit determinare pretium, venditio nulla

nulla eſt, quaſi deficiente conditione. § 1. *h. t. l. ult. C. de contrah. emt. l. 25. ff. locat.* Quòd ſi iniquum pretium determinaverit, corrigenda eſt iniquitas judicio bonæ fidei. *l. 79. ff. pro ſocio.*

Emptioni ſimilis eſt permutatio: quæ eſt contractus bonæ fidei innominatus. *do ut des*, unde actio præſcriptis verbis competit. §. 28. *inſtit. de action.*

Ex emtione verò naſcitur actio emti & venditi.

Actio emti eſt perſonalis bonæ fidei competens emtori adversùs venditorem, ad id ut res vendita tradatur cum fructibus poſt venditionem perceptis, cæteriſque acceſſionibus, & aliis, vel ſpeciali pacto comprehenſis, vel ex generali emtionis natura præſtari ſolitis: aut alioquin præſtetur id quod intereſt. §. 1. *in med.* §. 3. *h. t. l. 11. pr.* §. 1. 2. *l.* 12. *ff. de act. emti.*

Actio venditi eſt perſonalis bonæ fidei, competens venditori adversùs emtorem, ad id ut pretium ſolvatur unà cum uſuris ex mora. *l.* 13. §. 19. 20. *ff. de act. emti.*

Periculum autem & commodum rei venditæ ſtatim poſt contractum perfectum ad emtorem pertinet, licèt necdum res emtori fuerit tradita. §. 2. *h. t.* Ut tamen venditor de dolo, lata ac levi culpa teneatur. *l. 5. §. 2. ff. commodati l. 23. R. J.*

Tit. XXV.

De Locatione & Conductione.

Locatio conductio eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, de uſu vel opera cum mercede commutanda: & iiſdem fere nititur juris regulis, quibus emtio venditio; cùm & hìc merces in numerata pecunia conſiſtere debeat, ac in arbitrium tertii certi determinatio ejus conferri poſſit. *pr.* §. 1. 2. *h. t.*

Hinc naſcitur actio locati & conducti.

Actio locati eſt perſonalis bonæ fidei, competens locatori contra conductorem, ad id ut mercedem ſolvat, & finito tempore locationis rem incorruptam reſtituat, ac regulariter præſtet dolum, latam, & levem culpam, denique omnia faciat ſecundùm legem conductionis. §. *pen. h. t. l. 5. §. 2. ff. commodati. l. 48. §. 1. ff. h. t.*

Nec poteſt conductor migrare ante tempus, niſi juſtus ſubſic

ſit metus aliave juſta cauſa , nec mercedis remiſſionem petere, niſi ſit inſolita ſterilitas , aut minus commoda præſtetur habitatio. *l.* 13. §. 7. *l.* 15. §. 1. 2. *& ſeqq. l.* 25. § 2. *l.* 27. §. 1. *ff. h. t.*

Actio conducti eſt perſonalis bonæ fidei, competens conductori adverſus locatorem, & hæredem ejus, non ſucceſſorem particularem veluti emtorem, ad id, ut uſus commodus rei conductæ vel operæ præſtentur; aut alioquin id quod intereſt. §. *ult. h. t.* junct. *l.* 9. *C. h. t. l.* 19. §. 1. *l.* 25. §. 2. *ff. h. t.*

Nec poteſt conductor ante tempus expelli , niſi malè conductor utatur re conductâ , vel res indigeat neceſſaria reparatione, vel locator ea ex nova cauſa indigeat ad proprios uſus, vel conductor toto biennio penſionem non ſolverit. *l.* 3. *C. h. t. l.* 54. §. 1. *ff. h. t.*

Emphyteuſis eſt contractus juris gentium bonæ fidei, nominatus, conſenſu conſtans , quo prædium alicui fruendum conceditur in perpetuum aut ad tempus non modicum , ſub lege meliorationis, & præſtationis annui canonis. §. 3. *h. t.*

Canon eſt annua præſtatio in recognitionem dominii directi, non proportionata fructibus rei emphyteuticariæ. Unde nec remiſſio canonis fit ob inſolitam ſterilitatem aut aliud particulare damnum *l.* 1. *in fin. C. de jure emphyt.*

Emphyteuſis, ſi pro jure conſtituto accipiatur , dividitur in ſecularem & Eccleſiaſticam.

Secularis eſt, quæ in rebus ſecularibus eſt conſtituta.

Eccleſiaſtica, quæ conſtituta eſt in rebus Eccleſiaſticis, & ſecularis quidem ob moram triennii , Eccleſiaſtica verò ob moram biennii in ſolvendo canone commiſſam in commiſſum cadit. *nov.* 7. *c.* 3. §. 2 *l.* 2. C. *h. t.*

Eſt & emphyteuſis alia temporalis, quæ ad tempus non modicum; alia perpetua, quæ in perpetuum conceditur.

Ex emphyteuſi naſcitur actio emphyteuticaria , ſimilis in pleriſque actioni locati & conducti.

Tit. XXVI.

De Societate.

Societas eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans, ſuper re honeſta, de lucri & damni communione. §. 1. 2. 3. *h. t. l.* 52. *& ſeqq. ff. pro ſocio.*

Lucrum ergo & damnum pro rata parte , quam quiſque

contulit

contulit in ſocietatem, cuique ſociorum cedit, niſi aliud nominatim actum ſit. *d.* §. 1. 2. *h. t.* modò evitetur leonina ſocietas, quâ id agitur ut alter omne lucrum, alter omne damnum ferat. *l.* 29. §. 2. *ff. pro ſocio.*

Societas 1. vel publica eſt, qualis eſt ſocietas vectigalium; vel privata, quæ de rebus privatorum initur. *l.* 59. *ff. h. t.*

2. Vel expreſſa eſt, quæ expreſſo conſenſu initur, vel tacita, quæ ipſo facto contrahitur, ſeu ex facto colligitur ac præſumitur. *l.* 4 *ff. h. t.*

3. Vel eſt univerſalis & totorum bonorum, vel particularis.

Univerſalis totorum bonorum ſocietas eſt, in quam veniunt omnia, mobilia, immobilia, incorporalia, præſentia, & futura, hæreditates, legata, donationes, omne denique lucrum & omne damnum alterutri ſociorum obveniens. *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 73. *ff. h. t.*

Particularis eſt, in quam ea ſola veniunt, quæ ſocietatis intuitu acquiruntur induſtriâ & labore ſociorum, ſive ſimpliciter ſit inita ſocietas, ſive de re certa vel certa rerum univerſitate. *l.* 7. 8. 9. *ff. h. t.*

Ex ſocietate naſcitur actio pro ſocio, utrimque directa, perſonalis, bonæ fidei, competens ſocio contra ſocium, ad id, ut is lucra pro rata communicet, impenſas reſtituat, damna reparet, id quod ſpecialiter in ſe recepit impleat, ac denique dolum, latam, ac levem culpam præſtet. §. *ult. h. t.*

Finitur ſocietas morte unius ex ſociis, etiam inter reliquos ſuperſtites, niſi aliud actum ſit. §. 5. *h. t.* vel ſit ſocietas vectigalium. *l.* 59. *pr. ff. h. t.* renunciatione non callidè nec intempeſtivè, ſed bonâ fide factâ. §. 4. *h. t. l.* 14. 15. 16. 17. §. 1. *ff. h. t.* publicatione bonorum, ceſſione, ac finito negotio. §. 6. 7. 8. *h. t.*

TIT. XXVII.

De Mandato.

MAndatum eſt contractus bonæ fidei conſenſu conſtans; quo negotium honeſtum alteri id ſuſcipienti gratis gerendum committitur. §. 7. *h. t. l.* 8. §. 1. *ff. de procurat.*

Mandatum 1. vel expreſſum eſt, quod expreſſo conſenſu interponitur & ſuſcipitur; vel tacitum, quoties præſentis & ſcientis, nec contradicentis negotia ab alio geruntur. *l.* 18. *ff. h. t.*

2. Vel generale eſt, vel ſpeciale. De quo alibi.

3. Man-

3. Mandatum contrahi poteſt ſex modis, puta; vel gratiâ mandantis, vel gratiâ mandantis & mandatarii; vel alienâ gratiâ; vel mandantis & alienâ gratiâ; vel mandatarii & alienâ gratiâ, vel denique mandantis, mandatarii, & alienâ gratiâ. Non item mandatarii ſolius gratiâ; quippe quod conſilium magis eſſet, quàm mandatum. §. 1. *& ſeqq. h. t. l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* Ut tamen ex conſilio fraudulento dari poſſit de dolo actio, cùm alioquin conſilii non fraudulenti nulla ſit obligatio. *l.* 47. *ff. R. J.*

Ex mandato naſcitur actio mandati directa & contraria.

Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei; competens mandanti contra mandatarium, ad id ut exſequatur mandatum juxta præſcriptum modum, aut aliàs præſtet id quod intereſt; inſuper ut reddat rationem adminiſtrationis, ac reſtituat quod penes eum ex adminiſtratione reſidet, dolum denique & omnem culpam præſtet. §. 8. *h. t. l.* 13. 21. *C. h. t.*

Contraria eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens mandatario adversùs mandantem, ad id, ut durante mandato neceſſaria ſubminiſtrentur; eoque finito indemnis ſervetur, ſi impenſas fecerit, aut damnum culpâ mandantis paſſus ſit. *l.* 12. § *ult. l.* 26. §. 6. *ff. h. t.*

Finitur mandatum morte mandantis vel mandatarii, §. 10. *h. t.* revocatione per mandantem, ac renuntiatione per mandatarium factâ, utrimque tamen re adhuc integrâ. §. 9. & 11. *h. t.*

Tit. XXVIII.

De obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.

Quaſi contractus eſt præſumpta conventio, ex qua, mediante facto aliquo, valida naſcitur obligatio.

Quaſi contractus quinque ſunt, puta; negotiorum geſtio, tutelæ adminiſtratio, geſtio occaſione communionis, hæreditatis aditio, & indebiti ſolutio. De tutela autem & indebiti ſolutione ac actionibus inde competentibus alibi actum eſt.

Negotiorum geſtio eſt quaſi contractus, quo quis abſentis vel ignorantis negotia ſine mandato gerit. §. 1. *h. t.*

Hinc naſcitur actio negotiorum geſtorum directa & contraria.

Directa eſt actio perſonalis bonæ fidei, competens domino cujus negotia geſta ſunt, adversùs geſtorem, ad id ut reddat

rationem adminiſtrationis, ac reſtituat quod ad ipſum ex adminiſtratione pervenit aut pervenire potuit, & præſtet dolum ac omnem culpam. *d. §. 1. h. t. l. 2. ff. de negot. geſtis. l. 23. de R. J.*

Contraria eſt actio perſonalis competens negotiorum geſtori, contra dominum, ad id, ut indemnis ſervetur; adeòque ad repetendas impenſas neceſſarias & utiles, non voluptuarias: licèt impenſæ jam utiles eſſe deſierint. *l. 2. l. 11. §. 1. ff h. t.*

Ex geſtione occaſione communionis prodita eſt actio familiæ erciſcundæ, & communi dividundo.

Actio familiæ erciſcundæ eſt actio bonæ fidei, duplex; mixta, primariò in rem, per conſequentiam in perſonam, competens cohæredi, adverſus cohæredem, ad dividendam hæreditatem & præſtationes perſonales. *l. 1. l. 22. §. 4. ff. famil. erciſc.*

Actio communi dividundo eſt actio itidem bonæ fidei, duplex, mixta, competens illis, qui rem, titulo plerumque particulari, communem habent, ad eam dividendam & præſtationes perſonales. *l. 1. 3. ff. communi divid. §. 3. h. t.*

Ex aditione hæreditatis naſcitur actio ex teſtamento: quæ eſt actio perſonalis ſtricti juris ex quaſi contractu competens legatariis & fideicommiſſariis, adverſus hæredem, ad id, ut legata ac fideicommiſſa præſtentur, cum acceſſionibus & uſuris ex mora. *§. 5. h. t. l. 44. ff. de legat. 1. l. 34. ff. de uſuris.*

TIT. XXIX.

Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur.

PEr quas perſonas nobis dominium acquiri poteſt, juxta libr. 2. tit. 9. per eaſdem nobis etiam regulariter acquiri poteſt obligatio.

TIT. XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.

OBligatio tollitur vel ipſo jure, vel ope exceptionis.

Ipſo jure tollitur multis modis, veluti compenſatione. *§. 30. Inſt. de action.* noxæ deditione. *§ 3. Inſt. de noxal. action.* oblatione conſignatione & depoſitione pecuniæ vel rei debitæ rectè factâ. *l. 41. §. 1. ff. de uſuris. l. 9. C. de ſolution.* rei in interitu

ſeritu ſine mora aut culpa debitoris. *l.* 23. *ff. de verb. oblig.* præcipuè ſolutione, acceptilatione, novatione, & contrario conſenſu. *pr. & §§. ſeqq. h. t.*

Solutio eſt naturalis præſtatio ejus quod debetur.

Solvere poteſt debitor, vel alius pro eo, ſive ſciente, ſive ignorante, ſive invito. *pr. h. t.* eſtque ſolvendum id quod debetur, non aliud pro alio invito creditore. *d. pr. h. t. l.* 2. §. 1. *ff. de reb. credit.* nec admiſſa eſt particularis ſeu per partes facta ſolutio, niſi creditor conſenſerit, aut ab initio id actum ſit. *l.* 41. §. 1. *ff. de uſuris.*

Solutione rectè factâ liberatur debitor & fidejuſſores ejus & pignora. *pr. h. t.*

Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, quâ directò tolli nequit omnis obligatio, ſed tantùm ea quæ verbis contracta eſt. §. 1. *h. t.* eſt tamen prodita ſtipulatio Aquiliana, per quam omnium rerum obligatio ex quacunque cauſa in ſtipulationem deducitur, novatione factâ; ac deinceps acceptilatione diſſolvitur. §. 2. *h. t.*

Cæterùm quia acceptilatio eſt actus legitimus. *l.* 77. *ff. R. I.* ideo nec ſub conditione nec in diem fieri poteſt, *l.* 4. 5. *ff. de acceptil.* nec per interpoſitam perſonam. *l.* 13. §. 10. *ff. eod. tit.*

Novatio eſt prioris obligationis ſive naturalis ſive civilis in aliam ſive naturalem ſive civilem transfuſio ac translatio. *l.* 1. *ff. de novat.*

Eſtque vel novatio in ſpecie, vel delegatio.

Novatio in ſpecie eſt prioris obligationis in aliam transfuſio ſine interventu novæ perſonæ, inter eos ipſos, inter quos prior obligatio conſtiterat. §. *pen. h. t.*

Delegatio eſt novatio facta interventu novæ perſonæ: dum quis vice ſuâ alium creditori ſuo dat, vel cui juſſerit creditor. *l.* 11. *ff. de novation.*

Novatio autem in ſpecie & delegatio vel voluntaria eſt, de qua actum: vel neceſſaria, quæ fit per litis conteſtationem & ſententiam judicis inter actorem & reum. *l.* 86. 87. *ff. R. J.*

Novatione voluntariâ liberatur debitor & fidejuſſores ac pignora, ceſſatque uſurarum curſus. *l.* 18. *ff. de novat.* at neceſſariâ novatione nihil horum fit, cùm nemo ſic reddat conditionem ſuam deteriorem, ſed plerumque meliorem. *d. l.* 86. 87. *ff. R. J.*

Contrario conſenſu tolluntur tantùm obligationes conſenſu conſtantes. §. *ult. h. t.*

LIBER IV.

Tit. I.

De obligationibus quæ ex delicto naſcuntur.

Delictum in genere eſt offenſio dicto vel facto illata , quâ quis contra jus læditur dolo culpâve alterius , in ſpeciem contractûs aut quaſi contractûs non cadens.

Delicta vel privata ſunt, vel extraordinaria , vel popularia, vel publica, *tit. ff. de privat. delict. tit. ff. de extraordin. crimin. tit. ff. de popular. act. tit. ff. de publicis judiciis.*

Privata delicta ſunt , quæ actione privatâ vindicantur ab eo , ad quem ea res pertinet; ſic ut pœna exacta ipſi actori læſo applicetur. *l. 7. §. 1. ff. de injuriis.*

Horum quatuor ſunt ſpecies ; furtum , rapina , damnum injuriâ datum, & injuria ſeu contumelia.

Furtum eſt contrectatio frauduloſa, lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei , vel uſûs ejus poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere. §. 1. *h. t.*

Furtum olim diſtinguebatur in conceptum, oblatum ; prohibitum , & non exhibitum ; ac cujuſque nomine diverſæ competebant actiones. Sed his antiquatis , remanſit diſtinctio furti in manifeſtum & nec manifeſtum. §. 3. *&* 4. *h. t.*

Furtum manifeſtum eſt , cùm fur deprehenditur cum re furtiva , antequam illam eo detulit , quo deferre eo die deſtinaverat. Cujus pœna eſt quadruplum rei ablatæ. §. 3. *&* 5. *h. t.*

Nec manifeſtum eſt, cùm fur deprehenditur , poſtquam rem detulit , quo perferre eo die deſtinaverat. Cujus pœna eſt in duplum *d. §. 3. & 5.*

Variis autem actionibus fures conveniri poſſunt; puta, actione ad exhibendum, rei vindicatione (de quibus tit. 6.) condictione furtivâ, & actione furti.

Condictio furtiva eſt actio perſonalis ex delicto , rei perſecutoria ex parte actoris, pœnalis ex parte rei , competens ei, qui & furti facti & actionis intentatæ tempore dominus rei ab-

latæ

latæ eſt, adverſùs furem & furis hæredes, licèt nihil ad eos pervenerit, ad id, ut reſtituatur res furto ſurrepta cum fructibus perceptis & percipiendis, & eo, quod intereſt. *l. 1. 8. 9. 10. §. 2. l. 12. ff de condict. furt.*

Actio furti eſt actio perſonalis, pœnalis, perpetua, competens ei, cujus intereſt ex honeſta cauſa & jure in re aut propter damnum datum, contra furem, ad pœnam dupli in nec manifeſto, vel quadrupli in manifeſto furto. *§. 13. h. t. l. 11. l 71. §. 1. ff. de furtis.*

Datur ergo non tantùm domino, ſed & creditori cui pignus ſurreptum, bonæ fidei poſſeſſori, fulloni vel ſarcinatori ob veſtimenta ſurrepta, modò ipſe ſolvendo ſit: commodatario, ſi commodans maluerit commodatarium actione commodati, quàm furem actione furti convenire. *§. 14. & ſeqq. h. t.*

Poteſt etiam ob furtum criminaliter agi; quo caſu actor tenetur in crimen ſubſcribere. *l. ult. ff. de furtis.*

TIT. II.

De vi bonorum raptorum.

Vis eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt. *l. 2. ff. quod metùs cauſa.*

Et vel publica eſt vel privata.

Publica eſt, quæ fit cum armis.

Privata, quæ ſine armis fit. §. 6. *Inſtit. de interdictis.*

Adhæc vis alia expulſiva eſt, alia compulſiva, alia turbativa, alia ablativa.

Rapina eſt contrectatio fraudulosa violenti, lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel usûs ejus poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.

Hinc datur actio de vi bonorum raptorum; quæ eſt perſonalis, pœnalis mixta, competens ei cujus intereſt, adversùs raptorem, intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum. *pr. & §. 1. h. t.*

Si quis non dolo, ſed errore ductus, dum putat id ſibi licere, rem alteri eripuerit, quam ſuam eſſe exiſtimabat, ſi quidem verè ipſius ſit, dominium perdit, ſin aliena fuerit, unà cum re, æſtimationem ejus reddere compellitur. *§. 1. h. t.*

Tit. III.

De Lege Aquilia.

Legis Aquiliæ tria olim fuerunt capita. Primùm cautum eſt, ut ſi quis alienum hominem alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, injuriâ occiderit, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, tantùm domino dare damnetur, *pr. h. t.*

Alterum caput in deſuetudinem abiit; ſed probabile eſt, eo actum fuiſſe de ſervi moribus corruptis.

Tertiò cautum eſt de homine vel pecude vulneratis, aliis animalibus occiſis, & omni cætero damno injuriâ dato; ut teneatur reus, quanti res plurimi fuerit in diebus triginta proximis. §. 13. *& ſeqq. h. t.*

Hinc naſcitur actio ex lege Aquilia, eaque vel directa, competens domino rei ob damnum corpore & in corpus datum; vel utilis, competens domino ob damnum non corpore ſed in corpus datum, ut & ei cujus intereſt, quamvis dominus non ſit, licèt tunc corpore & in corpus damnum datum eſſet. Præter quas etiam eſt actio in factum prætoria, competens ſi nec corpore nec in corpus damnum datum ſit, & tamen læſio contigerit. *§. ult. h. t.*

Dantur verò hæ tres actiones adversùs eum, qui dolo vel culpâ, etiam leviſſimâ, damnum dedit, non contra hæredes, ad id ut præſtetur, quanti res anno vel menſe retro computato plurimi fuerit. §. 2. *& ſeqq. h. t.*

Tit. IV.

De injuriis.

Injuria eſt delictum in contemtum hominis liberi admiſſum, quo ejus corpus vel dignitas vel fama læditur dolo malo.

Committi verò poteſt injuria vel re; vel verbis; vel literis; vel conſenſu, dum quis mandat alteri injuriam fieri: eamque inferunt ſoli illi, qui doli capaces ſunt; non furioſi aut infantes: *l. 5. §. 1. ff. h. t.*

Patitur quis injuriam vel in ſe, vel per ſuos filios-familias, ſervos, uxores, ſponſas. §. 2. *& ſeqq. h. t. l. 15. §. 24. l. 18. §. pen. & ult. ff. h. t.*

Hinc

Hinc naſcitur actio injuriarum, eaque duplex; altera ex lege Cornelia civilis perpetua quæ datur ei, qui per ſe atrociorem injuriam realem paſſus eſt, §. 8. *h. t. l.* 5. *pr. & ſeqq. ff. h t.* altera prætoria annalis, quæ competit ei, qui quomodocunque injuriam paſſus eſt per ſe vel per alios. *d. l.* 5. §. 6. *ff. h. t.* Utraque contra injuriantem, non hæredes ejus, locum habet, & tendit ad id, ut præſtetur, quanti injuria per actorem æſtimata fuerit, vel minoris, ſi id judici æquum videbitur, pro diverſitate circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum &c. §. 7. 9. *h. t.*

Poteſt & criminaliter agi ob injuriam §. 14. *h. t.* ſed civilis actio prius mota criminalem perimit, & vice versâ *l.* 6. *ff. h. t.*

T I T. V.

De obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.

QUaſi delictum in genere eſt, quo non ex dolo vel lata culpa, ſed aliquâ ſui aut ſuorum imperitiâ vel imprudentiâ oritur, ſicut aliquid peccatum eſſe intelligatur; nec in ſpeciem aliquam veri delicti cadit, ſed delicto proximum eſt.

Quaſi delictorum quatuor ſunt ſpecies. Primum eſt, ſi judex per imperitiam [non dolo; tunc enim verè delinquit] malè judicaverit: quippe qui ab eo, quem iniquâ ſuâ ſententiâ læſit, convenitur ad id, ut præſtet quod religioni judicantis æquum videbitur. *pr. Inſt. h. t.*

Alterum quaſi delictum eſt, ſi ex alicujus cænaculo quid dejectum vel effuſum ſit ibi, quâ vulgo iter fit, & ita damnum datum.

Hinc naſcitur actio de dejectis & effuſis, perſonalis, prætoria, perpetua, competens ei, qui damnum paſſus eſt, contra inhabitantem, ad duplum damni dati, niſi liber homo occiſus ſit, quo caſu hæc actio popularis & annalis eſt ad pœnam 50. aureorum: vel niſi homo liber vulneratus ſit, quo caſu læſus agit ad impendia in medicos & chirurgos erogata, ac ad æſtimationem operarum, quibus caruit & cariturus eſt. §. 1. *h. t.* Cicatricum autem aut deformitatis doloriſve nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem. *l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec.*

Tertium eſt, ſi quid poſitum vel ſuſpenſum ſit ibi, quà vulgo iter fit, quod probabiliter cadere poſſet, & cadendo nocere.

Hinc datur actio de poſitis & ſuſpenſis, prætoria, popularis, competens cuivis ex populo, contra inhabitantem, vel eum, qui quid in ædibus poni vel ſuſpendi paſſus eſt, ad pœnam decem aureorum. *d. §. 1. h. t. l. 5. §. 6. ff. de his qui effud. vel dejec.*

Quartum eſt, ſi damnum datum ſit in navi, ſtabulo vel caupona per eos, quorum opera utitur exercitor.

Hinc datur actio prætoria exercitoria ex quaſi delicto, competens damnum paſſis, contra exercitorem, ad duplum damni dati. §. *ult. h. t.*

Tit. VI.

De actionibus.

Actio eſt jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur *pr. h. t.*

Judicium eſt legitima cauſæ cognitio, diſcuſſio, & definitio inter actorem & reum coram judice facta: ſic ut tres perſonæ principales judicium conſtituant, actor, reus, & judex: advocati enim & procuratores ac apparitores aliique ſimiles acceſſoriæ tantùm perſonæ ſunt.

Variæ autem actionum diviſiones ſunt, & quaſi claſſes, ad quas actio unaquæque referri poteſt, & unde actionis cujuſque termini generales petuntur.

Primò itaque actiones vel in rem ſunt, vel in perſonam, vel mixtæ.

Actiones in rem ſunt, quæ naſcuntur ex jure in re & generaliter appellantur vindicationes. §. 1. & 15. *h. t.*

Actiones in perſonam ſunt, quæ ex jure ad rem, adeòque ex obligatione, naſcuntur, ac generaliter condictiones vocantur. *d.* §. 1. & 15. *h. t.*

Mixtæ actiones ſunt; quæ partim ex jure in re, partim ex obligatione naſcuntur: ut tamen ſemper in hiſce prædominetur vel natura actionis in rem; quod fit in actionibus familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, & petitione hæreditatis. §. 20. *h. arg. l. 1. ff. fin. regund. l. 22. §. 4. ff. famil. erciſcundæ l. 7. C. de petit. hæred.* Vel natura actionis in perſonam; quod evenit in illis, quæ dicuntur actiones perſonales in rem ſcriptæ; veluti actio quod metûs causâ, & ſimiles.

2. Actio-

2. Actiones vel civiles ſunt, vel prætoriæ.

Civiles ſunt, quæ ex legitimis & civilibus cauſis deſcendunt.

Prætoriæ, quas prætor ex ſua juriſdictione comparas habet. §. 3. *h. t.*

3. Actiones vel rei perſecutoriæ ſunt, vel pœnales, vel mixtæ.

Rei perſecutoriæ ſunt, quibus tantùm rem perſequimur: quales ſunt omnes in rem actiones, & actiones in perſonam ex contractu vel quaſi.

Pœnales dicuntur, quibus meram pœnam petimus: qualis eſt actio furti manifeſti & nec manifeſti &c.

Mixtæ ſunt, quibus partim rem partim pœnam exigimus: qualis eſt actio de vi bonorum raptorum, & ex lege Aquilia. §. 16. 17. 18. 19. *h. t.*

4. Actiones aliæ in ſimplum conceptæ ſunt; aliæ in duplum, aliæ in triplum; aliæ in quadruplum: ulterius autem nulla actio extenditur.

5. Actiones vel bonæ fidei ſunt, vel ſtricti juris, vel arbitrariæ.

Bonæ fidei actiones ſunt, in quibus judici permittitur ex æquo & bono æſtimare, quantum alterum alteri oporteat tribuere, licèt id in conventionem aut petitionem non fuerit expreſsè deductum. §. 30. *h. t. pr. inſt. de oblig. ex conſenſu. l. 24. circa fin. ff. depoſiti.* Et recenſentur omnes in §. 28. *&* 29. *h. t.*

Stricti juris actiones dicuntur, in quibus conventioni & petitioni partium eſt adſtricta judicis poteſtas. *pr. inſt. de obl. ex conſenſu, in fin. l. 99. ff. de verb. oblig.*

Arbitrariæ ſunt, in quibus niſi arbitrio judicis aliquid fiat, condemnatur reus, præcipuè propter dolum, aut contumaciam, aut loci adjectionem. §. 31. *h. t.*

6. Quibuſdam actionibus certum petimus, id quod frequentius fit; quibuſdam incertum, veluti cùm petitur res in genere vel alternativè debita, vel factum, vel id quod intereſt. §. 32. *h. t.* Sive autem certum ſive incertum petatur, cavendum eſt, ne plus petendo peccetur; planè minus petendo quàm debetur, nemo peccat, cùm poſſit reliquum vel eodem vel alio judicio adhuc perſequi. §. 33. 34. 35. *h. t.* eodem judicio ſi errorem in libello ante ſententiam emendaverit. *d.* §. 34. 35.

Plus peti poteſt quatuor modis, re, loco, tempore, cauſâ. *d.* §. 33. Quiſquis autem re vel loco vel cauſâ plus petit, in triplum damni dati tenetur reo: ſin tempore plus petierit, tantò temporis ſpatio poſt diei vel conditionis eventum expectare

te-

tenetur, quantò maturiùs petiit, & adverſario impenſas litis re-fundere. *d. §. 33. h. t.*

7. Quibuſdam actionibus ſolidum conſequimur: quibuſdam minus quàm ſolidum; idque vel ex natura actionis, quod fit in actione de peculio, tributoria, de in rem verſo &c. vel ob beneficium perſonæ datum, quod duplex eſt, aliud competentiæ, aliud ceſſionis, vel denique propter compenſationem, *§ 36. & ſeqq. h. t.*

Beneficium competentiæ eſt, quo quis munitus condemnari nequit ultra vires patrimonii, ſed tantum in id quod facere poteſt, retento eo ne egeat *l. 173. ff. R. J. l. 125. ff. de V. S. l. 30. ff. de re jud.* eoque gaudet maritus de dote reddenda conventus, parentes, patroni adverſus liberos aut libertos, donator adverſus donatarium, ſocius contra ſocium, milites ex privilegio. *§. 37. 38. h. t. l. 16. & ſeqq. ff. de re judic.*

Ceſſionis beneficium eſt quo debitor obæratus omnia ſua bona præſentia nullis retentis, ſuis cedens creditoribus, à carceris ſquallore liberatur, *§ ult. h. t. l. 1. C. qui bon. cedere poſſ.* non tamen ab ipſo debito, ſi enim ad meliorem fortunam reverſus fuerit, adhuc creditoribus ſolvere tenetur, gaviſurus tunc beneficio competentiæ, ſic ut modicum acquiſitum ei non auferatur. *l. 6. ff. de ceſſione bonor.*

Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe contributio. *l. 1. ff. de compenſat.* quâ ipſo jure debitum utrimque tollitur uſque ad quantitatem concurrentem. *§. 30. h. t. l. 11. 12. ff. de compenſ.* ſi modò debitum utrimque liquidum & purum ſit, ac quantitas ejuſdem generis utrimque debeatur, non item corpus. *l. 4. 8. ult. C. de compenſat.*

8. Actiones vel directæ ſunt, quæ ex verbis legum dantur; vel utiles, quæ ex mente legum & interpretatione competunt. *§. ult. inſt. de lege Aquil.*

Aliæ inſuper diviſiones titulis quibuſdam ſequentibus continentur, ibidem proponendæ.

Cæterùm, cum magna ex parte actiones hoc titulo occurrentes in anterioribùs jam fuerint deſcriptæ; quædam etiam in titulis ſequentibus, ut ſede propriâ, ſint definiendæ, rectè me facturum credidi, ſi hìc tantùm ſpecilegium inſtituerem actionum illarum, de quibus alibi agendi occaſio defuit vel defutura eſt: ſecuturus filum Juſtiniani in illis recenſendis.

Prima ordine eſt rei vindicatio, quæ eſt actio civilis in rem arbitraria, competens iis, qui jure gentium vel civili domini ſunt *l. 23. ff. de rei vind.* adverſùs quoſvis poſſeſſores & detentores

res, quique horum loco cenſentur. *l. 7. 9. l. 27. §. 3. ff. de rei vind. §. 1. in fin. h. t.* ad id, ut res corporalis reſtituatur cum acceſſionibus & fructibus, adhibitâ inter bonæ & malæ fidei poſſeſſores differentiâ. *l. 20. ff. de rei vind. §. 2. inſt. de off. judicis.*

Actio confeſſoria eſt in rem, arbitraria, civilis, quâ quis vindicat ſervitutem ſibi vel prædio ſuo conſtitutam; adeòque datur ei, cui ſervitus conſtituta eſt, adversus quemvis rei poſſeſſorem, vel in ſervitutis poſſeſſione turbantem. *l. 10. §. . ff. ſi ſervit. vind. §. 2. h. t.* ad id ut res declaretur ſervituti obnoxia, & præſtetur id quod intereſt, ac caveatur de non turbando in poſterum. *l. 4. §. 2 l. 6. §. 6. l. 7. l. 12. ff. ſi ſervit. vind.*

Negatoria itidem eſt in rem, civilis, arbitraria, quâ quis vindicat ſuæ rei libertatem, & negat alteri ſervitutem competere: adeòque datur domino rei, contra eum, qui ſervitutem in illa uſurpare vult, ad id ut res declaretur libera ab illo onere ſervitutis, & præſtetur id quod intereſt, ac cautio de non turbando in poſterum interponatur. *d. §. 2. h. t. d. l. 4 §. 2. l. 7. l. 12. ff. ſi ſervit. vind.*

Publiciana actio eſt prætoria, in rem, arbitraria, quâ quis rem, cujus poſſeſſionem juſto titulo ac bonâ fide nactus erat, ac caſu amiſerat antequam uſucepiſſet, repetit à quovis jure debiliori poſſidente: in pari namque cauſa melior poſſidentis quàm petentis foret conditio. *§. 4. h. t. l. 1 2. 3. l. 9. §. 4. ff. de public. in rem act.*

Actio reſciſſoria duplex eſt; alia uſucapionis, alia alienationis reſciſſoria.

Reſciſſoria uſucapionis eſt actio in rem, prætoria, arbitraria, competens ei, cujus res verè uſucapta eſt [idque vel ab alio præſente, cùm ipſe dominus juſta de cauſa abſens eſſet, vel ab alio quacunque de cauſa abſente, cùm dominus ipſe præſens eſſet] adversùs uſucapientem, ad id, ut reſciſsâ uſucapione res reſtituatur cum omni cauſa: olim intra annum, jure novo intra quadriennium continuum inſtituenda. *§. 5. h. t. l. 7. 8. l. 26. §. 1. l. 28. l. 33. §. ult. l. ult. ff. ex quib. cauſ. majores 25. ann. reſt.* junct. *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtitut.*

Reſciſſoria alienationis eſt actio in rem, prætoria, arbitraria, annalis, competens creditoribus in poſſeſſionem bonorum debitoris miſſis, in quorum fraudem res à debitore poſt miſſionem alienatæ ſunt; contra quoſvis bonâ vel malâ fide poſſidentes, ad id, ut reſciſsâ alienatione res alienata reſtituatur. *§. 6. h. t.* arg. *l. 3. C. ut in poſſeſſ. legator. &c.* Huic

Huic ſimilis in multis eſt actio Pauliana; quæ eſt actio prætoria, perſonalis. arg. *l.* 38. §. 4. *ff. de uſuris.* *l.* 14. *ff. quæ in fraud. cred. alien. &c.* annalis, competens creditoribus, in quorum fraudem res à debitore ante vel poſt miſſionem in poſſeſſionem alienatæ ſunt, adversùs poſſeſſores regulariter fraudis participes, quandoque tamen & non participes fraudis, ſi ſc. pupilli ſint, aut titulo lucrativo poſſideant; ad id ut reſciſsâ alienatione res alienata reſtituatur. *l.* 6. §. 8. 10. 11. *l.* 10. §. 18. 19. 20. 22. *ff. quæ in fraud. cred. alien. ſunt, ut reſcind.*

Actio Serviana eſt actio in rem, prætoria, arbitraria, competens domino locatori prædici ruſtici, contra quoſvis poſſeſſores, ad perſequendas res coloni expreſsè pro penſionibus obligatas. §. 7. *h. t.*

Quaſi Serviana, ſeu hypothecaria, eſt actio prætoria, in rem, arbitraria, competens creditoribus, quibus res expreſsè vel tacitè vel legis diſpoſitione fuerunt pignori obligatæ, contra quoſvis bonæ vel malæ fidei poſſeſſores, ad avocandam rerum obligatarum poſſeſſionem *d.* §. 7. *h. t.* ut tamen jure novo ante tertium bonæ fidei poſſeſſorem excutiendus ſit ipſe debitor & fidejuſſores ejus. *nov.* 4. *c.* 2.

Conſtitutum eſt conventio prætoria; [ſeu pactum à prætore confirmatum] quâ quis ſine ſtipulatione promittit, ſe ſoluturum quod ipſe vel alius debet.

Hinc datur actio de conſtituta pecunia; quæ eſt prætoria perſonalis, competens ei cui conſtitutum eſt, adversùs conſtituentem, ad id ut præſtetur quod conſtitutum ſeu promiſſum eſt.

Si plures pro eodem conſtituerint, gaudent beneficio diviſionis, exemplo fidejuſſorum. *l. ult.* C. *de conſtit. pecun.*

Actio de peculio eſt prætoria perſonalis in rem ſcripta, ex contractu vel quaſi contractu (non delicto) filiif. aut ſervi, competens illis, qui cum filiof. aut ſervo contraxerunt, contra patrem vel dominum, & quoſvis peculii poſſeſſores, ad id, ut præſtetur, quod contractu vel quaſi contractu comprehenſum eſt, quatenus eſt in peculio tempore rei judicatæ. §. 10. *h. t.* § 4. *Inſt. quod cum eo, qui in alien. poteſt. l.* 27. § 2. *l.* 30. *ff. de peculio.*

Jusjurandum eſt religioſa Divini Nominis invocatio in teſtimonium veritatis.

Et vel voluntarium eſt, vel judiciale vel neceſſarium.

Voluntarium eſt, quod à parte parti defertur vel refertur extra judicium, *l.* 17. *ff. de jurejur.*

Judi-

Judiciale eſt, quod à parte parti defertur, vel refertur in judicio. *l. 12. C. de reb. credit. & jurejurand.*

Neceſſarium eſt, quod judex ob defectum probationis, parte etiam non petente, defert actori vel reo. *l. 31. ff. de jurejur.*

Ex jurejurando voluntario præſtito vel remiſſo, ut & ex judiciali, quoties non eſt ſubſecuta judicis ſententia, datur actio in factum ex jurejurando, quæ eſt actio prætoria perſonalis, competens actori, qui deferente vel referente adverſario juravit rem ſuam eſſe vel ſibi deberi, adversus eum, qui detulit & retulit, ad id quod jurejurando actoris comprehenſum eſt. §. *11. h. t. l. 9. §. ult. ff. de jurejur. l. 8. C. de reb. cred. & jurejur.*

Actio in factum de albo corrupto eſt actio prætoria, popularis, pœnalis, competens cuivis ex populo, contra eum, qui album prætoris perpetuæ juriſdictionis causâ propoſitum dolo corrupit, ad pœnam 50. vel, ut alii legunt, quingentorum aureorum. *l. 7. ff. de juriſdict.*

Actio in factum de in jus vocando eſt actio prætoria, pœnalis, annalis, competens parenti vel patrono ſive venia in jus vocato, contra liberos vel libertos vocantes, ad pœnam quinquaginta aureorum. *l. 4. §. 1. l. pen. ff. de in jus vocando. §. ult. Inſt. de pœna temere litig.*

Actio in factum de in jus vocato vi exemto, eſt actio prætoria, pœnalis, annalis, competens actori, qui reum exemtum in jus vocaverat, contra vi eximentem, ad id ut præſtetur, quanti ea res eſt in judicium deducta, licèt per calumniam petita. *l. 4. l. 5. ff. ne quis eum qui in jus voc. vi eximat.*

Actiones præjudiciales ſunt, quæ de ſtatu ac conditione alicujus moventur: puta, de libertate vel ſervitute, ingenuitate vel libertinitate, & de jure familiæ. §. 13. *h. t.*

De libertate vel ſervitute eſt judicium liberale, civile, quamvis augmentum à prætore acceperit, competens domino contra ſervum, qui ſe liberum eſſe aſſerit, & viciſſim ſervo ad libertatem proclamanti, contra dominum: qui proclamantem contendit ſuum eſſe ſervum. *tit. ff. & C. de liberali cauſ.*

De libertinitate vel ingenuitate eſt actio prætoria, competens patrono contra libertum, qui ſe ejus libertum eſſe negat; vel ingenuo aut libertino, neganti, ſe libertum eſſe ejus, qui jus patronatûs prætendit. *tit. ff. ſi ingenuus eſſe dicetur.*

De jure familiæ eſt actio prætoria competens parenti, contra eum, qui ſe filium eſſe falſo negat aut aſſerit; ut & filio contra eum, qui ſe parentem eſſe falſo negat, vel affirmat. *l. 1. §. 8. ff. de agnoſc. & alend. liberis. d. §. 13. h. t.*

Actio

Actio finium regundorum eſt actio mixta, duplex, ſtricti juris, competens confini adverſus confinem, de ſpatio quinque pedum, ſeu turbatis agrorum finibus regundis & diſcernendis. *l. 1. l. 4. §. 10. ff. finium regund. §. pen. Inſt. de offic. judicis. §. 20. h. t.*

Actio de ſervo corrupto eſt perſonalis prætoria, competens dominis, aut jus pignoris, uſusfructûs, aliudve ſimile habentibus; contra eum, qui mores ſervi dolo malo corrupit, ad id ut præſtetur duplum damni dati & rerum, quas ſervus fugiens ſecum abſtulit, aut in quibus damnum dedit. *l. 1. §. 3. l. 2. l. 9. §. 1. l. 13. l. 14. §. 3. 4. ff. de ſervo corrupto. §. 23. h. t.* utilis actio datur ob mores filiif. corruptos. *l. 14. §. 1. ff. de ſervo corrupt.*

Actio condictitia contra actores plus petentes eſt condictio ex lege, competens reo, qui per plus petitionem læſus eſt, adverſùs actorem plus petentem, ad id ut præſtetur triplum damni dati. §. 24. *h. t.*

Actio condictitia contra executores litium eſt condictio ex lege, competens reo nimiam exactionem paſſo, contra executores litium plus juſto exigentes, ad quadruplum damni dati, ſic ut triplum jure novo cedat fiſco, ſimplum actori læſo. §. 25. *h. t. nov. 124. c. 2.*

Metus eſt inſtantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. *l. 1. ff. quod met. cauſa.*

Metus juſtus dicitur; qui cadit in virum fortem & conſtantem. *l. 5. 6. ff. quod metus cauſa.*

Actio quod metûs causâ eſt prætoria, arbitraria, perſonalis in rem ſcripta, competens metum paſſo & ejus hæredi intra quadriennium continuum, contra eum, qui metum fecit & quemvis rei per metum amiſſæ poſſeſſorem, ad id, ut res metu amiſſa reſtituatur, aut ex contumacia, quadruplum præſtetur. *§. 27. h. t. l. 9. §. 1. 3. l. 14. §. 2. & 5. ff. quod met. cauſa.*

In actione in factum de calumniatoribus ille calumniator dicitur, qui pecuniam accepit, ut, vel ne litem iniquam alteri per calumniam moveret. *l. 1. ff. de calumniator.* Quamvis alioquin in criminalibus calumniator ſit, qui falſa crimina ſcienter intendit, *l. 1. §. 1. ff. ad SConſ. Turpil.*

Actio in factum de calumniatoribus eſt actio prætoria, annalis, competens ei, qui pecuniam dedit, ne ſibi lis moveretur per calumniam; ut & ei, cui lis per calumniam movenda erat; contra eum, qui accepit, ut vel ne litem iniquam moveret,

veret, ad quadruplum ejus quod datum eſt, *l. 1. l. 3. §. ult. l. 5. pr. & §. 1. l. 7. ff. de calumniatoribus.*

Actio præſcriptis verbis æſtimatoria eſt actio perſonalis bonæ fidei ex contractu innominato, competens ei, qui rem æſtimatam vendendam dedit, adversùs eum, qui rem vendendam accepit, ad id, ut vel res incorrupta, vel pretium, quo æſtimata & vendita eſt reſtituatur. *l. 1. ff. de æſtimatoria.*

Actio præſcriptis verbis ex permutatione eſt actio bonæ fidei, competens ei, qui rem propriam ex cauſa permutationis dedit; adversùs eum, qui illam accepit, ad id, ut viciſſim det, quod promiſit, vel præſtet, id, quod intereſt. *l. 5. §. 1. ff. de præſcript. verbis.*

Petitio hæreditatis eſt actio mixta, bonæ fidei competens hæredi ex teſtamento vel ab inteſtato, adversùs eum, qui pro hærede vel pro poſſeſſore poſſidet, aut pro tali habetur, ad id ut reſtituantur res hæreditariæ cum fructibus & acceſſionibus, adhibitâ inter bonæ & malæ fidei poſſeſſores differentiâ, §. 28. *h. t. l. 7. C. de petit. hæred. l. 2. 3. 11. 12. l. 13. §. 14. l. 20. p. & §§. ſeqq. ff. de petit. hæred. §. 2, Inſt. de off. judicis.*

Actio doli eſt actio prætoria, perſonalis, ſubſidiaria, famoſa, competens intra biennium ei, qui dolum paſſus eſt, adversùs eum, qui dolum fecit, ad id ut res dolo amiſſa reſtituatur, aut præſtetur id quod intereſt. *l. 13. l. 15. §. ult. l. 17. l. 18. ff. de dolo l. ult. C. eod.*

Actio de *eo quod certo loco*, eſt actio perſonalis arbitraria, quâ res ex negotio civili ſtricti juris, certo loco præſtanda, alibi petitur, factâ mentione loci adjecti, ut judex pro locorum diverſitate pluris minoriſve reum condemnet. §. 33. *Inſt. h. t. l. 1. l. 2. §. ult. l. 3. ff. de eo quod certo loco.*

Actio ad exhibendum eſt actio perſonalis in rem ſcripta arbitraria, competens illis, quorum intereſt peculiariter ex juſta cauſa & jure in re, contra quoſvis poſſeſſores & detentores, ad id ut res exhibeatur. §. 3. *Inſt. de off. judicis. l. 3. §. 12. & ult. l. 4. l. 5. l. pen. ff. ad exhibend.*

Exhibere autem eſt facere in publico poteſtatem, ut ei, qui agit, experiundi ſit copia. *l. 2. ff. ad exhibend.*

Tit. VII.

Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.

Actiones variæ non tam novæ ſunt, quàm potius qualitates adjectitiæ aliarum actionum. Tales hoc tit. ſex occurrunt; puta, actio quod juſſu, exercitoria, inſtitoria, tributoria, de peculio, & de in rem verſo.

Actio quod juſſu eſt actio perſonalis competens illis, qui cum filiof. aut ſervo, jubente patre vel domino, contraxerunt; contra patrem vel dominum, ad id ut præſtetur creditum, quatenus juſſus eſt interpoſitus. §. 1. *h. t. l.* 3. *ff. quod juſſu.*

Exercitor eſt, ad quem quotidianus navis quæſtus pertinet.

Magiſter verò navis dicitur, ad quem quotidiana navis cura ſpectat.

Actio exercitoria eſt actio prætoria, perſonalis perpetua, competens illis, qui cum magiſtro vel ſubmagiſtro navis contraxerunt, ejus rei gratiâ, cui is præpoſitus erat, adverſùs exercitorem, ad id ut præſtetur, quod contractu magiſtri vel ſubmagiſtri comprehenſum eſt. *l.* 1. §. 5. 7. 8. 9. *l. ult. ff. de exercit. act.* §. 2. *h. t.*

Inſtitor dicitur, qui tabernæ vel officinæ eſt præpoſitus. *l.* 7. *l.* 8. *ff. de inſtit. act.*

Actio inſtitoria eſt prætoria, perſonalis, perpetua, competens illis, qui cum inſtitore contraxerunt ejus rei gratiâ, cui is erat præpoſitus; adverſùs præponentem, ad id ut præſtetur, quod inſtitoris contractu comprehenſum eſt. §. 2. *h. t.*

Actio tributoria eſt actio perſonalis perpetua, competens ei, qui filiof. aut ſervo in merce peculiari negotianti ſciente & permittente patre vel domino, credidit, contra patrem vel dominum, ad id, ut merx peculiaris aut pretium inde redactum æqualiter pro rata inter patrem vel dominum & reliquos creditores dividatur. §. 3. *h. t. l.* 1. §. 1. 2. 3. *l.* 7. §. 1. 2. *ff. de tribut. act.*

Actio de in rem verſo [diverſa ab actione de peculio quæ tit. præced. fuit propoſita] eſt actio perſonalis, competens ei, qui in rem patris vel domini credidit filiof. aut ſervo, contra

tra patrem vel dominum, ad in ut præſtetur quatenus in rem eorum verè verſum eſt. §. 4. *h. t. l.* 1. *ff. de in rem verſo.*

Macedoniano Senatuſconſulto cautum fuit, ne quis filiof. mutuam credat pecuniam, & ſi crediderit, repetere volens repellatur exceptione Senatuſc. Macedoniani, in odium fœneratorum introductâ. §. *pen. h. t. l.* 1. *ff. de Senatuſc. Maced. l.* 40. *ff. de cond. indeb.*

Tit. VIII.

De noxalibus actionibus.

Actiones noxales vel competunt ex delictis ſervorum, vel ex factis animalium: & ſunt qualitates novæ adjectitiæ actionum directarum.

Actio noxalis ex delictis ſervorum eſt actio perſonalis, competens illis, quibus actiones directæ ex delicto eſſent competituræ, ſi liber homo deliquiſſet; adversùs dominum ſervi noviſſimum, & quemvis ſervi poſſeſſorem, quive dolo ad evitandum noxale judicium poſſidere deſiit, ad id, ut damnum reparetur, aut ſervus noxæ detur. *pr. & §.* 5. *h. t. l.* 11. 12. 13. *ff. de noxal. action.*

Cæterùm noxæ deditione tranſit dominium, ſi noxæ dans dominus eſt, & pleniſſima contingit liberatio. §. 3. *h. t.*

Tit. IX.

Si quadrupes pauperiẽ feciſſe dicatur.

Pauperies eſt damnum ſine injuria facientis, adeòque ab animali datum. *pr. h. t.*

Actio de pauperie eſt actio perſonalis, civilis competens ei, cui nocitum eſt, adversùs dominum animalis, contra naturam ſui generis, nullo inſtigante, lædentis; ad id ut damnum reparetur aut animal noxæ detur. *pr. h. t. l.* 1. *pr. ff. h. t.*

Actio de paſtu pecorum eſt actio perſonalis, civilis, competens ei, cui animal alienum à nemine immiſſum, alieno fundo depaſcendo nocuit; adversùs dominum animalis, ad id ut damnum reparetur, aut animal noxæ detur. *l.* 14. §. *ult. ff. de praeſcript. verb. l. ult.* C. *ad leg. Aquil.*

Eſt & actio in factum ex ædilitio edicto contra eos, qui canem, verrem, aprum, urſum, leonem, aut aliud ſimile animal

animal illic habent, quâ vulgo iter fit; tendens ad ducentos aureos, ſi homo liber perierit; ad id quanti judici æquum videbitur, ſi homini libero nocitum ſit, in cæteris rebus ad duplum damni dati. §. *ult. h. t. l. 40. & ſeqq. ff. de ædil. edict.*

TIT. X.

De iis per quos agere poſſumus.

PRocurator eſt, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat. *l.* 1. *ff. de procurat.* & olim quidem quiſque pro ſe, nullus pro alio, debebat agere; at jure novo etiam per procuratorem quiſque agere & conveniri poteſt, *pr. h. t.*

Defenſor dicitur, qui ſine mandato pro reo intervenit, *l.* 40. §. 2. *l.* 51. *ff. de procurat.*

Procurator vel ſpecialis eſt, vel generalis.

Specialis eſt, qui ad certam cauſam vel actum expediendum datus eſt.

Generalis, cui omnia negotia gerenda ſunt demandata.

Et hic iterum vel generalis eſt *cum liberâ adminiſtratione*, qualis fere omnia poteſt, quæ dominus: vel *ſine liberâ*, qui non tam laxam habet poteſtatem. *l.* 58. 60. 63. *ff. de procurat.*

Adhæc procurator vel ad negotia extrajudicialia conſtituitur, vel ad lites.

TIT. XI.

De ſatisdatione.

DE cautione & variis ejus ſpeciebus actum tit. de ſatiſd. tut.

Cautio *judicatum ſolvi*, tribus clauſulis adſolvitur, 1. de ſolvendo eo, quod judicis ſententiâ fuerit comprehenſum. 2. de re defendenda boni viri arbitratu. 3. dolum malum abeſſe & abfuturum eſſe. *l.* 6. 13. 19. *judicatum ſolvi.* Eaque præſtanda regulariter per rei defenſorem, vel per reum ipſum, quoties non per ſe, ſed per alium defendi deſiderat & præſens eſt. §. 4. *&* 5. *Inſt. h. t.*

Cautio de rato eſt, quâ procurator vel defenſor cavet, eum, pro quo intervenit, rem ratam habiturum, ſeu probaturum

baturum eſſe. §. 3. *h. t.* quæ cautio per procuratorem interponenda, quoties de mandato dubitatur. *l.* 1. *C. de procurat.* vel mandato carent hi, qui & ſine mandato pro perſonis conjunctis actionem poſſunt inſtituere. *l.* 35. *l.* 40. §. *ult. ff. de procurat. arg. l.* 12. *C. eod.*

TIT. XII.

De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad hæredes & in hæredes tranſeunt.

Actiones vel perpetuæ ſunt, vel temporales.

Perpetuæ ſunt, quæ olim perpetuò durabant ſine ulla præſcriptione: jure verò novo annis triginta vel quadraginta demum extinguuntur. *pr. h. t. l.* 3. *C. de praſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

Temporales dicuntur, quæ intra brevius tempus à Jure Civili vel prætorio præfinitum ſunt intentandæ.

Denique actiones vel hæredibus dantur & in hæredes, quales ſunt actiones rei perſecutoriæ; vel hæredibus ſed non in hæredes, puta pœnales. §. 1. *h. t.* vel nec hæredibus nec in hæredes, veluti actio injuriarum, actio in factum de in jus vocando, de calumniatoribus, de revocanda donatione ob ingratitudinem, & ſimiles. *d.* §. 1. *h. t. l. pen. ff. de in jus voc. l.* 4. *l.* 5. *ff. de calumniat. l.* 1. 7. *ult. C. de revoc. donat.*

TIT. XIII.

De exceptionibus.

Exceptio eſt actionis excluſio: quales plurimæ ſunt, veluti, exceptio metûs, doli, juſti erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti, jurisjurandi, rei judicatæ. §. 1. *& ſeqq. h. t.*

Dividuntur autem exceptiones in civiles & prætorias.

Civiles ſunt, quæ legibus aut alio jure civili ſunt introductæ.

Prætoriæ, quæ ex edicto prætoris ſubſtantiam capiunt. §. 7. *h. t.*

Adhæc vel perpetuæ & peremtoriæ ſunt, vel temporales & dilatoriæ.

Peremtoriæ & perpetuæ ſunt, quæ judicium periment, & ſemel objectæ ſemper obſtant; ut exceptio doli, metûs, rei judicatæ &c. *l. 2. §. ult ff. de except.* §. 8. *h. t.*

Temporales & dilatoriæ ſunt, quæ ad tempus tantùm obſtant agenti, ſeu actionem differunt; qualis eſt exceptio ordinis, cedendarum actionum, & eæ, quæ procuratoris aut judicis intuitu opponuntur. *l. 3. ff. de except.* §. 10. 11. *h. t.*

TIT. XIV.

De replicationibus.

Exceptiones inſuper vel in rem ſunt, vel in perſonam, vel mixtæ. *§. ult. h. t. l. 7. pr. & §. 1. ff. de except.*

In rem ſunt, quæ proſunt hæredibus & fidejuſſoribus; veluti metûs, doli &c. *d. l. 7. §. 1.*

In perſonam ſunt, quæ certam perſonam non egrediuntur; veluti, ceſſionis, competentiæ &c. *d. l. 7. pr.*

Mixtæ ſunt; quæ quibuſdam, non omnibus, proſunt; quomodo minorennitatis exceptio hæredibus, non item fidejuſſoribus minoris prodeſt. *l. 13. l. 18 §. ult. l. 19. ff. de minorib.*

Replicatio eſt exceptionis exceptio ſeu excluſio. Cui rurſus opponi poteſt duplicatio: huic triplicatio; iterum quadruplicatio. &c. *paſſim. h. t.*

TIT. XV.

De Interdictis.

Interdicta olim erant formulæ & conceptiones verborum, quibus prætor aliquid fieri jubebat vel prohibebat. Sed pro his jure novo competunt actiones in factum extraordinariæ, quibus plerumque de poſſeſſione agitur, ſalvâ proprietatis controverſiâ. *pr. h. t. l. 2. §. 2. ff. h. t.*

Poſſeſſio in genere eſt detentio rei corporalis, animo ſibi habendi. Quæ & acquiritur & amittitur animo & corpore ſimul, non ſolo animo: animo tamen ſolo retineri poteſt. *l. 8. ff. de acquir. poſſeſſ. §. 5. h. t.*

Eſt autem poſſeſſio vel naturalis vel civilis, idque duplici modo. Primò enim naturalis dicitur, quæ in facto conſiſtit, dum quis ſuo corpore poſſidet: civilis verò, quæ in jure conſiſtit, dum quis poſſidet animo *l. 10. C. de acquir. poſſeſſ.* Secundò

cundò naturalis poſſeſſio ea dicitur, quâ quis rem tenet animo quidem ſibi habendi, ſed abſque opinione dominii; quo modo poſſidet malæ fidei poſſeſſor: civilis autem eſt, quâ quis poſſidet animo domini; quâ ratione poſſident veri domini & bonæ fidei poſſeſſores.

Interdicta 1. vel prohibitoria ſunt; quibus ſc. prætor vetat quid fieri; veluti, ne vis fiat mortuum inferenti, aut in poſſeſſionem miſſo; ne quid in loco ſacro vel publico fiat, &c. vel reſtitutoria, quibus prætor jubet, aliquid reſtitui; veluti interdictum undè vi &c. vel exhibitoria, quibus prætor aliquid exhiberi jubet; veluti, de tabulis exhibendis, de homine libero vel liberis exhibendis. §. *1, h. t.*

2. Vel adipiſcendæ poſſeſſionis interdicta ſunt; ut, quorum bonorum, quod legatorum, & Salvianum interdictum: vel retinendæ poſſeſſionis; quale eſt interdictum uti poſſidetis & utrubi: vel recuperandæ poſſeſſionis; veluti, interdictum unde vi. §. 3. 4. 6. *h. t.*

Interdictum *quorum bonorum* eſt adipiſcendæ poſſeſſionis, competens hæredibus prætoriis & civilibus, contra eos, qui pro hærede vel pro poſſeſſore poſſident, ad conſequendam rerum corporalium, non incorporalium, hæreditariarum poſſeſſionem. *l. 1. 2. ff. quor. bonor.*

Interdictum *quod legatorum* itidem eſt adipiſcendæ poſſeſſionis, competens hæredi cavere parato de legatis præſtandis, contra legatarios & fideicommiſſarios particulares, ad id ut reſtituantur res corporales legatæ, quarum poſſeſſionem legatarii ante aditionem hæreditatis, vel poſt aditionem ſine hæredis voluntate nacti ſunt. *l.* 1. §. 2. 3. 8. 1. 13. 16. *ff. quod legator.*

Interdictum *Salvianum* quoque adipiſcendæ poſſeſſionis eſt, & directum quidem domino prædii ruſtici datur, contra colonum, ad adipiſcendam poſſeſſionem rerum invectarum & illatarum in prædium ruſticum, ac expreſsè obligatarum pro penſionibus: utile verò creditoribus quibuſvis hypothecariis, contra quoſvis rei obligatæ poſſeſſores, ad avocandam ejus poſſeſſionem, exemplo actionis hypothecariæ. *l. 1. pr. & §. 1. ff. de interdict. Salviano.*

Interdictum *uti poſſidetis* eſt retinendæ poſſeſſionis, competens ei, qui tempore litis conteſtatæ rem immobilem, vel incorporalem, quæ pro immobili habetur, non vi, clam, vel precario ab adverſario poſſidet, contra eum, qui ſe quoque poſſidere contendit, ad id, ut ipſe juſtus, alter injuſtus poſſeſ-

tor declaretur, & præſtetur id quod intereſt poſſeſſionem turbatam non eſſe. §. 4. *h. t.* *l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. *ult. l.* 4. *ff. uti poſſid.*

Interdictum *utrubi* eſt de rebus mobilibus, de cætero ſimile interdicto uti poſſidetis. *l. un. ff. de utrubi.* §. 4. *h. t.*

Interdictum *unde vi* eſt recuperandæ poſſeſſionis, competens ei, qui de poſſeſſione rei immobilis vi dejectus eſt, contra dejicientem, non tertium poſſeſſorem, ad id, ut reſtituatur poſſeſſio rei immobilis cum mobilibus, quæ ibi fuerunt, ac fructibus à tempore dejectionis, & omni cauſa. §. 6. *h. t. l.* 1. §. 6. 31. 32. 34. 40. 41. *l* 7. *ff. de vi & vi armata.*

3. Interdicta vel ſimplicia ſunt, vel duplicia.

Simplicia dicuntur, in quibus apparet, quis actor, quis reus ſit.

Duplicia, in quibus id non apparet, ſed uterque ſimul actor & reus eſt: qualia ſunt interdicta uti poſſidetis & utrubi. §. *pen. h. t.*

Tit. XVI.

De pœna temerè litigantium.

Temerè litigantes coërcentur. 1. Pœnâ pecuniariâ, dum in expenſas litis condemnantur. §. 1. *h. t.* & quibuſdam in caſibus ex inficiatione in duplum. 2. Jurejurando calumniæ, quod non veritatis ſed credulitatis jusjurandum; dum actor jurat, ſe non calumniæ causâ litem intendere; reus verò, ſe non calumniæ causâ ad inficias ire. *l.* 44. §. 4. *ff. famil. erciſc.* *l.* 3. *C. de jurejur. propter calumn. dando.* 3. Infamiâ in quibuſdam, non omnibus, cauſis.

Infamia eſt exiſtimationis privatio. Exiſtimatio autem eſt dignitatis illæſæ ſtatus, moribus & legibus comprobatus.

Infamia alia juris eſt, alia facti.

Juris infamia dicitur, quæ ex turpi facto per jus notato irrogatur; idque vel ipſo jure, vel per judicis ſententiam.

Facti infamia eſt, quæ oritur ex facto, quod per jus non eſt notatum, ſed exiſtimationem alicujus onerat penes viros graves & honeſtos. *l.* 2. *ff. de obſequiis parent. & patrono præſtand. l.* 13. *C. ex quib. cauſ. infam. irrog.*

TIT.

Tit. XVII.

De Officio Judicis.

Judex eſt vir bonus & æquus, juriſperitus per ſe vel aſſeſſores, authoritate publicâ conſtitutus, cui cauſas cognoſcendi & decidendi facultas competit.

Cujus officium eſt, ut judicet ſecundùm id, quod legibus & moribus & conſtitutionibus eſt proditum. *pr. h. t.* æquitatem tamen ſtricto juri prælaturus. *l.* 8. *C. de judiciis.*

Judices autem vel majores ſunt, qui juriſdictionem & imperium habent; vel pedanei, qui nudam habent notionem ſine juriſdictione propriè ſic dicta.

Juriſdictio eſt poteſtas publica judicandi & exſequendi cauſas ad judicia ſpectantes ſive civiles ſive criminales. Et variè dividitur;

Etenim 1. Vel voluntaria eſt, quæ inter volentes exercetur; vel contentioſa, quæ inter invitos, cauſæ cognitione interveniente, exerceri poteſt. *l.* 2. *ff. de offic. proconſ. & legati.*

2. Vel civilis eſt, quæ circa cauſas civiles verſatur; vel criminalis, quæ circa cauſas criminales. *l.* 1. *ff. de off. ejus, cui mand. juriſdict.*

3. Vel ordinaria eſt, quæ alicui jure magiſtratûs competit; vel extraordinaria ſeu legalis, quæ non jure magiſtratûs, ſed ex ſpeciali lege, Senatuſconſulto, vel Principis conſtitutione conceſſa eſt. *d. l.* 1. *de off. ejus cui mand. juriſd. l.* 6. §. 2. *ff. de tutelis.*

4. Vel propria eſt, quam quis exercet ſuo nomine; vel demandata ſeu delegata, quam quis exercet nomine ejus, qui mandavit. *l.* 16. *ff. de juriſdict.*

Imperium vel merum vel mixtum eſt.

Merum imperium eſt poteſtas gladii, ſeu animadvertendi in facinoroſos homines. *l.* 3. *ff. de juriſdict.*

Mixtum imperium eſt modica coërcitio juriſdictioni cohærens. *d. l.* 3. *ff. de juriſd. l. ult.* §. 1. *ff. de off. ejus cui mand. juriſd.*

Tit. XVIII.

De publicis judiciis.

Crimina publica ſunt, quæ deſcendunt, ſeu coërcentur, ex legibus publicorum judiciorum. *l. 1. ff. de publicis judic.* ad quæ perſequenda quilibet ex populo plerumque admittitur *§. 1. h. t.* exceptis illis, qui enumerantur in *l. 8. 9. 10. ff. de accuſat.*

Et vel capitalia ſunt, vel non capitalia.

Capitalia ſunt, in quibus mors naturalis aut civilis infligitur. *§. 2. h. t. l. 28. ff. de pœnis.*

Non capitalia, in quibus retentâ libertate & civitate, levior pœna irrogatur. *d. §. 2. h. t.*

Majeſtas eſt magnitudo imperii, & ſuprema legibuſque civilibus ſoluta poteſtas.

Crimen læſæ majeſtatis in genere eſt omne illud, quo publica majeſtas quomodocunque violatur.

Perduellionis crimen eſt, quod directò contra populum aut Principem ſuperiores non agnoſcentem, ejuſque ſecuritatem, à ſubjectis committitur. Cujus pœna ex lege Julia majeſtatis eſt mors naturalis, bonorum publicatio, & memoriæ poſt mortem damnatio. *§. 3. h. t. l. 1. §. 1. ff. ad leg. Jul. majeſtatis. l. 5. C. eod. tit.* eademque conſciis ſatellitibus ac miniſtris pœna eſt impoſita. *d. l. 5. §. 6. C. ad leg. Jul. majeſt.* filii quoque perduellium ab omni ſucceſſione ac honoribus excluſi ſunt; ita victuri, ut mors ipſis ſit ſolatium, & vita ſupplicium. *d. l. 5. §. 1. C. ad leg. Jul. majeſt.*

Adulterium eſt alieni thori violatio, ſeu alienæ matrisf. corruptio, *l. 225. ff. de V. S. l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* Quod ex lege Julia de adulteriis gladio punitur; ſed jure noviſſimo mulier adultera tantùm flagellis cæſa in monaſterium detruditur, conceſsâ marito licentiâ eam intra biennium recipiendi. *l. 30. §. 1. & auth. ſed hodie* C. *ad leg. Jul. de adult.*

Stuprum propriè dicitur, cum quis virginem vel viduam honeſtam non invitam comprimit. *§. 4. h. t. d. l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* Cujus pœna ex lege Julia eſt in honeſtioribus publicatio dimidiæ partis bonorum cum infamia; in humilioribus corporalis coërcitio cum relegatione. *d. §. 4. h. t.*

Sicarius eſt, qui hominem ſive liberum ſive ſervum quocunque inſtrumenti genere dolo malo occidit. Qualis ex lege Cor-

nelia

nelia de ſicariis ultore gladio punitur. §. 5. *h. t. l. 1. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 23. §. 9. ff. ad leg. Aquil.*

Venefici ſunt, qui artibus odioſis, tam venenis, quàm ſuſurris magicis homines occidunt; aut mala medicamenta publica divendunt. Quorum pœna ex eadem lege Cornelia eſt ultimum ſupplicium. *d. §. 5. h. t. l. 6. C. de maleficis & mathemat.*

Parricidium eſt, cum quis parentes aut liberos, quique ex affinitate parentum vel liberorum loco ſunt, occidit. Cui crimini impoſita eſt ex lege Pompeja de parricidiis pœna culei; ut ſc. parricida virgis ſanguineis cæſus, culeo inſuatur, cum cane, gallo, ſimia, & vipera atque ita in mare projiciatur, aut objiciatur beſtiis. *§. 6. h. t. l. 9. ff. ad leg. Pomp. de parricid. l. un. C. de his qui parent. vel liberos occid.*

Falſum eſt, quod animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem dolo malo fit. Cujus pœna regulariter ex lege Cornelia de falſis eſt ultimum ſupplicium in ſervis, in liberis verò hominibus deportatio. *§. 7. h. t. l. 1. §. ult. ff. ad leg. Corn. de falſis.* quandoque gravior; veluti vivicomburium in falſæ monetæ reis. *l. 2. C. de falſa moneta.*

Vis publica eſt, quæ fit cum armis, ut alibi dictum. Cujus pœna eſt deportatio §. 8. *h. t.*

Vis privata eſt quæ fit ſine armis. Ac coërcetur publicatione tertiæ partis bonorum cum infamia. *d. §. 8. h. t. l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi privat.*

Raptus eſt, cum quis virginem aut viduam aut Sanctimonialem libidinis causâ abducit. Quale crimen ultimo ſupplicio punitur in raptore & iis, qui opem tulerunt; & bona raptoris applicantur raptæ, ſi illa ſit ingenua. *§. 8. h. t. l. unic. C. de raptu virgin. l. 5. §. 2. ff. ad leg. Jul. de vi publica.*

Peculatus eſt furtum pecuniæ publicæ factum ab eo, cujus ea periculo non eſt. *l. 9. §. 2. ff. ad leg. Jul. peculatus.* Quod ex lege Julia peculatus in magiſtratibus & eorum miniſtris ultimo ſupplicio, in aliis deportatione vindicatur, *§. 9. h. t.*

Sacrilegium eſt furtum rei ſacræ è loco ſacro. Cujus pœna quandoque fuit ultimum ſupplicium, quandoque levior. *l. 5. & 6. ff. ad leg. Jul. peculat.*

Plagium eſt furtum hominis liberi vel ſervi alieni. Cujus pœna extraordinaria eſt ex lege Fabia de plagiariis quandoque capitalis; præſertim, ſi parentibus ita infligatur liberorum orbitas. *l. 1. & ult. ff. de lege Fab. de plagiariis. l. ult. C. eod. tit.*

Ambi-

Ambitûs crimen eſt, cum quis clam emendicat aut pretio redimit ſuffragia populi ad impetrandum honorem. Cujus pœna ex lege Julia de ambitu fuit centum aureorum & infamiæ. *l. 1. pr. & §. 1. ff. de lege Jul. ambitus.*

Crimen repetundarum eſt, cum magiſtratus per ſe vel uxores aut comites ac miniſtros ſuos quid accipiunt, ut aliquid agant vel non agant, contra, quàm officii ratio exigit. Cujus pœna eſt quadruplum accepti, & alia coërcitio pro admiſſi qualitate. *l. 1. 3. 4. 5. 6. 7. ff. de lege Jul. repetund. l. ult. C. eod.*

Crimen annonæ flagellatæ eſt, cum quis naves annonarias aut nautas retinendo, aliove modo, efficit, ut annona fiat carior. Cujus pœna ex lege Julia de annona eſt viginti aureorum & alia extraordinaria animadverſio. *l. 2. ff. de lege Jul. de annona.* Monopolio exercito, pœna eſt exilium & publicatio bonorum. *l. un. C. de monopol.*

Reſidui crimen eſt, cum magiſtratus pecuniam publicam ad uſum aliquem deſtinatam retinuerunt, nec in eum uſum inſumſerunt. Cujus pœna ex lege Julia de reſiduis eſt, ut pecunia reſidua cum alia parte tertia illius pecuniæ in fiſcum inferatur. *l. 4. §. 3. 4 5. ff. ad leg. Jul. peculat.*

Obſervandum autem, me hic cum Juſtiniano pœnas criminum antiquis adſcripſiſſe legibus, quibus illa crimina olim fuerunt punita; cum tamen ipſæ pœnæ ſuperiùs propoſitæ non ex antiquis illis legibus, ſed poſterioribus demum conſtitutionibus maxima fuerint ex parte conſtitutæ.

F I N I S.

ANT 131629

Digitized by Google

XX.
C33